3.853

MANUALE ISAGOGICUM IN SACRA BIBLIA.

MANUALE ISAGOGICUM

IN

SACRA BIBLIA.

EX RECENTIORIBUS AC PRÆSTANTISSIMIS OPERIBUS COLLEGIT,

HODIERNO SCIÆNTIÆ BIBLICÆ STATUI

ACCOMMODARE TENTAVIT,

ET SACRARUM LITERARUM STUDIOSÆ JUVENTUTI

OFFERT

FRANC. X. CAMINERO MUÑOZ,

presb. palentinus ac doctor theologus.

LUCI AUGUSTI.--1868.

SUMPTIBUS ET TYPIS EMM. SOTO FREYRE.

Via S. Petri, n. 31.

SERVATO JURE PROPRIETATIS.

CENSURA.

Excmi. ac Illmi. Episcopi hujus dioecesis lucensis jussu librum expendi, cui titulus: MANUALE ISAGOGICUM IN SACRA BIBLIA, a presbytero Dr. D Francisco Caminero conscriptum. Cuilibet patet labor ad opus cum omnibus fere scientiis et artibus connexum necessarius, quippe omnes aliquid saltem delibasse opus est, ad auctoritatem divinamque Sacrorum Librorum inspirationem tuendam, rectumque judicium de singulo libro ac libri parte mente concipiendum. Nec hujus operis utilitatem fas est in dubium vocare, quod adulterinam recentiorum incredulorum criticam ac plurima mendacia funditus evertit. Desiderandum valde foret, ut in patria nostra tot præclaris ingeniis ac florentibus studiis gaudente, aliæ multæ hac super re lucubrationes prodirent; quod hucusque factum non est, non ob animi demissionem rem adeo arduam aggrediendi, sed potius quia minus necessariæ fuerunt, dum Sacra Biblia oppugnabantur a nemine, prout nunc heu! sive aperte, sive clanculum et subdole nimis fit. Igitur libri hujus auctor laborem in se suscepit maxime utilem iis, qui Sacrorum Librorum studio operam dant; cumque nihil in hoc opere inveniatur, quod sacris dogmatibus ac christianæ doctrinæ morum adversum sit, ut illud publici juris faciendi facultatem obtineat, quam petit, auctor meretur. Hæc est mea sententia. Dabam Luci Augusti, die 12 Julii, anni 1868.

JOSEPHUS MARIA PALACIOS.

APPROBATIO.

Inspecta censura a Lic. D. Jospho Maria Palacios, Canonic. Lectoral., prolata, operis, cujus examen ipsi demandavimus, MANUALE ISAGOGICUM IN SACRA BIBLIA, a presbytero Dr. D Francisco Caminero conscripti, quod nempe nihil contineat sacris dogmatibus ac christianæ morum doctrinæ adversum, ut imprimatur et in lucem edatur nostram licentiam impertimur. Luci Augusti, V kalendas Septembris, anni MDCCCLXVIII.

JOSEPH, *Episcopus Lucensis.*

Excmi. ac Illmi. Domini mei Episcopi jussu,
TURIBIUS CARRASCO BAQUERO,
Srius.

PRÆFATIO.

Mirabitur forsan aliquis novum opus ad Sacros Libros præparatorium post tot antiqua egregiaque nunc demum in lucem edi, et quidem ab obscuro homine et tanto labori impari; simulque multa in eo inveniet reprehensione digna, sive in rebus pertractatis, sive in methodo servata, sive in eloquutione. Ut igitur his animadversionibus aliquo modo satisfaciam, pauca adnotare volui.

Et primo quidem necessitatem hujus generis operis nostris diebus accommodati vix capiet, qui circa rem hanc dubius est; hoc enim ipso in hodierno scientiarum biblicarum ac christianæ controversiæ statu se plane rudem et peregrinum demonstrat, ac proinde longa lucubratione opus esset, ut ipsi palam fieri posset antiquorum operum, licet in se ac pro sua ætate valde præstantium, inopia ac minus apta conditio ad hodiernis necessitatibus et adjunctis occurrendum. Ecclesiæ doctrina eadem semper est; sed illius exponendæ ac tuendæ ratio diversis sæculorum adjunctis variat, quod universa christiana litteratura ostendit. Hinc fit ut in omnibus fere Europæ nationibus, germanica præsertim, multa in dies prodeant in Sacra Biblia isagogica opera et lucubrationes, quæ Hispaniæ nostræ minus congrua sunt pluribus de causis; multa tamen habent aptissima et necessaria, quæ hispanis tironibus valde proderunt, si ea in opere congruo delibare possint. Nempe pleraque germanica sunt aut gallica; quæ vero latina exsistunt, aut solam introductionem in Vetus Testamentum, aut in Novum, aut solam hermeneuticam vel archæologiam pertractant, non introductionem completam, quæ juxta statum nostrorum alumnorum scientificum ac rationem studiorum in Seminariis vigentem necessaria est.

Ipsum cl. Danko opus ad id minus aptum erat ob longam illius amplitudinem ac prætii caritatem; illud vero cl. Lamy et archæologia caret, et hermeneuticam vix delibat, et Sacrorum Bibliorum tuitionem minus aut fere nihil persequitur. Utroque tamen nos frui potuimus, licet fere simul scriberemus, quoniam dimidio fere anno ante opus nostrum utrumque prodiit. Ceterum utrumque opus, una cum doctorum hominum judicio, demonstrat librum Janssens aliosque antiquiores minus aptos jam esse; quando nempe non cum Voltairii asseclis res est, sed cum plurima rationalistica phalange, quæ recentioribus et subtilioribus, non tamen insuperabilibus, dimicat armis.

Atque hæc causa fuit cur ego lucubrationi huic manum admoverim. Nempe nullus id faciebat, quod necessarium mea sententia est; libris insuper multis et præclaris fruebar bibliothecæ escurialensis, tum antiquæ, tum recentioris, qui magna sapientia ab illius Seminarii spectabili admodum rectore Dr. Gonzalez y Mendoza cumulabantur; rubore denique afficiebar propterea quod, inter tot tantasque alienas divitias, nullum aderat, præter antiqua sane præclara, auctoris hispani opus. In his rerum adjunctis a labore abstinere potestas non fuit, sed quæ litteris mandabam meis lectionibus ac privato usui destinata, in librum collegi, qui nunc prodit in lucem. Si temeritatis et audaciæ condemnari merui, nihil aliud pro mea justificatione allegare possum, quam rectam intentionem, ob zelum religionis ac scientiæ biblicæ, facilitatem multa ac præstantissima opera evolvendi, ac demum patrium amorem, quo aliis forsitan viam paravi, quam doctiores et sapientiores utinam non sero peragrent, atque ita meum laborem perpetuæ oblivioni mandent. Hoc unum desidero, quia non vanam gloriolam cupio, sed gloriam Dei, zelo religionis catholicæ, amore litterarum, ac patrio honore obtinendam, si non meis laboribus, quod nec somniavi quidem, illis omnibus, qui meum reprehensuri, aut tuituri, aut emendaturi sunt.

Circa res pertractatas unum adnoto: ea nempe elegisse, quæ ætati nostræ magis congruunt, mea sententia, amicorum, ac sapientum qui per totam Europam iis lucubrationibus operam dant; et ea quidem majori minorive amplitudine tractavi, juxta præsentes circumstantias et adjuncta, eorumdem sapientum judicio; archæologiam vero primam,

quia et maximæ utilitatis est, et de illius oblivione apud hispanos theologos valde dolebam, dum apud exteros doctores in dies magis excolitur. Quibus sane ita concessi, ut meum opus universum vix aliud quam brevis compilatio laborum suorum sit, proprio tamen criterio et ideis facta, et respectu præcipue habito ad alumnorum nostrorum facultatem. Immo non semel eosdem descripsi aut compendiavi, quod semel dictum sit ad arcendam invidiam; quod enim in libris legimus et discimus nostrum est, inquiebat fere Hieronymus. Neque ita rem peregi, quasi omnia comminuenda, distinguenda et explicanda forent, cum jam exculta ingenia in iis studiis exerceantur; sed illud consilium sequutus sum, quod ratio studiorum S. J. ferebat, nempe: *Quæstiones S. S. proprias scholastica methodo non tractet* (professor); satis tamen, quantum in me facultas fuit, claritati consului. Ut brevitatem sectarer plurima argumenta doctrinæ biblicæ opponi solita, sola veræ doctrinæ expositione refutavi, præcipue in archæologia; ob idque professorum erit ea uberius explanare et ad probatos auctores mittere, sicut in iis, quæ aut vix subindicavi, aut silentio prætermisi, ne liber nimium crescerat, aut magis utilia relinquerem. Ob eamdem causam plura minoribus characteribus edita sunt, quæ minus necessaria videntur; professores tamen ea omittent aut ampliabunt, quæ plus minusve utilia videbuntur. Nonnullas sententias minus communes retractare non potui, quas amplius tueri aut retractare benevoli ac sapientes amici sero nimis consulebant; eas igitur theologorum sapienti ac christiano judicio relinquo, nominatim illam n. 94 aliasque. Veracitatem historicam et genuinitatem librorum historicorum, præcipue N. T., pluribus persecutus sum, quia in ea est tota fere cum rationalistis controversia: sinceritatem historicorum minus ursi, quia nullus est aliquantulum edoctus et cultus, qui eam oppugnet. Hermeneuticam latius quam Janssens et Lamy tractavi, ne in re necessaria fere jejuni tirones evaderent.

In dictionis elegantia parum immoravi, cum potius perspicue et accurate rem exponere curarem; ob idque sæpe vocabula adhibui minime *classica*, ut dicunt, præsertim quum ideas Virgilio et Horatio ac Ciceroni ignotas exprimere necessarium fuit. Neque enim is sum, qui periphrasi aut vocabulo græco utar ad id exprimendum, quod locutione minus classica, aut etiam recenter inventa ex alia hispanica *parce detorta*, ex-

primere possum: contraria agendi ratio in opere tantum scientifico pedagogorum est, qui stomachum suo *purismo* et superstitiosa Ciceronis veneratione movent. Immo fidenter assero linguam latinam minime mortuum idioma esse, quod proinde fixum manere debeat; sed vivens est in populo totum mundum occupante, nempe Ecclesia catholica, quæ in liturgia, in documentis officialibus, in seminariis ecclesiasticis linguam latinam adhibet; hæc vero, ut omnia viventia idiomata, ad res novas exprimendas nova vocabula admisit semper atque in posterum admittet. Cæterum non inficior nimis negligentem in stilo et locutione fuisse, quarum studia minus placent. Restat nunc ut gratum animum ostendam erga eos, qui libro huic conscribendo non levem contulerunt operam suis excitationibus, libris paratis, doctrina, consiliis, quorum nomina hic tacita, interioribus animæ recessibus scripta sunt; nec editoris mihi admodum chari obliviscar, qui non solum ut liber in lucem prodiret causa fuit, sed longa cura labori ita invigilavit, ut accuratam editionem perficeret septuaginta fere dierum spatio, quæ tamen vix quibusdam typographicis maculis scatet, cum aliis forte grammaticis, quæ meam diligentiam effugerunt, quarum index, cum a quolibet prudenti animadverti possint, superfluus est.

In hoc vero libro addiscendo optandum est ut unus tantum annus insumatur, ut altero in exponendis præcipuis S. S. libris immorentur alumni; a quibus, ut experientia didici, magistrorum fervor et prompta voluntas omnia obtinere potest, quæ videntur difficillima. Sane nostrorum temporum injuria indefessum utrorumque laborem exposcit. Interea doctiores rogo et obsecro ut, quæ sibi emendanda, corrigenda, addenda vel omittenda videantur, benevolo animo et charitate aperiant, et ipsi ad multa meliora edenda, ut sane facultas est, alacri animo et labore accedant. Quas animadversiones præcipue a rev. hispanis Episcopis accipere pergratum et valde mihi esset optandum, quorum sapienti judicio et censuræ laborem meum libentissime subjicio. O. S. A. M. D. L.

Dabam Luci Augusti, die Assumptionis B. V. Mariæ anni 1868.

AUCTOR.

CAPUT PRÆLIMINARE.

NOTIONES PRÆVIÆ.

Scriptura sacra est collectio librorum, quos christiani ut canonicos et divinos venerantur; qui quidem catholicis illi sunt, quos Ecclesia ut tales proponit.

Christiani nempe omnes fidem suam religiosam, divinam revelationem et ejusdem revelationis historiam in iis libris, quos *Biblia Sacra* appellare consueverunt, contentam admittunt diverso licet modo. Non est enim eadem regula in illis numerandis, nec eadem sententia circa modum quo a Deo procedere censentur, neque demum idem sensus circa eorum intelligentiam. Cum omnes tamen in iis libris fundamentum totius christianæ fidei et spei inesse existiment; nascitur hinc absoluta necessitas eos discernendi a libris tantum humanis, eosdem tuendi ab innumeris adversariorum telis, ac denique regulas scientifice tradendi ad eorumdem germanum sensum investigandum. Hinc orta est scientia, nostris potissimum diebus maxime exculta, quæ sive *Isagoge*, aut *Prolegomena in Sacram Scripturam*, aut *Studia biblica*, aut *Introductio in Sacros Libros*, vel etiam *Hermeneutica*, aut demum *Historia Revelationis*, &c. dicta est. Quacumque demum appellatione designetur, ea omnia complectatur oportet, quæ nostris temporibus ad postremum Sacrorum Librorum usum, eorum nempe enarrationem seu exegeticam interpretationem et applicationem ad res fidei ac morum necessaria sunt, post evolutam demum scientiam phi-

logicam, ut dicunt, post artem criticam juxta neotericæ philosophiæ principia rebus iis accommodatam, post tot incredulorum hominum labores ad Biblia nostra e censu Divinorum Librorum eripienda et hominum figmentis adscribenda. Itaque latiori sensu

Introductio in Sacram Scripturam est complexus earum omnium notionum quæ hujus Exegesim præcedere debent, et ad ejusdem rectam intelligentiam et usum necessariæ sunt aut non parum juvant. Hoc latiori sensu Introductio in S. S. complecti debet cognitionem linguarum quibus scripta est aliarumque affinium, necnon earum quibus celebriores ejusdem translationes factæ sunt; historiam et geographiam populi israelitici et nationum finitimarum, atque etiam earum regionum quas Apostoli peragrarunt vel ad quas sua scripta miserunt; mores etiam ac vivendi genus seu civilizationem, ut vocant, ejusdem populi israelitici ac priorum christianorum; regulas et canones ad rectam S. S. lectionem et interpretationem; media item hos libros ab apochryphis et humanis tantum discernendi, ipsorum divinam inspirationem, seu theopneustiam explicandi atque tuendi, necnon fidem historicam in iis qui narrationes continent; historiam textus primigenii ac præcipuarum versionum; ea demum omnia quæ de ipsorum auctore, epocha, scopo, occasione qua scripti sunt, et materia in eis contenta scire juvat, ut optime intelligantur. Verum hæc omnia ut partes Introductionis in S. S. haberi non solent, sed quædam ut diversæ scientiæ seorsim coluntur. Et sane

Philologia sacra: seu scientifica explicatio linguarum, quibus Libri Sacri scripti sunt, atque iis affinium, vel in quibus præcipuæ eorum versiones inveniuntur, disciplinæ nostræ pars esse nequit, quin hæc nimium crescat, ideoque nota supponitur.

Studia vero linguarum orientalium et græcæ ad disciplinam nostram omnino necessaria, ac olim in Hispania nostra valde florentia, paululum languerunt temporum vicissitudine, ac vix in ecclesiasticis seminariis excolebantur; nunc vero ratio studiorum in illis vigens ea præcipit, atque spem magni progressus ingerit; quod faxit Deus, ut disciplinæ theologicæ, studia critica et exegetica, atque apologetica christianæ religionis ea fundamenta inter nos habeant, quæ apud externas gentes, germanicam præsertim; quod quidem ad fidem nostram optime tuendam et vindicandam magis in dies necessarium est.

Historia sacra, seu narratio originis populi hebraici, ejusque vicissitudinum usque ad Christi adventum, necnon vitæ ac prædicationis ejusdem Christi Jesu, ac fundationis suæ religionis—ut cognita etiam supponitur; licet ad meliorem dicendorum intelligentiam, quædam compendiose narrari soleant in operibus nostro similibus, tunc præcipue cum uniuscujusque libri originem, occasionem, scopum, materiam et auctorem, aliaque ad illius cognitionem necessaria traduntur; quod et nos facere intendimus.

Geographia sacra est descriptio regionum de quibus præcipue in S. B. mentio fit—quod ad rem nostram plane necessarium est, et uberiorem tractationem exigit, quam quæ inter philosophica studia apud nos fieri solet.

Archæologia biblica docet hebræorum antiquitates domesticas, civiles, religiosas, omnem scilicet vivendi rationem—ex qua innumeræ voces ac dicendi formæ, innumeriique conceptus, phrases, tropi, ornatus poëtici in S. S. passim occurrentes facile intelliguntur et explicantur. Numquam apud nos neglecta fuit, quamvis forte hoc nomine ignota esset, immo summa cum laude exculta, ut ex celeberrimo apparatu ad Polyglottam Regiam, ab Aria Montano adornato, patet; novissimis temporibus ex P. Lamy, Calmeto, Janssens ac demum Glaire, non leves in hac scientia notiones a nostris derivantur, et ordine et methodo scientifica a junioribus theologis excolendæ.

Hermeneutica biblica docet atque tuetur eos canones et principia, quæ in enarratione seu expositione exegetica a viro christiano servari debent, ut verum S. S. sensum assequatur.

Critica biblica circa librorum sacrorum a profanis distinctionem et eorum genuinam lectionem immoratur, nempe libros canonicos ab apocryphis secernit, et inter tot variantes lectiones, quæ optima sit docet atque textui primigenio conformis, quæque ut spuria rejici debeat. Atque hoc erat munus hujus scientiæ, quæ proinde etiam *Critica litteralis textus* appellatur. Sed post exortum incredulorum hominum bellum adversus Bibliam ejusque genuinitatem, veracitatem divinamque inspirationem, *Critica biblica* ab eis jam dicitur *investigatio originis, veracitatis historicæ, temporis cujusque libri sacri, ejusdemque integritatis ad nos usque;* quod quidem præstant ope philosophiæ criticæ, archæologiæ, philologiæ aliarumque disciplinarum, prout in recipiendis

profanis historiis et testimoniis fit. Juxta quod nihil vetat quominus, ab adversariis divinæ revelationis provocati, atque etiam ob diversum christianarum ecclesiarum sensum in numero S. Librorum determinando, etiam nos dicamus

Criticam biblicam scientiam illam quæ libros sacros a profanis discernit, eorum auctores determinat, historiam literariam veramque lectionem edocet, axiopistiam seu credibilitatem historicam tuetur, unde facili modo eruitur eorumdem Librorum divina origo et auctoritas; — complectitur nempe doctrinam canonis, historiam ac criticam literalem singulorum librorum, veracitatem divinamque inspirationem, harumque vindicias sumit, et a nobis sectionibus 2.ª, 3.ª et 4.ª infra videndis pertractabitur.

Introductio particularis in singulos S. S. libros docet ea quæ de horum auctore, materia, scopo, occasione, forma literaria aliisque, ad plenam eorum cognitionem maxime conferunt.

Hæc omnia complecti debet Introductio in S. S. ubi aliquæ harum scientiarum separatim non coluntur. Nos igitur compendiaria ratione, et respectu habito ad statum scientificum tironum, qui a suis professoribus majorem dicendorum explicationem accipient, hoc ordine disciplinam nostram delibare constituimus sequentibus sectionibus:

Prima venit Archæologia biblica, in qua Sacram Geographiam et notiones cosmologicas in S. Libris occurrentes etiam pertractabimus.

Secunda universam doctrinam canonis complectetur, atque historiam textus primigenii præcipuarumque S. S. versionum, codices manuscriptos et optimas editiones, hebraicas et græcas præsertim.

Tertia Introductionem particularem, una cum notionibus historicis ad progressum Divinæ Revelationis melius cognoscendum necessariis, et præcipue Sacrorum Scriptorum axiopistiam, seu fidem historicam pertractabit, in qua potissimus cardo S. S. tuendæ situs est, cum ex ea facillime oriatur

Quarta, quæ divinam Librorum Sacrorum inspirationem vindicabit atque tuebitur ab adversariorum difficultatibus undique petitis.

Quinta demum Sacram Hermeneuticam continebit.

Cum vero nos S. Biblia ab Ecclesia Catholica habeamus, quæ præcipua ex pertractandis jam ipsa declaravit ac fixit,

nostrum erit ostendere quomodo Scientia biblica doctrinam catholicam undequaque veram et genuinam esse demonstrat.

Circa opera consulenda aut a nobis consulta, omissis antiquis ab omnibus notis aut facile noscendis, hæc pauca nostri temporis indicare sufficiat. Inter opera divinitati S. S. adversantia, seu *criticæ negativæ*, ut vocari solent, eminent De Wette *(Introd. in V. et N. T.* germ. et gal.), Bleek *(Introd. in V. T.* germ. et gal.), Stähelin *(Spec. Introd. in libros canonicos V. T.* germ.*)*, Reuss *(Historia scriptor N. T.* germ. et gal.), Rénan (notissimus) atque ab eo laudati Nicolas (de Montauban) et Reville, Littré etiam, Eichtal, aliique galli. Inter protestantes supernaturalistas magni pretii habendi sunt Hengstenberg *(Documenta ad Introd. in V. T.* germ.), Hävernick *(Introd. in V. T.* germ.), Keil *(Manuale Introd. historico-criticæ in V. T.* germ.), Ranke, Kurtz, Delitzsch &c., et speciatim Thiersch, qui sensu fere catholico *criticam* et *authentiam* N. T. pertractavit (germanice), Tholuck *(Credibilitas historiæ evang.* germ.) Neander *(Vita Jesu*, germ.), Pressenssé *(Jesus sua vita, suum tempus.....* et alibi gall.), item alii multi ex protestantibus et catholicis adversus opus D. Rénan, postremam edit. operis Straus, Bruno Bauer, &c., plura opuscula et lucubrationes ediderunt. Catholicorum scriptorum optima opera circa disciplinam nostram sunt: in Germania, Ackerman, *Introd. in libros ss. V. T.* (script. latine), Herbst, *(Hist.-crit.-Intr. in V. T. ed. a* Welte,) Scholtz *(Intr. in ss. V. et N. T.)*, Haneberg *(Introd. in V. T.;* et *Historia Revelat. biblicæ)*, Hug, Reithmayr et Maier (*in suis Introd. in N. T.*), Reusch *(Intr. in V. T.)*, Danko *(Historia revelationis divinæ*, latine), ac demum Güntner *(Introd. in N. T.*, et *Hermeneutica sacra*, item latine), Ranolder *(Hermen. biblica generalis)*, Kohlgrueber (id. id.), aliique. In Gallia et Belgio post opus notissimum Janssens, Glaire *(Introd. in V. et N. T.)*, Valroger, *(Intr. in N. T.)* Vallon *(De fide debita Evangelio)*, Lamy *(Introductio in V., et N. T.)*, et plurimæ post Renani opus editæ lucubrationes. In Italia magni pretii habenda sunt P. Patrizzi *(De Interpret. ss. Libr.* et *De Evangeliis libri tres* aliaque) et D. Ghiringhello *(De libris historicis V. T.* et *de Libris Poëticis V. T.)* necnon *Vita di Gesu*, italice adversus Rénan scripta. Plures deinde existunt collectiones et labores magnæ utilitatis, ut *Cursus S. Scripturæ*, ed. Migne, et effemerides

scientificæ (Revistas), ut germanica *Quartalschrift*, seu *Revisio trimestralis Tubingæ;* item gallica *Revue de Theologie, Etudes religieuses* aliæque, in quibus eminent *Annales philosophiæ christianæ*, de Sacris Bibliis, archæologia et historia religiosa, de philosophia et scientiis pro religione catholica optime meriti, cum aliis pluribus quas recensere non vacat.

SECTIO PRIMA.

ARCHÆOLOGIA.

CAPUT I.

Archæologiæ notio, divisio et utilitas.

1. *Archæologia* generatim est rerum antiquarum tractatus, quo nempe populorum monumenta, ritus, consuetudines, mores, religio, scientia, artes, &c, investigantur, ad eorum civilizationem, quam vocant, et vitam universam intimius cognoscendam. Est itaque historiæ prætiosum et per necessarium supplementum, præsertim ad populi uniuscujusque scripta monumenta interpretanda. *Archæologia biblica* vero ea est quæ ad res antiquas, de quibus in Sacris Bibliis sermo est, refertur. Plura ex illa viro theologo et exegetæ commoda veniunt, scilicet: 1.° ut se in illam transferat ætatem et mores, non autem eos ad sua tempora et consuetudines trahat, atque ita omnia permisceat; 2.° ut innumeras allusiones ad ea omnia, quæ archæologia complectitur, intelligat; 3.° ut plurima argumenta solvat ex harum rerum ignorantia sæpissime orta; 4.° ut rationem capiat legum et præceptorum, quæ non populis christianis et cultioribus, sed populo hebraico erant accommodanda; 5.° ut vim argumentorum penetret, quibus genuinitas et veracitas et historicus character sacrorum librorum demonstrantur, et contrariis respondere valeat.

2. In tres partes archæologia biblica distribui commode

solet: in eam quæ de antiquitatibus hebræorum *domesticis*, quæ de antiquitatibus *politicis*, quæ demum de antiquitatibus *religiosis* agit; quibus præmitti debet terrarum, de quibus in S. Libris mentio præcipua fit, descriptio geographica. Sunt autem hæ: Regio aramæa seu Syria, Phœnice, Media, Persia, Babylonia, Arabia, Ægyptus, Terra Gessen, et Regio hebræorum; quibus addi debent regiones ab Apostolis peragratæ, ut liber Actuum Apost. et Epistolæ tum paulinæ, tum catholicæ, commodius intelligantur.

CAPUT II.

Notiones geographicæ regionum Palæstinam circumdantium.

3. *Regio aramæa*, *Aram*, seu *Syria*, lato sensu, complectebatur spatium illud, quod inter Taurum montem, Mediterraneum mare, Damascum, Babyloniam et Assyriam trans Tigridem jacebat, fere inter 39° et 50° longitudinis (a matritensi meridiano) et inter 33° et 38° latitudinis. Dividebatur autem in tres regiones: *Aram beth Rechob* sive *Assyria*, *Aram Naharaim* seu *Mesopotamia*, et *Aram* sive *Syria* sine addito, nunc *Al-Scham*, seu regio sinistra ab arabibus appellata. *Assyria*, inter Armeniam ad Septemtrionem, Mediam ad Orientem, Babyloniam ad Meridiem, et Tigridem ad Occidentem jacebat. Parvula provincia plures vicissitudines passa est, magnum imperium bis constituit ac plures vicinos populos subjugavit; a chaldæis penitus contrita, quum anno 625 ant. J. C. ejus præcipua civitas Ninive a Nabopolassare eversa fuit. Erat Ninive ad ripam Tigridis sinistram sita, fere contra Mosul, ejusque rudera nunc ab archæologis investigantur, et inscriptiones leguntur et intelliguntur, quæ sacram historiam usque adhuc in nullis lædunt, in multis confirmant et illustrant.

4. *Mesopotamia* (nunc *Al-Gezirah*, insula, *Algeciras* hisp.) sita erat inter Taurum, Tigridem et Euphratem, ejusque civitates notatu dignæ erant Edessa, Nisibe, Charræ et Ur? *Syria* proprie dicta erat inter Taurum, Mediterra-

neum, Phœnicen, Palæstinam, desertum et Euphratem. Quandoque varias divisiones passa est, et complectebatur regnum Damasci, regnum Maacha, regnum Tob, Hamath et Gesur, ad fluvium Orontem. Celeberrimæ civitates, nunc destructæ, fuerunt Baalbek seu Heliopolis, et Thadmor seu Palmyra; manent autem Damascus, Alepo et Antiochia.

5. *Phœnice* ad littora Mediterranei a 32°,50' ad 34°,26' lat. jacebat. Angusta nimis regio, sed celeberrima propter ejus culturam, opes, artem navigationis, plurimas colonias, et atrocem superstitionem. Præcipuæ civitates fuerunt Sydon et Tyrus (hebr. צידן, *piscatio*, et צור, *rupes*) de quibus plurima in historia et in prophetis; item Acre, postea dicta Ptolemaides.

6. *Media* sita erat inter Armeniam et Caspium mare ad Sept., Hircaniam et Parthiam ad Or., Susianam ad Mer. et Assyriam ad Occid. Præcipuæ civitates fuerunt Ecbatana, Rages et Gaza. In sacris libris dicitur מדי ex Madai, Japheti filio, qui eam incoluit.

7. *Persia*, prout complectebatur etiam Susianam et Elymaidem extendebatur inter Mediam et Persicum sinum, a 34° ad 27° lat., Caramaniam ad Or. et Babyloniam ad Occid. Persia propria seu *Persis* ad Orientem sita erat, ejusque metropolis Persepolis; *Susiana* ad Occid. ac præcipua civitas Susan (שׁוּשַׁן); *Elymais* aut totam Persiam designabat, aut unam ejus provinciam ad Sept. Susianæ.

8. *Babylonia* (sic dicta a metropoli Babylone seu Babel, בבל) sensu latiori finitima erat Armeniæ ad Sept., atque comprehendebat terram Senaar; strictiori vero ad Sept. confinis erat Mesopotamiæ, ad Or. Susianæ, ad Mer. Sinui Persico, et ad Occid. Arabiæ desertæ. In Scriptura vocari solet Chaldæa, vel terra Chaldæorum (כשׂדים) a potentibus Chaldæorum tribubus, quibus quædam pars ad occidentalem Euphratis partem a regibus Assyriæ concessa fuerat. Proprie dicta Chaldæa, ex Xenophonte, erat pars orientalis et meridionalis Armeniæ. Babylon sita erat ad Euphratem ad 32°,30' fere latit., ejusque rudera et monumenta scripta, sicut et Persepolis, et Korsabat seu Ninive plurimi æstimantur ab eruditis. Circa ejus situm invenitur *Borsippa*, seu *Birds—Nemrod*, a Nabucodonosore reædificata veluti templum Beli; ipsaque habetur ut *turris babelica*, quin aliquod

argumentum antiquam hanc traditionem labefactare valeat. Etiam in ejus ruderibus habentur inscriptiones cuneiformes id est, quarum literæ ac syllabæ cuneorum formam multiplici modo connexorum habent.

9. *Arabia*, ab incolis Palæstinæ *regio orientalis*, a babyloniis *occidentalis* dicta, (a) sita erat inter Babyloniam et Sinum Persicum ad Or., Erythræum mare ad Mer., Rubrum mare, Ægyptum et Galaaditidem hebræorum ad Occid., ac demum Syriam et Euphratem ad Sept. Communiter distribuitur in tres partes arabibus et hebræis ignotas: Arabiam felicem, petræam atque desertam. Prima regionem meridionalem complectitur, ibique erant Saba et Ophir; secunda tractum illum jacentem inter duos superiores maris rubri sinus (golfo de Suez y de Akabah o Elanitico), partem Ægypti superiorem et Palæstinam; tertia demum ad Orientem secundæ extendebatur usque ad Syriam et Mesopotamiam per Sept., Babyloniam et Sinum Persicum ad Or., et intercapedinem montium, qui eam ab Arabia felice segregant ad Mer. Arabia petræa in Pentateucho celebris est, ob israelitarum itinera et mansiones, in eaque sunt urbs Petra, et montes Horeb et Sinai. Hanc incolebant ad partem occidentalem et septemtrionalem *amalecitæ* et *cananæi; idumæi* vero ad meridiem Maris mortui, ubi erant montes Seir; in regione meridionali circa sinum ælaniticum *nabathæi* et *madianitæ;* in Arabia deserta degebant *ismaelitæ*, *moabitæ*, *ammonitæ*, aliique populi nomine generico *arabum*, vel *nomadum*, vel *orientalium* designati.

10. Ægyptus terminatur ad Or. Arabia petræa et mari rubro, ad Mer. Æthiopia sive Nubia, ad Occ. desertis Lybiæ, ad Sept. mari mediterraneo. Antiquissima et celeberrima regio (in Bibliis dicta *Mitsraim*, *Matsor*, terra *Cham*) Abrahami temporibus sub regibus jam degebat, etsi forte debilioribus, non secus ac illi quos ipse Abraham vincere aut cum quibus fœdera inire solebat. Civitates ejus præcipuæ fuerunt *Thebæ* sive *Diospolis* (hebr. *No*, vel *No Ammon*, prout interpretantur LXX, quamvis S. Hieronymus vertat *Alexandriam*) *Memphis* (hebr. נוֹף vel מֹף), *Tanis*

(a) Conf. 2 Par. IX, 14 et Jer. XLIX, 28; nescio tamen utrum Arabia ita dicatur in Bibliis quia *Occidentalis* est Babyloniæ, an quia *sterilis*, utrumque enim erui potest ex voce ערב.

(hebr. צֹעַן) (conf. Ezeq. XXX, 13...), ac postea Alexandria. A nonnullis creditur Tanis locus nativitatis Moysis, ab aliis Memphis; hoc certum esse debet, metropolin Pharaonis non longe fuisse á terra Gessen, ubi israelitæ degebant. Hæc autem terra Gessen, seu Goschen, verosimilius sita erat ad septemtrionalem plagam Ægypti contra Arabiam petræam, unde a LXX dicitur *Gesen Arabiæ;* et circumdabatur brachio Nili pelusiaco, mari mediterraneo et linea ducta ab Heroopoli ad *Torrentem Ægypti*, seu Rinocoluram (El-Arisch).

CAPUT III.

Geographia Palæstinæ.

11. *Chanaan*, *Terra promissa*, *Regio hebræorum*, *Regnum Juda et Israel*, *Judæa*, *Palæstina*, ac denique *Terra Sancta*, quæ diversa nomina diversis temporibus Palæstinæ donata sunt, eam regionem designat quæ a Deo posteris Abrahæ israelitis promissa fuit, aut occupari permissa, aut reipsa occupata est. Sub primo respectu claudebatur Jordane, Mari mortuo, Arabia petræa á torrente Ægypti, mediterraneo et Syria (conf. Num. XXXIV, 2...; Deut. XXXIV, 4); sub secundo respectu israelitæ jure belli occupare poterant quidquid a Mediterraneo ad Euphratem interjacet, et quatenus adjutorio Dei id completuri erant ex parte, et ab incolis regionis provocati, etiam promissum dici potest (conf. Gen. XV, 18...); sub tertio demum respectu comprehendebatur desertis regionibus Arabiæ petrææ, ubi limites nusquam bene determinati sunt, sed generatim circa 31°, 5' lat. ad Mer., terra philistinorum et Mari mediterraneo ad Occid., Phœnice, Syria Hamath et Syria Damasci ad Sept., ac deserto quod littus Euphratis ambit, torrente Arnon, cujus orientalem plagam tenuerunt *ammonitæ*, meridionalem *moabitæ*, ac denique Mari mortuo ad Orientem. Diversis igitur anfractibus circumdati erant limites omnes, sed præcipue orientales; qui etiam diversas passi sunt vicissitudines, ac temporibus Sauli, Davidis et Salomonis multo ampliores facti sunt, ita ut complecterentur etiam Syriam Damasci, pergerent usque ad Euphratem,

atque ex regione australi usque ad portum Ailath, Ælam seu Asiongaber, id est, a 28° ad 35° lat., et a 37° ad 44° long. Nihil igitur mirum si regio fertilis, potens ac florens exercitum dare poterat 1.600,000 hominum (conf. 1 Reg. XI, 8; 2 Reg. XXIV, 9; 1 Par. XXI, 5), numeratis omnibus ad bellum aptis, et forte etiam servis et iis qui recens domiti erant ex finitimis populis. Omnibus namque perpensis, universi Palæstinæ incolæ tunc temporis ad 7 vel 8.000,000 ascendere potuerunt, quod tam amplæ regioni tamque florenti nimium non est, pluresque sunt hodiernæ regiones pluribus incolis respective donatæ.

12. *Regio a Philisthæis occupata* ad occidentalem plagam tribus Judæ et meridionalem tribus Dan per littora Mediterranei extendebatur, a 31° 13' ad 31° 55' lat., ac quinque præcipuas civitates habebat: Gazam, (Ghuzzeh), Ascalon, (Asculam), Azotum, (Asdod), Geth, et Acaron, (Akir).

13. Palæstina regio est montosa et inæqualis, ita ut aquæ maris mortui inferiores sint mediterraneo 400 metris, origo Jordanis 200 metris superior, mare rubrum 2.^{m} fere etiam superior, Jerusalem 740.^{m} Hinc etiam inæqualitas temperiei, quæ in Libano est 1°, 70, in planitiebus a 15° ad 20°, circa mare a 20° ad 21° et in valle Jordanis á 21° ad 23° (temperatura media).

14. Præcipui montes sunt 1.° *Libanus* (albus) duobus jugis constans, quorum orientale, dicitur a græcis Antilibanus et vallis medius Cœlesyria, percurruntque a 33° 12' ad 34° 32' lat. Altiores montes sunt, et suis cedris celeberrimi: in Antilibano, cujus eminentissimum caput dicitur *Hermon* longe Libanum superans, erant etiam abietes et pini et perpetuæ nives, ex quibus omnibus plures tropi et figuratæ locutiones in Bibliis occurrunt. Hæ regiones nunc a *drusis* et catholicis *maronitis* incoluntur, pluresque adhuc habent cedros, sed non miræ altitudinis. Ex Antilibano decurrebant contra Damascum duo torrentes Amana et Pharphar (conf. 4 Reg. V, 12). 2.° *Carmelus* situs ad meridiem Ptolemaides et septemtrionem Doræ (promontorium facit juxta Mediterraneum ad 32° 17' lat.), tria jugera constituit, ad Sept., ad Orientem et ad Meridiem. In verticibus quercus et abietes alit, in vallibus olivas et lauros, unde visu pulcherrimus est et in tropis et poëticis Bibliorum locutionibus sæpe ad illum fiunt allusiones. Alius mons Carmelus cum urbe cognomine

erat in tribu Judæ (1 Reg. XXV, 5). 3.° *Thabor* in finibus Isachar et Zabulon, circa 32° 42' lat. et 39° 5' long. assurgit, mons elevatus, figura ovali, altitudinis 30 stadiorum, et in vertice habens planitiem 26 stadiorum in circuitu. Hîc creditur Christi transfigurationem evenisse juxta vulgatam traditionem, etsi non improbabilis opinio illam in quodam vertice Antilibani contigisse affirmet, quod ex Marci narratione satis ponderis derivat. Sub eadem fere longitudine a parte meridionali, et distantia fere 13 kilom. alius mons assurgit dictus *Hermon parvus* cui forte alluditur ps. LXXXVIII, 13. 4.°*Montes Israel*, sive *montes Ephraim* per mediam fere regionem cisjordanicam descendunt ab inferiori jugo Carmeli, et continuantur per *montes Judæ* usque ad Arabiam petræam et *montes Seïr*, seu regionem *edomitarum*. Omnium est uber solum exceptis illis montium Israel jugis quæ regionem Jordanis respiciunt, et in montibus Judæ ea quæ a monte Olivarum ad regionem jerichuntinam protenduntur, quæ aspera et salebrosa sunt, et postrema perpetuo latronibus latibula præbebant, ut ex Flav. Jos. XVI, 18; XVIII, 17; Luca X, 30 discimus. Altissimus vertex dicitur *Quarantania* (ex jejunio J. C., olim *Saxum Remmon* (Jud. XX, 45, 47.) ad Occ. Jericho fere 5 1/2 kilom. distans. Montes *Ebal* et *Garicim* sola valle dividebantur, ille ad aquilonem, hic ad austrum Sichem circa 32° 13' lat. (conf. Deut. XXVII et Jos. VIII, 30...) *Montes Gelboë* in tribu Isachar, inter 32° 25' et 22° 35', monte Sauli et Jonathæ celebres. In iis omnibus montibus frequentes erant specus et cavernæ, de quibus pluries in Scripturis mentio fit; in illis etiam latibula vel loca munita adversus hostes invenire solebant israelitæ; unde frequentes tropi ex iis desumuntur. Denique inter horum montium celeberrima juga dignum memoria est mons *Moria*, supra quem ædificatum est templum, mons *Sion*, mons *Olivarum* et *Calvarius* (qui forte non mons elevatus erat, sed *locus* nudus ubi rei capite plecti solebant; nec quisquam evangelistarum *montem* eum dicit). 5.° *Montes Galaad* trans Jordanem ab Antilibano descendunt usque in Arabiam petræam. Septemtrionales dicuntur *Basan*, a quercubus, pascuis et pecoribus celebres; medii dicebantur nude *montes Galaad;* meridionales *Abarim*, in quibus eminebant *Phegor* contra Jerichuntem, mons *Nebo*, aliique inferiores usque ad Idumæam ubi erat mons *Hor*, morte Aaronis celebris.

15. Planities Palæstinæ celebriores fuerunt: *Regio maritima*, a torrente Ægypti usque ad Carmelum, cujus ea pars quæ inter Gazam et Joppen jacet, dicta fuit simpliciter *planities* (Sephelah, tierra baja) et a Philisthæis occupata erat; quæ vero a Joppe ad Carmelum extenditur, planities *Saron* dicebatur, distinguenda ab alia Saron inter Thaborem et lacum Gennesareth sita, et alia in tribu Gad, trans Jordanem, a pascuis celebri. Planities *Jezrael* seu *Esdrelon* a montibus Carmeli et Mediterraneo usque ad Jordanem e lacu Gennesareth egredientem extenditur, et ubertate soli ilustris erat. Ejus pars orientalis appellabatur Saron, occidentalis Mageddo. *Regio Jordanis* utraque ejus littora comprehendit a lacu Gennesareth ad Mare mortuum, cujus pars erat *planities jerichuntina*, fonte rigata, supra Mare mortuum; *vallis salinarum* ad ejusdem maris meridiem (et ante ejus formationem in ipso loco); demum trans Jordanem erant *campestria Moab*, quæ Núm. XXV, 1. et Jos. II, 1; III. 1. dicuntur *Vallis Acaciarum* (vulg. Setim).

16. Valles plures numerantur in Palæstina, quarum celebriores fuerunt *vallis Seboim* (hienarum) 1 Reg. XIII, 18, in tribu Benjamin; *vallis viatorum*, (Ezeq. XXXIX, 11) ad Orientem lacus Gennesareth; *vallis Sephata* (2 Par. XIV, 10) in planitie tribus Judæ; *vallis salis* vel *salinarum* est planities ejusdem nominis; *vallis Terebinthi* (1 Reg. XVII, 2) devicto Goliath a Davide celebris; *vallis Josaphat* (Joel III, 2, hebr. IV, 2, 12) inter Hierosolymam et montem olivarum; *vallis Ennon*, vel *Filiorum Ennon*, vel *Thopheth* (a).

17. Sylvas plurimas in Palæstina fuisse ex universis Bibliis constat, sicut et ubertas terræ bene cultæ; etsi innumeræ devastationes, quas passa est, et turcarum eam incolentium barbaries, et arbores fere universim, et soli ubertatem maxima ex parte evanescere fecerint. Contrariæ objectiones voltairianæ nonnisi stupidam ignorantiam produnt,

(a) Hebr. גי הנם unde *gehenna* N. T., ad meridiem Solymorum, inter tribum Juda et Benjamin, in quo pueri igni tradebantur deo Moloch, unde derivant eruditi vocabulum *Thopheth* (sivè a *toph* תף tympanum, arab. duffon, hisp. ant. adufe=pandero, quia, inquiunt, tympanis ludebant, ne puerorum clamores audirentur; sivè a *tophet* תפרת, sputum, quasi *exsecranda res;* sivè demum a *taphtheh* תפתה locus combustionis, adeoque *sepulcretum*.)

nec seriam discussionem merentur. Præcipuæ Sylvæ in Scripturis laudatæ sunt: 1.° Sylva cedrorum in Libano; 2.° abietum et pinuum in Antilibano; 3.° quercuum in Basan (conf. Zach. XI, 2); 4.° Sylva Ephraim non penitus ab ephraimitis exscissa (comp. Jos. XVII, 15 cum 2 Reg. XVIII, 6, 8, 17); 5.° Sylva inter Benjamin et Juda, ad urbem Baala, quæ etiam dicitur *urbs sylvarum*; 6.° Sylva Haret, admodum ampla, in tribu Juda (1 Reg. XXII, 5; XXIII, 14); Fruticeta lacus Merom et Jordanis, dicta *celsitudo* sive *gloria Jordanis*. (Zach. XI, 3; Jer. XII, 5; XLIX, 19). &c.

18. Deserta dicuntur in Bibliis quæcumque loca vegetatione carentia, aut tantum illiberalibus herbis, vix parcum ovibus, capris et camelis pastum præbentibus, donata, sive plana et arenosa sint, sive montosa, nec rivulis destituta. Hinc jam intelligitur quare in Bibliis mentio fiat de montibus, rupibus, cavernis et speluncis in locis desertis: quod vix conciperetur animo, si deserta omnia nobis fingeremus veluti immensas planities arenis mobilibus refertas, aqua et vegetatione omni carentes, nisi forte aliquibus in locis, ubi nomades et peregrini ad extinguendam sitim et pastum camelis præstandum convenire solent (oasis). Ita quidem se res habet in desertis pluribus, de quibus mentionem Sacræ Literæ faciunt, præsertim in desertis Arabiæ, sed non omnia hujus generis sunt; unde antiquitus etiam nonnulli viculi et oppida fuerunt (Jos. XV, 61-62; 1 Reg. XXIII, 19). Celeberrimum est *desertum Juda*, ita dictum, quia in tribu Juda incipiebat ab urbe Thecua (8 kilom. ad Mer. Bethlehemi) et per Arabiam ad sinum Persicum usque protendebatur, et dein in littore Euphratis versus Sept. ultra urbem Bir procurrit. Hujus magni deserti partes sunt in tribu Juda, a Mer. versus Sept., desertum *Engaddi*, *Maon*, *Carmeli*, *Ziph*, *Thecuæ*, *Jericho*, ac demum *Betaven*: omnia in tribu Juda præter ultimum quod pars fuisse videtur montium Ephraim.

CAPUT IV.

Hydrographia Palæstinæ ejusdemque temperies.

19. Fluvius, qui proprie talis haberi possit in Palæstina, unicus est *Jordanis*, qui originem sumit ex diversis rivulis, fontibus et torrentibus montis Libani et Antilibani, quibus alii postea accedunt antequam in Mare mortuum fluat. Vulgaris opinio est ex lacu Phiala per meatus subterraneos primum ortum ducere circa Panneadem seu Cæsaream Philippi (uterque locus fere ad 33°15' lat.); sed supra locum istum per 50 fere kilom. ex Cœlesyria jam descendit. Inter 33°6' et 33°10' constituit lacum *Merom*, ad Or. Nephtali (8 fere kilom. longum, 4 latum); post decurrit usque ad 32°53', ubi ingreditur lacum *Gennesareth*, *Mare Tiberiadis*, vel *Mare Galilææ* (21 kilom. fere longum, 14 latum, in N. T. notissimum et piscibus abundans); irrigat dein limites orientales Zabulon, Isachar et Manasses occid., Ephraim et Benjamin, ac demum in *Mare mortuum* ingreditur ad 31°47' lat.

Vocabulum *Jordan* (nunc *Scheriat el Kebir*, vel *Ardan*) significat juxta aliquos *flumen Dan*, juxta alios simpliciter *flumen*, juxta alios denique *rapidum*. A dimidio Aprili intumescit propter Libani et Antilibani nivium liquationem, et alveum profundiorem (70 vel 80 pedum latitudinis, 10 aut 12 altitudinis contra Jerichuntem) prætergreditur, aliumque implet latiorem, pro diversa soli dispositione.

20. *Mare Mortuum*, *Orientale*, *Mare Salis*, *Mare Salsissimum*, *Mare Siddim seu Sodomæ*, ac *Lacus Asphaltites* dictum, celeberrimum est, et variis de causis notatu dignum. Longitudinis habet 72 kilom. ab aquilone ad meridiem, latitudinis (fere æqualis excepta parva peninsula ad Orientem, quæ nunc dicitur *El-Lizan*) 17 ad 20 kilom. Aquæ illius *sale*, *bitumine* (asfalto) abundant, una cum 0,0035 *potasæ*, ac tantumdem *bromi*.

Hæc corpora non æqualiter in toto lacus aquis mixta sunt, sed diverse in diversis locis; unde, cum nulli vivere possint pisces in omni fere lacu, tamen ad Septemtrionem Sodomæ vivunt pisces familiæ *Cyprinodon*, qui alio trasvecti pereunt. Aquæ Europam summa cura

asportatæ odorem fœtidum dant, ob vapores illius corporis qui dicitur *hydrogenum sulphuratum*; diversamque ostendunt densitatem, juxta locum ex quo desumptæ sunt (nempe ab 1,02 ad 1,16 in superficie; ab 1,22 in altitudine 100 metr. ad 1,25 in 300 metr. profunditatis). Jam adnotavimus hujus maris superficiem 400 metris inferiorem esse illa Mediterranei, totidemque fere Maris Rubri; unde etsi montium juga a Libano ad Mare Rubrum non ejusdem *formationis*, ut dicunt, essent, nec duplicem aquis descensum offerrent, alterum ad meridiem, alterum ad aquilonem, (quod tamen verum est, hocque fit circa 30°20' latit. media circiter via inter Mare Mortuum et Rubrum); sola circunstantia tantæ depressionis, non in aquis Maris Mortui tantum, sed in alveo Jordanis et terra contigua, saltem circa regionem jerichuntinam, impediret quominus admittere possemus vulgatam opinionem, Jordanem nempe in Sinum Elaniticum descendisse ante quam civitates Pentapoleos corruerent. Igitur ante hunc cataclysmum aut jam erat lacus minor in harum civitatum terminis, aut aquæ Jordanis diversis rivulis distractæ ad camporum irrigationem, evanescebant mediante soli imbibitione et evaporatione, vel denique lacus jam subterraneus erat crusta terrestri tectus, qui remanentes aquas absorbebat, et per incognitos meatus inferiores dissipabat. Hæ quidem hypoteses nec absurdæ sunt, nec Sacris Libris repugnantes, sed illis potius congruunt, ut ex attenta lectione Gen. XIII, 10...; XIV, 3, 10 constat, ubi sermo est ed puteis bituminis, quos incendit ignis de cœlo a Deo missus ad illas civitates et regionem destruendam.

21. Reliqui Palæstinæ fluvii vel potius torrentes aut rivuli sunt: in meridionalem regionem Maris Mortui descendentes rivi Septemtrionem versus *El Fukreh*, *Tufileh*, *el Kurahy* (Zared); ex regione orientali *Kuneyeh*, *Kerak*, *El Mudjeb*, (Arnon, 31° 29' lat.); ex eadem regione in Jordanum descendunt *El Nimrim*, *Zurka* (Jabok, 32° 15' lat.), *Rajib* (tribus fere kilom. supra), flumen *Yarmuk* vel *Mandhur* (Hieromax, ex montibus Basan in Jordanum currit 8 fere kilom. ad meridiem Maris Galilææ); denique ex occidentali plaga plures rivuli nullius prope nominis in Jordanem descendunt, et in Mare Mortuum tantum Torrens Cedron per Hierosolymas transiens et in æstate evanescens. Qui in Mediterraneum veniunt sunt: *Torrens Ægypti* (el Arisch, ubi erat Rinocolura, 31° 2' lat.), *Besor* (Scheriah) circa Gazam transiens, torrens *Botri* (Simsim) per civitatem Ascalon fluens, torrens *Philisthinorum* (31° 56' lat.), *Nahr Aujed*, 8 fere kilom. ad Sept. Jaffæ seu Joppe, Torrens *Arundineti* ad Mer. Cæsareæ,

torrens *Kison* ad Sept. Carmeli, torrens *Belus*, a prima vitri fabricatione celebris, contra Akka, Acre vel Ptolemaidem, aliique non pauci fere ignoti.

22. Temperies Palestinæ, diversa pro diversis locis, ita generatim describi potest, juxta consuetudinem orientalium distribuendi anni tempora in sex partes: 1.ª a dimidio Aprili ad dimidium Junium, tempus est messis; 2.ª usque ad dimidium Augusti, tempus est frugum; 3.ª ad dimidium Octobris, quo incipiunt pluviæ autumnales ad sementem necessariæ. In iis tribus anni temporibus gradatim crescit calor, ad finem nimius, unde terra arescit et hiatus facit; quare pluvia sementis, quæ dicitur *prima*, et *matutina* valde desiderata erat, et typus beneficiorum et misericordiæ divinæ, una cum rore, qui aliquo modo eam supplet. Aeris immutationes, pluviæ et tonitrua rariora sunt usque ad dimidium Septembris; quod contra evenit in reliquis anni temporibus, præsertim 5.ª et 6.ª, quæ aliquanto frigori subjectæ sunt, ita ut nives, nebulæ, pruinæ, frequentiores sint usque ad dimidium Aprilem; antea tamen pluvia *posterior* seu *serotina*, ad messium complementum necessaria descendit.

23. Memorandæ etiam sunt calamitates physicæ Palæstinæ, ex quibus plurimi in Scripturis tropi elegantes et figuratæ locutiones sumuntur, nempe: pestis frequens, terræ motus, tonitrua, fulgura, grandines, cataractæ aquarum ac magnæ inundationes, agmina locustarum omnia vastantium (pulcherrimam descriptionem habes Joel cap. I.), fames non levis ex præcedentibus calamitatibus aut pluviarum defectu orta, denique ventus terribilis *Simoun* appellatus, in Scriptura vero communius *Ventus urens*, qui quandoque brevibus momentis spirat, et animantia et homines occidit (a).

(a) Hebr. זלעפרת vulg. *Spiritus procellarum* Ps. X, 7; רוח צח Jer. IV, 11 arab. *Samum;* id est, venenosus. Proprie in arabica regione frequens est, sed vix in Palæstina dominatur.

CAPUT V.

Divisiones quibus Palæstina diversis ætatibus subjecta est.

24. Quum Palæstinam hebræi armorum vi et Dei adjutorio occuparunt, plures populi de progenie Cham et Chanaan eam incolebant; difficile vero est, quam quisque partem possideret, accuratius determinare. Hi generico nomine *chananæi* vocabantur, jamque ibi erant quando Abraham illuc pervenit, numeroque undecim, ex totidem filiis Chanaan, si Philisthini iidem sunt ac Jebusæi, ut asserit Glaire, et non potius nepotes Mitsraim (conf. Gen. X, 14). Ex iis *Sidonii* tenuerunt Phœnicem (vide supra); *Hethæi* (ex Get חת) possidebant Dor, Aphec, Jezrael, Mageddo, Galgal, Sarona et Gazer; Jebusæi יבוסי) Jerusalem, Lachis, Geth, Accaron, Azotum, Askalon, Gaza, Gerara et Dabir (hæc 8 si iidem sunt cum Philisthinis); Amorræi (אמורי) Nabba, Hesebon, Bosor et Ramoth Galaad; *Gergesæi* (גרגשי) Damascum, Machati, Gesur, Soba, Theman, Astharath et Adra; Hevæi (חוי) Jericho, Hai, Bethel, Gabaa, Lebna, Macedo et Bezer; Araci (ערקי) Esebon, Madian et Petra; *Sini* (סיני) Sodoma, Adama, Gomorrha, Seboim et Segor; *Aradi* (ארודי) Arad, Herimoth, Hebron, Odolla et Eglon; *Samaræi* (צמורי) in regione qua fuerunt Samaria, Taphua, Thersa et Tanai; *Amathi* (חמתי) Semeron, Cedes, Asor et Amath; *Pheresæi* denique, gens etiam chananæa, habitaverunt Amalec et Bostra. (Hæc ex Janssens et Glaire desumpsimus, nec plane illis confidimus. Nomina hebr. ex Gen. X, 15....., ubi patronimica sunt).

25. Subjecta regione in duodecim partes divisa fuit juxta numerum tribuum (domus namque Josephi in duas tribus distincta fuit, et Levi nullam sortem obtinuit, præter 48 civitates hac illac dispersas), earum vero limites non prorsus certi sunt. Quare hic dabimus duodecim tribuum

relativum situm, adhibitis consuetis geographicis signis, brevitatis gratia. *Tribus Ruben* habuit ad N. Gad, ad E. et S. torrentem Arnon, ad O. Mare Mortuum et Jordanem. Trans Arnonem degebant Moabitæ ad S. et Ammonitæ ad E. *Tribus Gad* ad N. dimidiam tribum Manasses ultrajordanicam, ad E. Amonitas, ad S. Ruben, ad O. Jordanum; per hujus littus orientale assurgebat, angusto licet tractu, usque ad Mare Galilææ. *Tribus Manasses* orientalis, ad N. Antilibanum, ad E. Batanæam et montes Auranitidis, ad S. Gad, ad O. Jordanum superiorem a Lacu Gennesareth. Cis Jordanem sitæ erant: *Tribus Simeon*, habens ad N. Juda, ad S. E. regionem Idumæorum, ad S. O. Amalecitas, ad O. Philisthæos. *Tribus Juda*, ad N. Benjamin, ad E. Mare Mortuum, ad S. Idumæam et Simeon, ad O. Philisthæos. *Tribus Dan*, ad N. Ephraim, ad E. Benjamin, ad S. E. Juda, ad S. O. Philisthæos, ad O. Mediterraneum. *Tribus Benjamin*, ad N. Ephraim, ad E. Jordanum, ad S. Juda, ad O. Dan. *Tribus Ephraim*, ad N. Manasses occidentalem, ad E. Jordanum, ad S. Benjamin et Dan, ad O. Mediterraneum. *Tribus Manasses occidentalis*, ad N. Issachar, ad E. Jordanum, ad S. Ephraim, ad O. Mediterraneum. *Tribus Issachar*, ad N. Zabulon, ad E. Jordanum, ad S. et S. O. Manasses, ad N. O. fere usque ad Mediterraneum extendebatur, supra Carmeli inferius jugum. *Tribus Zabulon*, ad N. Asser et Nephtalim, ad E. lacum Gennesareth et Jordanum, ad S. Issachar, ad O. iterum Asser. *Tribus Nephtali*, ad N. Libanum et Cœlesyriam, ad E. Jordanum, ad S. Zabulon, ad O. Asser. *Tribus Asser*, ad N. Libanum, ad E. Nepthalim, ad S. E. Zabulon, ad S. Carmelum, ad O. Phœnicem.

26. Præcipuæ earum civitates (omissis plurimis quæ videri posunt Josue cap. XV ad XIX, civitates refugii cap. XX, et leviticæ cap. XXI) hæ sunt: in Ruben, *Hesebon*, *Aroer*, *Adom*, *Bosor;* in Gad: *Manaim*, *Lucoth*, *Beth-Bera* [*Betabara*], *Ramoth*, *Maspha*, *Thesbe;* in Manasse orientali: *Astaroth-Carnaim*, *Nobe*, *Gaulon*, *Bosra*, *Jabes-Galaad;* in Simeon: *Beer-Sabe*, *Horma*, *Siceleg*: in Juda: *Jerimoth*, *Lachis*, *Lebna*, *Maceda*, *Odollam*, *Eglon*, *Dabir*, *Hebron*, *Cariathiarim*, *Bethsames*, *Bethlehem Engaddi;* in Dan: *Thamnath*, *Joppe*, *Aialon*; in Benjamin: *Jerusalem* (antea *Jebus*), *Gabaon*, *Machmas*, *Galgala*, *Bethel*, *Haï*, *Jericho;* in Ephraim: *Sichem*, *Galgal? Saron*, *Silo*, *Bethoron*, *Ra-*

math-Sophim; in Manasse occidentali: *Dor* vel *Dora*, *Mageddo*, *Thersa*, *Endor*, postea fuerunt *Samaria* et *Cæsarea;* in Issachar: *Jezrael*, *Aphec*, *Sunam;* in Zabulon: *Bethulia*, *Cartha*, *Naalol*, *Capharnaum*, *Cana*, *Magdala*, *Nazareth*, *Sephoris*, *Tiberias* sive *Cæsarea Philippi;* in Nephtali: *Emath*, *Lais* vel *Dan*, *Panium;* in Asser: *Cana major*, *Aphec*, *Acco* (postea *Ptolemais* et *S. Juan de Acre*).

27. Ætate Christi distributa erat hebræorum regio in transjordanicam et cisjordanicam. Hæc rursus in Galilæam, Samariam et Judæam. Prima erat pars septemtrionalis a Syria ad lacum Gennesareth et planitiem Esdrelon decurrens, ejus vero pars superior dicebatur *Galilæa gentium*, eo quod multi gentilium cum hebræis ibi degebant.

Samaria descendebat a monte Carmelo et planitie Jezrael ad Jordanem, unde declinabat ad S. O. usque Bethel, inde ascendebat ad O. contra Gazam, nec tamen Mediterraneum pertingebat, sed angustum terræ tractum ad Carmelum usque relinquebat

Judææ ad maris littus. Judæa regionem Palæstinæ meridionalem occupabat a finibus Samariæ descriptis ad desertum Arabiæ, terramque Philisthinorum complectebatur.

Regio ultrajordanica seu Peræa continebat: 1.° *Peræam propriam* ab Arnone ad Jaboc; 2.° *Regionem Galaad*, ad Septemtrionem Jaboc; 3.° *Decapolim*, quæ decem civitates habebat partim cis partim ultra Jordanem, erantque Bethsan, in tribu Issachar, Philadelphia, Raphana, Gadara, Hippos, Dion, Pella, Gerasa (ex qua tota regio quandoque dicta fuit *regio gerasenorum* Mar. V. 1), Canatha et Damascus. Hæc ex testimonio Plinii. 4.° *Gaulonitidem* ab Jordane et lacu Gennesareth ad montes Hermon; 5.° *Bathanæam* ad or. Decapoleos et mer. Trachonitidis; 6.° *Auranitidem* et *Ituræam* ad or. Gaulonitidis; 7.° *Trachonitidem* ad or. præcedentium; 8.° demum *Abilenem* quæ ad Phœnicem et Libanum sita erat pluresque vices passa est, quarum historia satis implicata in Fl. Josepho lucem accipit a S. Luca (cap. III), quin vera inter eos contrarietas sit, ut demonstrarunt Vallon et Ghiringhello.

CAPUT VI.

Delineatio brevis regionum quas apostolus Paulus peragravit.

28. Regiones ab Apostolis peragratæ, de quibus potissima in Actis mentio fit, sunt (præter Palæstinam et Syriam): 1.° *insula Cyprus* in Mediterraneo sita (inter 36° et 38° long. et inter 34° 40' et 35° 15' lat.), habebatque Salaminam in orientali regione et Paphum in occidentali. 2.° *Asia minor* pluribus regionibus tunc distincta, nempe: in regione orientali ab aquilone ad meridiem comprehendebat *Pontum*, *Capadociam*, et *Ciliciam* (unde erat Paulus ex metropoli Tarso). Ad O. harum regionum item ab aquilone ad austrum *Paphlagoniam*, *Galatiam*, *Phrygiam*, *Pisidiam*, *Pamphyliam*. In regione occidentali, ad O. Pamphyliæ: *Liciam*, *Cariam*, *Lidiam* (ubi erat Ephesus, cujus regio dicitur simpliciter Asia), *Misiam* (ubi Troades), *Bythiniam*, omnes ad Helesponti littora, ab austro ad aquilonem. Civitates præcipuæ Asiæ minoris in Actis, Epistolis et Apocalypsi occurrentes sunt: *Tarsus*, in Cilicia; *Perga* Pamphyliæ; *Antiochia* Pisidiæ; *Iconium* in Licaonia, provincia Phrygiæ, ubi erant etiam *Listræ* et *Derbe; Colossæ* et *Laodicea* in Phrigia ad S. O.; *Miletus* in Caria; *Ephesus*, *Smyrna*, *Thyatira* et *Sardes* in Lidia; *Pergamus* et *Troade* in Misia. *Pathmos* erat parva insula Hellesponti contra ostia Meandri, ad 37° 30' lat. et 30° 15' fere long., in ea Joannes Apocalypsim vidit.

29. 3.° *Macedonia*, inter 40° et 42° 20' lat. ac 24° 30' et 28° 20' long., ad S. E. habebat Ægæum Mare, a quo non longe distabant *Philippi*, *Thessalonica*, *Beræa*. 4.° *Græcia* inter Ægæum et Jonium Mare: ejus præcipuæ civitates ubi Paulus prædicavit erant *Athenæ* et *Corinthus*, utraque juxta Mare. 5.° *Creta* insula, inter 27° et 30' long., 34° 50' et 35° 40' lat. 6.° In navigatione Pauli Romam versus, post relictam Cretam, mentio fit *Adriæ*, quod non erat tantum Mare Adriaticum proprium, sed complectebatur, juxta Strabonem, totum Mare Jonium; unde, cum ad S. O. ferrentur venti-

bus, venerunt *Melitam* insulam, ubi naufragium passi sunt; atque rursum navigantes ad N. venerunt *Syracusam*, in regione orientali Siciliæ, tunc *Rhegium* in Abrutio, dein *Puteolos* in Campania non longe a Neapoli, demum pedestri itinere per *Apii Forum* ac *Tresabernas* venerunt *Romam*.

CAPUT VII.

Hebræorum domicilia, earum origo et progressus. Ars judaica.

30. Prima hominum domicilia verosimilius fuerunt ex lignis et arborum ramis confecta, vel ab ipsa natura oblata. Jabel (Gen. IV, 20) pater dicitur *habitantium in tentoriis*; Cainus antea civitatem construxit, nempe tabernacula, aut tentoria, aut etiam specus vallo clausit contra ceterorum hominum atque ferarum incursum. In specubus habitantes plurimi fuerunt et adhuc sunt, dicti troglodytæ, quorum multi in Bibliis occurrunt, inter quos Zamzumim, Rephaim et Nephilim, procerrimæ staturæ, ab hebræis devicti. Progressu temporis specus in Palæstinæ montibus frequentes, mortuis domicilium præbuerunt, et etiam necromanticis superstionibus; unde postea putabantur dæmonum domicilia, et feris refugium obtulerunt. *Tabernacula* prima ex ramis, frondibus, herbis, calamis, pellibus et aliquibus magnis lapidibus, humiliora tuguria fuerunt; quibus tamen, cum transferri a nomadibus non possent, successere *Tentoria* mobilia, pellibus circa perticam extentis formata, et facile transferenda; quibus adhuc utuntur magis minusve elegantioribus et ornatis pro domini conditione. Arabes tentoria diversi nominis et magnitudinis in locis editioribus locare consueverunt, quæ nigris pellibus tecta, pulchrum in desertis spectaculum præbent (Cant. I, 4); in earum omnium centro locatur tentorium ducis (El-Emir), unde hebræi vagantes in deserto *tabernaculum Dei*, eorum ducis, in medio locabant. Spatium a tabernaculis circumdatum destinatum erat gregibus, quos canes custodiebant et pastores vigilantes. Tentoria divitum tribus diversoriis constant, in quorum primo famuli et servi habitant, (at-

que etiam si minus divites sint, agni a matribus segregati, capellæ, vituli, imo equi et cameli), in secundo mares, in tertio feminæ (arab. dicitur *cobah*, hisp. *alcoba*, sed potentissimi aliud tentorium habent mulieribus destinatum quod Harem audit).

31. Quo tempore inceperint homines domus ex lapidibus et lateribus construere non constat, sed nulla est ratio quæ id ante diluvium non factum fuisse demonstret. Nec probare quidem possum quæ vulgo dicuntur de lento progressu, quo homines ex naturalibus arborum nexibus et petrarum cavernis paulatim didicerunt sua tuguriola, dein tentoria ac demum veras domos construere. Hæc lusus imaginationis sunt, nam homines certo alia valde difficiliora noverant, quin proprio ingenio et plurium sæculorum experientia didicissent. Non quod omnia a Deo acceperint modo supernaturali; sed acceperunt certe quæ ad vitam socialem et religiosam pertinent, acceperunt et linguam; hæc autem valde sunt difficiliora, quam domus lapidea vel terrea. Non est itaque de primis hominibus ratiocinandum sicut facere consueverunt, qui homines e terra natos, veluti fungos, cogitant; sed plura et profundiora scientiarum et artium elementa acceperunt; unde jam Tubalcain erat *malleator in cunctis operibus æris et ferri* (Gen. IV, 22), quod quomodo a natura didicerit plane non video. Hinc etiam novimus quare Noemus arcam construere valuit tribus contignationibus immensam molem et maximæ aquarum vi resistentem, atque etiam cur in remotissima historia appareant civitates, muri, turres, in primis turris babelica, quam construxerunt homines *habentes latera pro lapidibus, et bitumen pro cæmento*. Quod autem hebræi etiam artem constructionis scirent ingredientes Palæstinam, nullum dubium esse potest, cum in Ægypto domus et civitates construxerint, et habitationes fixas ubique viderint. Immo ars constructionis judaica saltem posterioribus temporibus, proprium characterem habuisse verosimillimum est et hodie fere demonstratum, ita ut *ars judaica* dici possit, cui propria elementa et subsidia contulerunt *ars ægyptia, phœnicia*, et *babylonica*; posterioribus denique temporibus omnia ordine græco et romano ab Herodibus constructa sunt. Incertum aliunde est quando cœperint hebræi magnas et elegantiores domus construere: certe tempore regum et domus, et palatia (Jer. XXII, 14), et domus *hiemales* et *æstivas* (Amos III, 15) habuerunt, et sepulcrha superba et aquæductus.

32. Domorum vero forma inter hebræos ex ea, quæ adhuc in Palæstina et vicinis aut affinibus populis conspicitur, et nonnullis allusionibus in Bibliis occurrentibus describi solet; sed plerumque hæ descriptiones ad magnas domus,

saltem in multis, referuntur. Erant itaque forma quadrata, tectis planis aggesta terra aut alio firmiori pavimento compositis, paululum inclinatis, ubi quædam herbæ crescere solebant et brevi arescebant (Ps. CXXVIII, 6), quo homines frequenter ascendere solebant ad aërem aspirandum, orandum, aspiciendum, manducandum, dormiendum, colloquendum &c., quod ex regionis callidæ natura provenit et adhuc servatur. Hæc tecta cingebantur *lorica* seu *muro* (pretil) ne quis decideret, et hæc est fortasse quam viri illi demoliti sunt, qui paraliticum ad Jesum adduxerunt (Mar. II, 4; Luc. V, 19), nisi intelligere mallis *crasum pannum*, quo atria contegi solebant, ad solis ardores vitandos; imo fortasse pannus hic ipsi loricæ alligatus erat. Janua domus in medio frontis ædificii erat in qua inscriptiones quædam insculpi consueverant (Deut. VI, 9; XI, 20) ut adhuc arabes faciunt; post eam *vestibulum* quadratum (zaguan) humili sedili præditum (poyo, banco de tierra) inveniebatur, penes quem erant gradus ad superiorem domus partem ducentes et ad tectum. Post vestibulum erat *impluvium* seu *area* quadrata, pavimento marmoreo et fonte in medio erumpente quandoque donata (patio), ex quatuor lateribus habitationibus domus circumdata, ubi etiam erat porticus in secunda contignatione, columnis sustentatus et cancellis munitus (corredor, balcon); unde plures fiunt allusiones ad columnas (4 Reg. I, 2; Prov. IX, 1; Gal. II, 9; 1 Tim. III, 15). Post impluvium habitabant feminæ, ab ancillis et eunuchis nigris servatæ, quarum cubicula ad hortum in posteriori parte situm respicere solebant. Potentissimi domus habebant mulieribus destinatas (a). In magnis domibus *œcus* quidam erat (salon) a fronte ad impluvium, et in utraque parte vestibulo ornatus (balcon, corredor) ita dispositus, ut columnis sustentaretur et cancellis claudi posset; ut ille erat de quo in passione Domini mentio fit. Aliquæ etiam domus cubiculum habebant supra tectum, cujus erat usus solitudini vacare, aut orare, aut peregrinum excipere, duosque ascensus habebat, alterum ad tectum planum, alterum secretum ad porticum, vel ad viam (conf. pro iis duobus domo-

(a) Harem, אַרְמוֹן juxta aliquos, juxta alios vero יַרְכְּתֵי הַבַּיִת Amos VI, 10; ps. CXXVII, 3, vulg. *penetralia* et *latera domus;* primum improbabile est.

rum partibus Mat. XXVI, 69 coll. Luc. XXII, 61, 62; 3 Reg. VII, 7; Esth. V, 1; 3 Reg. XVII, 19; 4 Reg. IV, 10; Act. Apost. IX, 37, 39; Jud. III, 20-25). *Fores et fenestræ* a communibus vix distinguebantur et super cardines, qui et *axiculi* et *foramen* dicuntur, movebantur (Prov. XXVI, 14); illarum tamen claudendarum et aperiendarum ratio rudior erat, et in *sera*, *repagulo* sive *pessulo* consistebat, qui loro vel duobus loris a parte externa in suum locum collocabatur vel ab eo amovebatur, adhibita longa et lignea clavi in modum falcis disposita. Hinc locutio *solvendi* et *ligandi* pro *aperiendi* et *claudendi*, et metaphorice, *auctoritatem exercendi*, quia major domus regiæ claves super humeros portare solebat (Is. XXII, 20-22). Foramen ad introducendam clavem aliquando latius erat, et manum capiebat, qua pessulus amoveri posset. (Cant. V, 4).

33. Ædificiorum materia erant lapides et lateres sole vel igne exsicati. In potentiorum palatiis, turribus, muris &c. lapides erant grandiores, cœmento conjuncti, vel ferro, vel absque aliqua alia re (quæ posterior constructionis ratio dicitur *cyclopica*): quandoque marmora, æs, argentum et aurum in ornamentum adhibebantur; ligna vero erant sicomori, acaciæ, palmæ, in primis pro columnis et pro tignis transversis, abietes, oleastri, cedri, ornabanturque figuris, argento &c., et in magnificentissimis domibus laquearia constituebant (Agg. I, 4; Jer. XXII, 14). Quæ ebore ornabantur dicuntur *domus eburneæ;* quæ cedris abundabant *domus Libani* (3 Reg. VII, 2) (a).

34. Supellex domestica antiquitus parva erat, quin tamen deessent *mola manuaria* et *furnus* (Lev. XXVI, 26; Deut. XXIV, 6), *ollæ*, *cacabi*, *patinæ*, *utres*, *urcei*, *pateræ*, *lectisternia* vilioria vel prætiosiora, quæ saltem posterius eam formam receperunt, quæ tum sedendo tum accumbendo accommodata est (divan, sofá). Brevis supellex describitur (4 Reg. IV, 10): «*Lectum*, *sellam*, *mensam* et *candelabrum*.» Antiquitus tamen, et pauperes semper, super humum cubabant pelle vel panno extento, et lapide pro pulvinare.

35. Ex plurium domorum conjunctione eficitur *pagus*,

(a) Aliquando vero dicuntur *domus eburneæ* capsæ quædam ubi unguenta, res odoriferæ et fuci feminarum servabantur (conf. ps. XLIV, 9).

oppidum, *urbs*, quæ sæpe muris circumdabantur, et quandoque grandiores erant, ita ut Haï, quæ perhibetur parva, duodecim millia hominum ocissa fuerint a Josue; et omnes norunt quantæ amplitudinis esse debuerit Jerusalem, ut tot hominum millia capere posset. Domus ut plurimum separatæ erant, et viæ oppidorum et urbium angustissimæ, ut vix metrum amplitudinis haberent; quandoque tamen ampliores erant et currus per eas agebantur. Plateæ in illis intra vel extra muros erant, ubi mercatura ab hominibus semper, numquam a feminis agebatur, atque peregrini quiescebant, populus denique convenire solebat, præsertim ad portas civitatis.

CAPUT VIII.

De nomadibus.

36. Quoniam hebræorum parentes nomadum vitam egerunt, et ad hujus mores frequentissimæ allusiones in Bibliis sunt, nonnulla tradere debemus desumpta ex ipsa Scriptura et descriptionibus itinerantium, circa vitam et mores hodiernorum nomadum in Africa, desertis Arabiæ ipsaque Palæstina adhuc degentium, quibus biblicæ narrationes et allusiones melius percipiantur. Dicuntur itaque *nomades* tribus illæ et populi, qui nullum domicilium fixum habentes, huc illuc vagantur cum uxoribus, familia, tentoriis totaque suppellectili, ut pecoribus suis, quibus abundare solent, pastum opportunum, aquam et, pro diversis anni temporibus, commodiorem regionem inveniant. Præcipui nomadum valde divites esse solent, et magnam servorum ac mercenariorum catervam alere; unde veteres patriarchæ civitatum ac populorum ducibus, seu regulis, non erant inferiores, cum illis fœdera inibant, bella gerebant, et victores manebant. Veri igitur reges erant nulli subjecti, et familiam gubernantes, quæ plurium regum illius temporis subditos æquaret; unde sæpe in Scriptura reges dicuntur *pastores*, et Christus se suosque ministros hac voce designavit, et *pascere*, id est, *regere*, *imperitare gregem*, nempe populum christianum, præcepit.

37. In regionibus nondum occupatis nomades pascua tantum quærunt et aquam, ob quæ inter eos jurgia et bella esse solent, præsertim propter illiberalem aquam; ad cujus consecutionem dum *aquæ vivæ*, id est, sponte erumpentes seu veri fontes non sunt, *puteos* et *cisternas* perfodere coguntur, quos in proprietatem redigunt, et saxibus et arena occultare consuescunt, ne alii aquas furentur; aut si nullius sint vel plurium, ordine et mensura aquas sibi distribuunt. Ob calidiorem regionem et aquæ raritatem, plurimæ in Scripturis sunt locutiones figuratæ, quibus res prosperæ et lætabundæ *aquis vivis* et *pluviæ* comparantur, tristiores *siccitati;* homines fallaces et bonis operibus et meritis carentes, *cisternis siccis*, *nubibus sine aqua*, *aquis fallacibus*, illis nempe quæ aliquando desunt ubi adesse censebantur. In custodiendis pecoribus servi, mercenarii, filii, ipsæque filiæ dominorum incumbunt, inter quos aliquis veluti *major domûs* esse solet, seu œconomus, qui cæteris præest, oves vespere numerat, earumque jacturam a mercenariis exigit (conf. Gen. XXXI, 38; Exo. XXII, 13; Amos III, 12). Quoniam domini semper armati, servi autem et mercenarii quandoque etiam arma sumere coguntur adversus hostes, latrones, ferasque, antiquis præsertim temporibus omnia vastantes; hinc populorum nomadum studium venationis atque etiam prædationis, quod Ismael jam fecit (qui *unus contra omnes* et *omnes contra ipsum*, Gen. XVI, 12), posteaque forte ipsi hebræi ac certo nunc beduini viatores omnino spoliantes, nisi hi fortiores sint et militibus constipati. Nihilominus cum hospitibus humaniores et generosiores sunt exemplo Abrahæ, nec viatores occidunt aut male tractant, nisi ii resistant, et quempiam eorum lædant; tunc enim sanguis sanguine redimi necessarium est. Si vero viatores non resistant eosque deprecentur, ea qua pollent *generositate et humanitate*, subuculam aut feminalia relinquere solent, ne omnino nudi pergere cogantur; hanc autem vitæ rationem et honestam et minime infamem judicant, nescio qua sua morali philosophia ducti.

CAPUT IX.

De nomadum pecoribus: de omnibus animantibus quorum mentio in Bibliis fit, sive mundis, sive immundis.

38. Quoniam autem præter pecuniam et vestes ita sibi comparatas, aut negotiatione cum vicinis populis, præcipuæ eorum divitiæ pecora sunt; ideo brevem hîc dabimus notitiam eorum, ac simul cæterorum omnium animantium, de quibus Scripturæ loquuntur, adnotatis iis quæ immunda erant, quæ dubia remanent, quæve in versionibus tantum occurrunt, non autem in textu originali. Hebræi vulgari clasificatione animantia omnia distribuebant in *quadrupedia*, *aves*, *reptilia* et *pisces*, quin aliquo modo ad earum structuram scientifice attenderint, sed ad formam generalem, locum et modum vivendi. In animalibus mundis aut immundis disjungendis quædam erant regulæ generales, nempe: 1.° ex pecoribus mundum erat quidquid ruminat (vel *rodit*, ut conjicio, neque enim ad scientificas hodiernas notiones attendere licet) et ungulam findit in duas partes, immundum autem quod aliqua ex iis conditionibus caret, ut nominatim *sus*, *lepus*, (quamvis *ruminet*, id est, in manducando veluti rodat); 2.° ex piscibus quidquid pinnulas et squamas habet; 3.° omne volucre quod graditur super quatuor pedes immundum erat, nisi crura posteriora longiora haberet ad saltandum (nempe mundæ erant locustæ, bruchus, attacus, ophiomachus); 4.° omnia reptilia immunda (conf. Lev. XI et Deut. XIV, quibus in locis aves etiam immundæ numerantur). In iis autem legibus constituendis, plura ex antiqua populi consuetudine aut præjudiciis servata sunt (hic memineris velim leges populorum moribus esse accommodandas), alia ob climatis conditionem aliquibus cibis minus aptam v. g. carnibus suinis, alia ad superstitiones ægyptias forte vitandas, alia denique ob rationes symbolicas et moralem significationem quibusdam animalibus tributam, et omnia ut in rebus quotidianis hebræi legis recordarentur, seque á Deo in populum *regale ac sacerdotale* elec-

tos fuisse. Singulare est vetitum comedendi hædum in lacte matris decoctum. Denique similis animalium discretio in omnibus populis servata fuit, et adhuc servatur, quin ex superstitione aliqua id procedat.

39. Inter animalia domestica hebræis familiaria venit *Camelus* גמל cujus alia est minor species et itineribus utilior ob velocitatem et sobrietatem *(Dromedarius)*; *Equus* (סוס, פרש, רכש) ab hebræis nonnisi post tempora Salomonis adhibitus; *Asinus* (חמור vel חמר asina dicitur אתון et pullus asinæ עיר) valde æstimatus et in agricultura adhibitus; *Onager* (פרא), asinus silvester, ab orientalibus domitus, vi sua, altitudine, pulchritudine et utilitate hebræis familiarissimus, et locutionibus tropicis passim laudatus; *Muli* (אחשתרנים) ab hebræis etiam adhibiti (2 Reg. XVIII, 9; Esth. VIII, 10), licet non de industria quæsiti nisi contra legem, sed a vicinis populis mercati; *Elephantes*, de quibus nulla in Bibliis mentio ad Machabæorum tempora; *Boves* vel potius *Tauri* et *Vaccæ* (communi vocabulo בקר, proprie *armenta*, symbolum sunt roboris, præsertim cornua; etiam hostes designantur nomine *taurorum*, *tauri pingues*); *Oves* (שה) et *Capræ* (עז) (communi etiam vocabulo צאן appellatæ, *pecus*); *Canis* (כלב) hebræis familiaris, et rei vilis symbolum; *Sus* (חזיר) animal impurum, summe abominatum et lasciviæ ac impuritatis symbolum.

40. Quæ in Bibliis occurrunt animalia *quadrupedia* non domestica sunt fere: *Leo* (pluribus nominibus appellatus, in Palæstina frequens, et locutionibus figuratis valde laudatus); *Pardus* (נמר forte significat quandoque Lyncem, Pantheram aut Tigridem, ob maculas impositum vocabulum); *Ursus* (דב vel דוב) ob astutiam et ferocitatem notus; *Lupus* (זאב) ob rapacitatem et nocturnos incursus; Hyæna (צבוע vulg. *avis discolor*, Jer. XII, 19); *Vulpes* ac etiam *Canes aurei* (chacal שועל et forte איים, quod bis tantum occurrit, Is. XIII, 22, et XXXIV, 14, et a vulg. redditur *ulula* et *onocentaurus*; alii putant avem esse rapinæ), qui gregatim ambulant et facili negotio capi possunt, unde vero similis est eorum opinio, qui hæc animalia fuisse judicant, quibus usus est Samson ad agros Philisthinorum cremandos; *Cervus*

(אוֹל) cum aliis similibus (antílope, gazela, gamo, cabra silvestre, ibis, búfalo, &c.) satis controversis; Aper (dictus חֲזִיר בְּיַעַר *aper de silva*, ps. LXXIX, 14), ob agrorum destructionem notus; *Simia* (כּוֹף, 3 Reg. X, 22); *Lepus* (אַרְנֶבֶת), ejusdem familiæ *rodentium* ac; *Mus jaculus* (Linnei) שָׁפָן (versio LXX, et vulg. *Qærogryllus*, Puerco espin, *herinacius* et *lepusculus)* (a); *Mus*, præcipue *agrestis* (עַכְבָּר, pl. פְּרוֹת, nisi hoc vocabulo designentur speciatim domestici); *Talpa* (חֹלֶד, quod probabilius *Mustelam* significat); *Herinacius* (קִפּוֹד. Is. XIV, 23; XXXIV, 11; Soph. II, 14); *Crocodilus* (צָב Lev. XI, 29, ubi potius de quadam lacertæ specie sermo est, et crocodilus dicitur לִוְיָתָן, *Leviatam*, Job. XL, 20... Apud. Ezeq. XXIX, 3, תַּנִּים pro תַּנִּין quod tamen vocabulum alibi significat *Belluam marinam*, *Cete*, *Draconem*, *Serpentem*, conf. Gen. I, 21; Job. VII, 12; Jer, LI, 34); *Mygdale* (ita vulg. vertit אַנָקָה, quod potius significat *Stellionem* (Salamanquesa de agua); *Chamæleon*, (ita vertit vulg. כֹּחַ, lacerti species pugnantis cum serpentibus); *Stellio* (vulg., hebr. לְטָאָה, alia lacerti species); *Talpa* (תִּנְשֶׁמֶת, lacertæ species, Bocharto est *Chamæleon*, ipsaque vulg. Lev. XI, 18, vertit *Cygnum*, LXX πορφυρίων); *Stellio* (vulg. שְׁמָמִית, Prov. XXX, 28, lacerta venenata, juxta Arias Montano valde probabiliter *Aranea*).

41. Inter *aves* numerantur: *Columba* (יוֹנָה); *Turtur*, (דְּרוֹר, forte melius *Hirundo*, ipsa vulg. Prov. XXVI, 2 vertit *passer*); *Onocrotalus* seu *pellicanus* (סוֹס, bis tantum occurrit, Is. XXXVIII, 14, ubi vulg. vertit (una cum עָגוּר) *pullus hirundinis*, et Jer. VIII, 7: *hirundo* et *ciconia*); *Perdix* (Jer. XVII, 11, קֹרֵא, ubi fit poëtica allusio ad vulgarem opinionem *perdicis foventis aliena ova*); *Coturnix* (שְׂלָו, hic valor certus est, nec admittendum locustas designari); *Gallus galli-*

(a) Lev. XI, 5; ps. CIII, 18; Prov. XXX, 26. Ideo hæc in Bibliis ruminare dicuntur, quia ob peculiarem maxillæ inferioris constitutionem, motus ejus similis primo aspectu videtur illi ruminantium, ita ut Aristoteles inter hæc leporem adnumeraverit, non autem id optime factum fuit ex stomachi dispositione, ut asserit Glaire.

naceus (שכוי Job. XXXVIII, 36, ubi hæc vox juxta Gesenium significat *cor, judicium*, nec certa mentio de gallo gallinaceo est in V. T., nam Prov. XXX, 31 est *æquus phaleratus?;* in novo autem Testamento pulcherrima metaphora gallinæ nota est, et mentio galli); Pavo תוכיים et תכיים) *Passer*; (gorrion, צפור, etiam avis generatim, ps. X, 2); *Aquila*, נשר, quandoque est *vultur*, ut Mich. I, 16; Job, XXXIX, 27; Prov. XXX, 17; Math. XXIV, 28); *Ossifraga* (פרס, quebrantahuesos, Lev. XI, 13; LXX, et vulg. Gryphus); *Haliætum* (vulg., hebr. עזניה, aquilæ species, juxta Bochart aquila nigra); *Milvus* (vulg., hebr. דאה et דיה, avis rapinæ, (milano?), LXX ἱέραξ, buitre); *Ulula* et *Onocentaurus* (vulg., hebr. איים, communiter chacal, juxta Glaire avis quædam rapinæ habitans in solitudine, v. supra); *Corvus* (ערב, etiam cornix); *Struthiocamelus*, (רננה pl. רננים. Job, XXXIX, 13, videtur de solis feminis intelligi== בת יענה), eadem avis dicitur תחמס, quam quidam de mare tantum intelligunt, et præcedentem de femina, quod ex Glaire et Gesenio falsum est, saltem in plurali numero; quod probandum videtur, vulg. *Noctuam*); *Larus* שחף gaviota? Deut. XIV, 15); *Accipiter* (נץ, ib.); *Nichtichorax* (vulg., hebr. כוס, pellicanus seu onocrotalus, Ps. CI, 7, ex ea crumenæ specie quam in collo habet; ita Gesenius cum Bochart, sed communius reddunt antiqui interpretes *Mochuelo*); *Mergulus* (vulg., hebr. שלך avis piscibus vescens, forte pellicanus, Lev. XI, 17; LXX καταράκτης); *Ibis* (vulg., hebr. ינשוף, Deut XIV, 16, alcaravan? buho?); *Cygnus*, (Lev. XI, 18, תנשמת, dubia avis et animal quadruped.); *Mergulus* (rursum vulg. vertit ita קאת, communiter Pellicanus, Bocharto *alcaravan*, Gesenio *avis palustris et deserticola*); *Porphyrion* (vulg., vulturis species minor, alis nigris, cadaveribus vescens); *Ciconia* (חסידה, a pietate in pullos dicta, et per allusionen Job. XXXIX, 13, hebr. struthionis duriciei comparata; Glaire *Garza*); *Charadrion* (vulg., hebr. אנפה, ex iracundia dicta, in hiatibus et ad fluminum ripas degens); *Upupa* (vulg., hebr. דוכיפת, *gallus montanus*, Gesenius); *Vespertilio*, עטלף). Hæc omnia satis incerta nobis, notissima israelitis esse debebant, sicut et *aves mundæ*, quæ Lev. XI et Deut. XIV non numerantur.

42. Reptilia רמש aut שרץ hebræis erant animalia terrestria pedibus destituta, aut ita parvis gaudentia, ut reptare videantur, suntque præcipue seqq.: *Vipera* (אפעה a sibilo dicta); *Aspis* (עכשוב psalm. CXXXIX, 4); *Aspis surda* (פתן, dicitur obturare aures, ne voces incantantium audiat, id est, non poterat incantari, ut plures alii serpentes, quod satis notum est); *Dipsas* (vulg., hebr. צמאון serpens morsu suo sitim producens (Deut. VIII, 15, aut potius regio arida et aquis destituta, ut ipsa vulg. vertit Is. XXXV, 7); *Regulus* (vulg., hebr. צפע et צפעני, vipera, basiliscus); *Cerastes* (שפיפון, Gen. XLIX, 17); *Serpens ignitus* (Num. XXI, 6, שרף, alibi *alati* dicuntur seu *volantes* Is. XIV, 29 hebraice; XXX, 6; utrum quia speciem alarum haberent, quod innumeris antiquorum testimoniis, *etsi non de visu*, comprobari posset, an vero quia ex arboribus in suam prædam insiliunt, ob idque volantes dicti sunt, ut Niebuhr et alii viatores referunt, penitus ignoro); *Draco* (תנין, quod et serpentem generatim et marinam belluam designat).

43. Inter insecta, ab hebræis adnumerata reptilibus, præcipue veniunt *Locustæ*, non unius speciei, et pluribus nominibus designatæ, suis vastationibus notissimæ, et in cibum ab orientalibus et hebræis adhibitæ, nominatim *bruchus*, *attachus*, *ophiomachus* et *locusta* (Lev. XI, 22, hebr. ארבה, סלעם, חרגל et חגב, diversæ locustarum species); *Muscarum* item plures species (זבוב musca communis, דבורה apis, ערב *Kynomyia*, canis musca, כן pl. כנים scinifes, culex, κώνωψ (Mat. XXIII, 24); *Pulex* (1 Reg. XXIV, 15 et XXVI, 20, פרעש); *Formica* (נמלה); *Aranea* (עכביש); *Tinea* (סס et עש); *Ver* (pluribus vocibus designatur); *Scorpio* (עקרב); *Limax?* (שבלול) ps. LVIII. 9, hebr. *Pisces* denique דג vel דגה dicuntur animalia quæcumque in aquis degentia, nominanturque præcipue: *Piscis magnus* qui Jonam deglutivit (et nulla ratione *ballena* creditur, sed potius *tiburon;* Math. generatim *cete*); *Rana* (צפרדע); Piscis qui in Tobiam irruit, probabiliter *Silurus*; *Behemoth* et *Leviathan* de quibus Job plura loquitur, sunt *Hippopotamus* et *Crocodilus*, ut ex descriptione constat cum horum animalium forma perfectam analogiam servante, jamque passim admittitur (Job. XL); *magni cetacei* et cætera *maris monstra* imo aliquoties *Crocodilus* dicuntur generatim תנים, ut diximus; denique *Hirudo* probabiliter designatur voce עלוקה, Prov. XXX, 15.

44. In versione LXX et vulgata invenitur *Tragœlaphus*, (Deut. XIV, 5, אַקּוֹ, hircus silvestris, capra, capreolus, absque ullo fundamento ut animal fabulosum a nonnullis habitum, cum tamen mundum hebræis esset); *Gryphus*, non est animal fabulosum antiquæ superstitionis, sed, ut supra diximus, *Ossifraga* (Quebrantahuesos); *Ixion*, alibi *Milvus* (forte Milvus vere est, milano); *Mirmecoleon*, μυρμηκολέων, (vulg. Tigris, Job. IV. 11, est vere species quædam leonis formicis vescens); *Phœnix*, fabulosa avis a nonnullis credita fuit in LXX nominata, vox tamen φοῖνιξ designat *palmam*, ut vulgata vertit, Job. XXIX. 18); *Fauni* significant, in vulg. aut *canem aureum* (chacal) aut avem in solitudine degentem, ut supra diximus, (hebr. אוּים); *Pilosi*, qui pro *Satyris* habiti ab aliquibus sunt (LXX *dæmonia*), hircos designant, Gen. XXVII, 11. (Is. XIII. 21 hanc vocem metaphorice forte accipit ad significandos dæmones et idola ab israëlitis culta et hirci speciem habentia; ex Rosenmüller significant pluvias seu imbres tenues, quia *capillorum* speciem oculis ostendunt, conf. adnot. Drach ad Gesen. lex. voce שָׂעִיר); *Sirenes* occurrunt quandoque in LXX et in vulg. Is. XIII, 22 pro hebr. תַּנִּים, supra exposito; denique *Onocentaurus* in LXX et *Lamia* in vulg. Is. XXXIV, 14, proprie *nocturnum quid* (לִילִית ex לַיִל nox), forte poëtice indicat spectra nocturna, quibus depingit desolationem Idumææ; nihil itaque agitur de Lamiarum fabulis et rabbinorum commentis.

CAPUT X.

De Agricultura inter hebræos; de sementibus aliisque plantis in Bibliis occurrentibus.

45. Post hebræorum egresum ex Ægypto et peregrinationem in deserto, ex nomadibus agricolæ facti sunt, ita ut ex Moysis constitutione universa eorum vivendi ratio et status civilis agricultura fulciretur, legesque latæ fuerint ad terræ proprietatem consecrandam moresque agriculturæ perennandos omni attentione dignæ. Ex illis namque quilibet israelita fundum habere debuit, quem coleret, nec unquam in perpetuam alienaret, sed ad annum jubilæi tantum, imo

semper ipsi, vel ejus cuilibet consanguineo venditum agrum redimere licebat; unde impossibile facta est agrorum cumulatio in paucorum dominio, reliquis nihil possidentibus. Nec veri proprietarii censebantur hebræi, sed coloni tantum agrorum paternorum, qui omnes Dei erant proprii. Ii vero agri lapidibus signati in suis terminis esse debebant, quos quidem lapides qui amoveret maledictioni erat obnoxius. Hinc obtenta sub Josue terra promissa, in omnes tribus et familias et capita sorte distributa est, prævia mensura funiculis facta, qui metaphorice proinde significant *possesionem* aut prædium (conf. Num. XXVI, 53, 56; Jos. I, 6; cap. XIII... Lev. XXV, 23, 28; XXVII, 30; Deut. XXVII, 17; Ruth. IV, 4; Jer. XXXII, 7; Is. V, 8).

46. Hinc magni æstimata agricolarum conditio et ab ipsis hebræorum primoribus exercita, v g. Saule, Elisæo, Gedeone &c.; atque hujus artis non leves progressus, cum hebræi agrorum ubertatem et stercoribus, et cineribus, et rigationibus et septemnali requie augere scirent, ex quibus allusiones plurimæ et figuratæ locutiones ocurrunt. Postremus hic mos a lege sancitus et motivum religionis habebat, et beneficentiæ in pauperes, quibus cedebant universi fructus spontanei anni sabbatici; et artis terræ colendæ non spernendum testimonium, quam hebræi callebant in Ægypto edocti, suppeditat; nec reprehensionem meretur præsertim apud nos, qui alternis annis terram quiescere videmus. Singularis erat lex quæ vetuit quominus diversa semina immixta hebræi seminarent, diversa animalia eidem jugo submitterent, diversas materias in eodem panno texerent: forte eo tendebat ut connexiones populi electi cum idololatris odiosas magis redderet, quod scopui Dei in eligendo Israele aptum erat; nec aliæ desunt hujus legis causæ secundariæ, si tamen revera extiterunt, v. g. ut ita semina cribrarent et optima sererent absque cizaniis aliisque pravis seminibus, ut labor paribus animalibus factus regularis et æqualis esset &c.

47. Seminabant autem altero dimidio octobris, parata prius terra et pluviis et aratro simili ei qui communiter apud nos adhuc viget, steva, vomere, timone ac jugo ei adherente, composito, nec dissimili arandi modo. Animalia huic labori destinata erant tauri, vaccæ, asini et asinæ: postremi *flagello* excitabantur, primi *stimulo*, qui octo fere pedum longitudinis palo subjectus erat lanceolæ ferreæ speciem in

altera extremitate prædito, qua glebæ ab aratro amovebantur. Hoc instrumento in prælio uti poterant, et illud forte fuit quo Samgar sexcentos philistinorum profligavit (conf. Jud. III, 31; 1 Reg. XIII, 21). Commemorantur in Bibliis *vomer*, *ligo*, *securis*, *tridens* et *sarculum*, quæ, qua præcise forma fuerint ignoratur. Iis accedit instrumentum quo solum agri æquabatur et hominibus suplicio triturationis subjiciendis quandoque inserviebat; item *plaustra*, *ventilabra*, aliaque non plane nota. Ante messem aliquoties in mense februario ob frigora, aut etiam prius in novembri ob ventum orientalem, segetes destruebantur, qui morbi *uredo* et *rubigo* dicuntur, non tamen constat an a ventis procedant, quæ orientalium sententia est. Fiebat autem messis a dimidio aprilis, et tempus erat et symbolum lætitiæ (conf. vividam picturam in libro Ruth); conjungebantur in area aut machinis, aut bovum pedibus triturandæ (Deut. XXV, 4; Is. XXVIII, 28); postea ventilabantur (Jer. IV, 11, 12), grana paleis conjuncta rursus triturabantur et *cribro* separabantur (Amos IX, 9; Luc. XXII, 31), stramen dispersum ad lateres conficiendos et ad jumentorum pabulum colligebatur, residuum cremabatur, et granum in horrea congregabatur, sive subterranea, sive etiam super terram fundata. (Hæc omnia pluribus locutionibus tropicis inserviebant; conf. e. g. Ps. I, 4; Job. XXI, 18; Is. XLI, 15; Jer. XIII, 24; Joël II, 5; Nah. I, 10; Math. III, 12).

48. Quæ vero potissimum ab hebræis colebantur frumenta, erant triticum, millium, spelta, holcus, hordeum, fabæ, lentes, cuminum pratense, melanthium, linum, gossypium, diversæ cucumerum species, et forte orysa (Is. XXVIII, 25, arroz? ó anis?). Numerantur etiam in Bibliis *Lactucæ agrestes* (forte quælibet species herbæ amaræ), *melones* (Núm. XI, 5), *cepæ* (ib. sed nostris longæ præstantiores), *porra* (חציר, ib. sed alibi generice *gramen* significat), quæ omnes in cibum adhibebantur.

49. Ex iis autem quæ in Scripturis laudantur plantarum generibus veniunt præcipue: *Lilium* (diversæ forte species recensentur præsertim *lilium candidum*, azuzena, et poëticis comparationibus adhibentur); *Flos campi* (de qua Cant. II, 1.) dicitur etiam *lilium* (Is. XXXV, 1, et est *Colchicum autumnale*, flos pratorum autumnalis, coloris albi et violacei, radicibus bulbosis, ex etymo; unde non bene intelligitur ab aliquibus *Rosa Saron*, et etiam *Narcissus*; hisp. vulgo *Colchico*, *Quitameriendas*); *Crocus*; *Absinthium* (ex amaritudine translate acci-

pitur pro *rebus acerbis, injuriis, aflictionibus)*; *Hyssopus* (quo vocabulo comprehendebantur aliæ etiam plantæ, in primisque *origanum*, juxta Gesenium); *Mentha, Anethum, Cuminum* (de quibus religiose solvebant decimas pharisæi); *Coriandrum*; *Gith*, Is. XXVIII, 25, hebr. קצח, interpretantur communiter *Nigellam* (neguilla, agenuz) et *Melanthium* (eadem significatione); *Fel* (ita ob amaritudinem aut venenatam proprietatem vertit vulg. heb. ראש, *papaver*, judicio Gesenii, aliis *cicuta, colocynthis, lolium*; conf. Deut. XXIX, 18. XXXII, 32; Os. X, 4; ps. LXVIII, 22. Jer. VIII. 14); *Mandragoræ* (Gen. XXX, 14; Cant. VII, 13 דודאים, *Berengenillas, Vilaneras*, propietatibus nescio quibus gaudentes in rebus amatoriis superstitione orientalium adhuc perdurante, reipsa tantum narcoticis, veluti Belladona illis affinis); *Sinapi*; *Nardus*, in unguentis conficiendis adhibitus; *Herba Fullonum* (Mal. III, 2; Jer. II, 22; Mar. IX, 2, est *Salsola*, cujus plures sunt species dictæ generatim hisp. *plantas barrilleras)*; *Linum* (diversarum specierum ac diversis vocabulis appellatum); *Tribuli, Spinæ, Urticæ, Paliurus*, (conf. Gen. III, 18; Is. XXXIV, 13; Job. XXXI, 40; Prov. XXVI, 9; 4 Reg. XIV, 9 &c), satis generatim designant plantas luxuriantes, ob idque sementibus noxias, spinis præditas et hominum manus pungentes et urentes, Cambrones, Zarzas, Ortigas, Espinos &c., locutionibus tropicis diverso modo adhibitas, et ex consuetudine eas cremandi (Eccl. VII, 7; Nah. I, 10; Is. VII, 24; XXXIII, 12; ps. CXVII, 12; Mat. VII, 16; ps. LVII, 10); *Arundines* (signum rei debilis et contemptibilis); *Juncus* (Is. IX, 14; XIX, 15; LVIII, 5 in hebr., id est אגמון vel אגמן et כפה, conf. utramque vocem apud Gesen. lexicon; id vulg. vertit *caudam* per oppositionem ad *caput*; diversæ species ocurrunt, in quibus *papyrus ægyptius*, et diversis locutionibus tropicis locum dant); *Hedera* (quæ tantum occurrit 2 Mach. VI, 7); *Vitis* (notissima, valde ab hebræis culta et prætio habita, sexcentis in locis figurate in Bibliis adhibita, sicut et vindemia, ut lætitiæ symbolum): *sanguis uvæ*, id est vinum, si mustum esset, in amphoris aut utribus nobis ponebatur (Mat. IX, 17): uvæ in torculari magnæ populi calamitatis symbolum sunt: sedere sub viti sua... signum quietæ ac beatæ vitæ.

50. Præcipuæ arbores et orbusta in Scripturis ocurrentia sunt: *Malum*; *Malum punicum; Palma; Ficus; Sycomorus* (ob ligna valde permanentia et quædam receptacula frugifera, in Ægypto et Palæstina notissima; unde non est, ut Glaire putat, noster *Arce blanco*, sed vera Sicomorus, Moro affinis, ejusque fructus non in ramis, sed in ipso

stipite oriuntur, præsertim si aliquo instrumento disrumpatur, conf. Amos VII, 14); *Pyrus* (vert. vulg. hebr. בכאים, sing. בכא, a lacrymando, unde *arbor est*, autore Celsio, *balsamipheræ similis*, conf. 2 Reg. V, 23-24); *Nucum* arborem hebræis notam fuisse constat ex Cant. VI, 10; *Oliva* (valde notissima, una cum fructibus ejus et oleo sæpe figurate ocurrit); *Amygdalus*; *Myrtus*; *Juniperus* (hebr. רתם, arab. *ratamat*, ¿quid igitur impedit quominus intelligatur nostra *retama*? Vulg. vertit quidem juniperum et Hieronymus in ps. CXIX, 4, carbonibus *desolatoriis*, sed moderni communiter intelligunt *genistam*; ast sensus locorum quibus invenitur (ps. CXIX, 4 hebr. Job. XXX, 4; 3 Reg. XIX, 4, 5), etymon (a רתם, ligavit) et identica vox arabica et hispanica magis pro *retama* laborant a Linneo *spartium junceum* dicta, nullo tamen modo cum *esparto*, *alocha* (macrochloa tenacissima) confundenda, ut fieri video a Gesenio, Glaire ejusque interprete hispanico, et ipso Forskal, a quo Glaire descriptionem accepit); *Quercus* (roboris symbolum, sicut præcedens *paupertatis*, eo quod ejus fructus et radices ederent pauperes); *Terebinthus; Pinus; Cupresus*; *Abies; Cedrus* (quam arborem bene dixeris biblicam ex multiplicibus allusionibus ac tropis ab ea desumptis); *Populus alba?* (Gen. XXX, 31); *Aloes; Setim* (=*Spina* Is. XLI, 19, *Acacium* designat); Ilex (Is. XLIV, 14), *Prinus* et *Schinus* de quibus in historia Susannæ; *Salyx* (conf. ps. CXXXVI, 2; Is. XLIV, 4; *Cinnamomus* (quæ multas species comprehendit, a gratis odoribus celebrata); *Hædera prophetæ* Jonæ, *ricinus* fuit, nescio cujus speciei; *Platanus* (Gen. XXX, 37), aliæque satis incertæ.

51. In arborum cultura non parum excelluisse hebræos satis hinc inde in Sacris Bibliis apparet, præsertim in colenda vite, quam vallo circumdabant, turri muniebant, torcular in ea faciebant, aliaque non rudioris culturæ. Lege vetitum erat ne fructus novarum vinearum colligerentur quatuor prioribus annis, et anno quinto omnes Domino cedebant veluti primitiæ; unde descendebat melior vinearum putatio prioribus annis, atque major vigor sequentibus. Licet vallo aut septo circumdatæ et turribus munitæ essent vineæ, id tantum contra feras et hostes vastantes fiebat; nullus quippe prohibebatur ab uvis capiendis, quas manducaret in via, sicut et a spicis vellendis, dummodo non eas in aliquo vase adsportaret. Ex musto faciebant *mel uvarum* (arrope), eodem nomine designatum ac *mel apum* (דבש), sive in petris et arborum truncis sponte ab apibus cumulatum,

sive in alvearibus ex argilla paleis mixta paratis de industria quæsitum. Hinc de Palæstina sæpe dicitur lacte et melle manare, quæ locutio abundantiam figurate designat. *Balsamum*, ex arbore et præsertim frutice collectum, *oleum* et *mel, frumentum* et *resina*, præcipuæ erant merces agricultura collectæ, et ab Hebræis Tyriis divenditæ (Ezeq. XXVII, 17). An hortos haberent solis floribus colendis recreationis causa non constat, sed ex descriptionibus Cantici Cant. et usu hodierno orientalium, id non evenisse videtur; sed in suis hortis arbores frugiferas et balsamicas colebant, rivulis perennibus irriguas: habebant itaque hortos (גַּן, גִּנָּה; postea פַּרְדֵּס) non vireta (jardines), quos tamen valde diligebant ob delicatiores fructus et gratam umbram.

52. Denique, cum non multæ piscium species in lege vetitæ Hebræis essent, pluresque squammati in Jordane et Mari Gennesareth viverent, etiam piscium culturæ Hebræi dediti sunt, quod ex Evangeliis est notissimum. Piscabantur autem in prædictis locis et etiam Mediterraneo *hamo, jaculo ferreo* (arpon) et *retibus;* venales pisces habebant Hierosolymis in locis ad id destinatis, unde *porta piscium* á foro piscium denominata (Neh. III, 3); piscatores solers et impigrum genus erant (Luc. V. 1-11 coll. Mat. IV. 12; contrarium tamen didicit D. Renan, nescio qua sua intuitione aut videndi perspicuitate); et ut hostium symbolum in Bibliis adhibentur (Is. XIX. 8; Hab. I. 15).

CAPUT XI.

Artes hebræorum: bonæ artes: instrumenta musica.

53. Quem perfectionis gradum attigerint hominum notiones ante diluvium, qualis fuerit harum origo, supra innuimus; nempe mirabiles ac prope incredibiles fuerunt, præsertim si earum elementa, saltem in iis quæ vitam religiosam, socialem et neccesaria ad vitam animalem respiciunt

non immediate á Deo primi parentes accepisse dicas. Quod imprimis Sacro textui repugnat, cum sapientia Adami non semel commendetur; deinde Dei bonitati, quam primos parentes in media natura veluti orphanos reliquisse, et iis mediis destitutos, quibus indigebant tum ad vivendum, tum ad genus humanum instituendum, incredibile est; insuper civitatum fundatio, metallorum elaboratio, instrumentorum musicorum inventio et usus, arcæ noachichæ constructio, loquela, notiones demum religiosæ de quibus in Genesis libro sermo est, eamdem rem demonstrant; denique notiones artium et scientiarum antiquissimæ, quæ in remotissimis populis inveniuntur, a prima sua apparitione in historia, et quidem mira unitate circa res historicas et religiosas, ac stupenda perfectione circa res astronomicas et artem ædificandi; hæc omnia penitus evincunt genus humanum a Deo fuisse educatum saltem præcipuis notionibus, institutione paterna, experientia et studio ad majorem perfectionem evehendis. Proinde, homines postdiluviani, a Noe ejusque filiis antiquam scientiam et artes edocti, facile potuerunt imperia fundare, civitates et monumenta condere, bonis artibus, agriculturæ et industriæ operam dare, formulas possidere temporibus dimetiendis aptissimas, quæ astronomorum admirationem excitant; (a) hæc, inquam, facile habuerunt posteri Noemi, qui ea partim excoluerunt, partim obliti sunt, partim fœdis erroribus et superstitionibus adulterarunt. Nulla est igitur ratio cur narrationem mosaicam circa epocham diluvii et posteriorem hominum historiam rejiciamus ab artium et scientiarum remotissima perfectione; quæ iis tantum difficultas esse potest, qui homines velut animantia bruta primitus exstitisse credunt, frugibus et herbis vescentes et per silvas vagantes.

54. Hæc quæ communia hominibus omnibus fuerunt post diluvium, Abrahæ ejusque posteris applicanda sunt, qui etiam a chaldæis primum, deinde ab ægyptiis multa accipere potuerunt, nisi forte ipsos Ægyptum edocuisse, potius quam

(a) Licet res mathematicas vix callerent, et Trigonometriam certo ignorarent, quæ ad Astronomiam scientifice colendam prorsus necessaria est, quamque sinenses, indos, chaldæos, ægyptios penitus ignorasse constat, qui certas annorum periodos noverant, vix cum hodierno scientiæ mathematicæ statu inveniendas.

ab ea edoctos fuisse credas, quod non ego repugnarem, et ex historia Josephi forte defendi posset; unde jam in deserto et tabernacula sua et Dei, arcam, propitiatorium, vitulum aureum, serpentem æneum, aliaque id genus fecisse constat; res textorias, coriarias, marmoreas et lapidarias calluisse; legere, scribere, agros colere scivisse, aliaque plurima, quæ ipse mosaicus codex sola sua existentia supponit, nisi Moyses librum omnino clausum hebræis reliquisse putes; denique etiam res chimicas hebræis ex Ægypto redeuntibus notas fuisse constat ex dissolutione vituli aurei, quæ verosimilius *aqua regia* facta fuit, in Ægypto valde probabiliter nota et in usum adhibita (b) et ab indis certo.

55. Easdem artes postea in Palæstina coluisse facile patet, tum ante monarchiam, tum sub monarchia præsertim, ut ex historia Salomonis constat, licet multos ac forte præcipuos operarios e Phœnice arcesiisset, tum denique post tempora captivitatis babilonicæ; ex qua tamen ætate mercaturæ præcipuam operam multi dederunt, ac plerique certe post destructam rempublicam a romanis. Notum est omnes prorsus hebræos circa tempora Christi ac deinceps artem aliquam callere debuisse, etiamsi liberaliorem educationem reciperent, ut de præcipuis, qui in N. T. apparent, hebræis notum est, v. g. Josepho, V. Mariæ sponso, Paulo, Simone coriario, Aquila, Petro, Filiis Zebedæi, &c. Ex prosperitate hebræorum sub regibus, ex divitiis et mirabilibus fundationibus Salomonis, ex luxu publico in domiciliis et vestibus, præsertim feminarum, a prophetis non semel descripto et damnato (Is. III, 16-24), patet artes etiam rerum, quæ non sunt necessariæ, apud hebræos cultas semper fuisse. Et has quidem peculiares homines coluerunt; quas vero vitæ necessitas postulat, omnes fere, præsertim annis sabbaticis, quibus cultura agri parum temporis et laboris insumebat. Immo artes quædam domesticæ exercebantur etiam lucri et mercaturæ causa, prout patet ex descriptione *mulieris fortis* (Prov. XXXI, 13-31); item integra oppida non agriculturæ sed artibus fuisse dedita videtur ex 1 Par. IV, 14 coll. Neh. XI, 35, ubi sermo est de « *Valle artificum, ibi quippe artifices erant* », a quodam Joab descendentes.

(b) Quod si non vere aureus, sed inauratus fuit, vel lamina aurea coopertus, quod non improbandum est, idem fere pro re nostra sequitur.

56. His generatim dictis circa artes ab hebræis cultas, pauca addere præstat de iis quæ speciatim cultæ sunt *bonis artibus* (bellas artes, el arte hebreo). Cum Moyses, considerata præcipue suorum conditione et propensione in idololatriam et prava exempla vicinorum populorum, *imagines hominum atque animantium repræsentare et colere* prohibuisset (conf. Deut. IV, 16..... cum locis parall.); et pictura et sculptura vix cultæ ab hebræis sunt (a); reliquæ vero bonæ artes notæ et non parum exscultæ fuerunt. De Architectura satis diximus, de poësi postea sermo erit ubi de cultura hebræorum litteraria.

57. Musicam et Saltum inter hebræos floruisse per quam notissimum est; nihil autem determinatum scimus de eorum saltandi modo, ac vix pauca de instrumentis musicis. Si de hebræorum saltatione judicare possemus juxta consuetudinem hodiernam orientalium, et vim etymologicam verborum, quæ saltationem indicant, (b) in gyrum saltus ordinasse credendum foret, et tota ars in imitando eos motus et gestus constitisset, quos perficeret ductor saltationis. Verum hoc nunc famuli tantum, servi ac mulieres publicæ in oriente agunt; honorati vero homines et feminæ nusquam saltant, quamvis voluptatem capiant in publicis saltationibus spectandis, quæ satis voluptuose fiunt et mercede donantur. Sed apud antiquos hebræos saltatio gravis erat, et in cultum religiosum et ad celebrandas nationales glorias adhibebatur. (Ex. XV, 20; Jud. XI, 31; 1 Reg. XVIII, 6-7; Ps. CL, 4; Job. XXI, 11..., Cant. VII, 1...).

58. Ex iisdem locis aliisque pluribus constat vulgatam semper inter hebræos fuisse artem canendi et ore et musicis instrumentis, rudioribus forte primum et popularibus, sed elegantioribus et difficilioribus postea; quæ nempe speciali industria adhibebantur, donec etiam extranea instrumenta et modi musici noti fuere, græci præsertim, a viris phrygiis adsportati, qui per totam Asiam et Europam va-

(a) Aliquid tamen, ut ex tabernaculi et templi ornamentis constat; imo et ornatus ædificiorum ex regno vegetali adhibiti fuere, qui sunt character peculiaris *artis hebraicæ*, judicio D. Saulcy.

(b) Conf. rad. כרר, חול, חגג, צפר, רקד, aliaque; ex qua vocabulorum abundantia colligitur satis frequenter saltationem peragi consuevisse.

gantes circumibant; unde in ipsis libris hebraicis quædam nomina horum instrumentorum inveniuntur, fere veluti nunc vocabula italorum musica ubique gentium servantur.

Ceterum non pari certitudine constat qua forma donata essent hebræorum instrumenta musica; ac proinde eorum nomina hic subjicimus, iis tantum adnotatis quæ vero similiora visa sunt, omissis probationibus, quæ apud Calmetum, Jahn, Glaire, Gesenium, &c. videri possunt. Instrumenta musica chordis constantia generatim dicuntur נְגִינוֹת, suntque: נֵבֶל, nablum, vulg. *psalterium*, *lyra;* (Is. V, 12), instrumentum pulsatile, decem cordis munitum, forma fere triangulari (vulgo *harpa de David);* עָשׂוֹר (proprie *decas*) vulg. *decachordon* idem ac præcedens; כִּנּוֹר generatim *chordæ* (nescio an pro singulari instrumento accipi debeant, v. ps. CL, 4); כִּנּוֹר, κινύρα, *cithara*, idem quod prius (conf. 1; Reg. XVI, 23; XVIII, 10, &c.); עוּגָב et עֻגָב, vulg. *organum*, instrumentum aëre sonans, pluribus fistulis compositum, aut forte tantum *tibia*, *fistula*, *syrinx* (flauta, gaita) sed prius probabilius, ac proinde depositum aërem habebat, qui diversis fistulis exire cogebatur; חָלִיל, *tibia* (a rad. חָלַל, perforavit); נְחִילָה, *tibia* (ab eadem radice); שֹׁפָר et שׁוֹפָר, *tuba* (a sono acuto et splendenti dicta); חֲצֹצְרָה *tuba* (*trompeta metálica y recta*; anterior proprie *cuerno*); תֹּף, *tympanum* (*adufe, pandero);* צֶלְצָלִים, *cymbala* (probabiliter *platillos*); צִלְצְלֵי שָׁמַע (ps. CL, 5, *cymbalis benesonantibus*, forte *castañuelas*, adhuc in oriente, et occidente, adhibentur); מְנַעֲנְעִים, *sistra* (metallica instrumenta in forma arcûs quibusdam virgis etiam metallicis et movilibus gaudentia, quæ agitatione, seu simplici motu tangebantur); שְׁלִישִׁים item *sistra* 1 Reg. XVIII, 6, (semel hic occurrit horum mentio, nec eorum forma constat). Quæ apud Danielem speciatim occurrunt, nec sub iisdem nominibus in reliquis Bibliis, sunt: סַבְּכָא vel שַׂבְּכָא *Sambuca*, instrumentum pulsatile, nablo similis gr. σαμβύκη; סוּמְפֹנְיָה vel סוּמְפֹנְיָה, *symphonia*, gr. συμφωνία (proprie *concentus instrumentorum vel vocum*) significat *tibiam utricularem duplicem* (gaita gallega);—מְשַׁרוֹקִיתָא, chald. *syrinx*, vulg. *fistula*, Dan. III, 5. Hic transcribere juvat versionem psalmi 150, quam dat codex mss. Bibliæ hebraicæ hispanice translatæ sæculo 14° aut 13°, in bibliot. Sancti Laurentii existens (Est. 119, I, 3), qui ex hebræo

translatus est ab auctore anonimo, pulcherrime sane, et, quod notatu dignum, continens duos Machabæorum libros: «Load a Dios en su santidad—loaldo en el cielo de su fortalesa. E loaldo por sus barraganias—loaldo por su mucha grandesa. E loaldo con tañer de *cuerno*. E loaldo con *gaita* y *laud*, con *pandero* e *cantar*. E loaldo con *cherambelas* e *salterio*. E loaldo con *huérganos que suenen*. E loaldo con *huérganos de tañer*. E todas las ánimas loarán a Dios. Aleluya.» Ubi constat non eamdem fuisse opinionem interpreti (certe judæo), ac hodiernis philologis circa uniuscujusque instrumenti naturam.

59. In canticis etiam modos musicos servasse hebræos perspicuum est, præsertim post Davidem, qui omnia hæc ordinavit pluresque psalmos composuit in Dei laudem a sacerdotibus et levitis canendos; qui quidem sæpe titulum servant ad modum quo cani debebant, vel ad chorum cantorum, cui erant destinati respiciens, ut suo loco videbimus. Res etiam nationi faustas canticis celebrari consuevisse notissimum est, v. g. transitus maris rubri, victoria Saulis et Davidis in philistinos, judicis Jephte in ammonitas &c., unde pronum est concludere etiam privatim et privatas res et cantiunculas cani, et instrumentis celebrari consuevisse, quod pluribus demonstrari posset.

CAPUT XII.

Cultura hebræorum literaria.

60. A remotissimis temporibus scripturam fuisse hominibus notam nemo est qui ambigat; an vero ante diluvium, et qualis, nempe, an scriptura alphabetica fuerit vel hieroglyphica non constat inter eruditos. Si vero mirabilis antiquorum in multis sapientia, plena vero circa inventionis scripturæ epocham, locum et auctores respiciatur ignorantia, (a) vulgata dein populorum traditio, qui omnes a diis suis scripturam repetunt, ejusdem usus ante tempora historica, quin unquam de prima inventione sermo sit semperque nota jam supponatur, mira affi-

(a) Quod enim de Cadmo vulgo dicitur ad scripturæ inventionem non pertinet, nec probabile est in Phœnice primum inventam fuisse scripturam, cum alii antiquissimi populi plures libros et monumenta scripta reliquerint, dum linguæ phœniciæ nonnisi paucissima restant.

nitas antiquarum traditionum, quæ ab uno fonte procedentes, forte monumentis scriptis, saltem hieroglyphicis servatæ sunt, ipsa alphabeto rum affinitas (conf. Annales Phil. Christ.); hæc omnia aliaque id genus pene demonstrant ante diluvium scripturam jam fuisse notam. Eadem fere viget opinionum discrepantia circa originem *alphabetorum*, cum certum sit plurima eorum, et quidem diversæ familiæ idiomatum, miram affinitatem servare; ac proinde ex uno primum, aut forte ex una scriptura hieroglyphica, omnia exordium sumere. Probabilior nobis videtur eorum opinio, qui scripturam hieroglyphicam ante diluvium adhibitam, ab ægyptiis primum et chaldæis, dein a sinensibus adhuc servatam fuisse censent, ex eaque characteres phoneticos, ut dicunt, ac demum veram scripturam alphabeticam prodiisse.

61. Nobis probabile est a tempore Abrahami notam ipsi ejusque posteris fuisse scripturam (Gen. XXIII, 17; XXXVIII, 18, 25); ab egressu autem hebræorum ex Ægypto inter ipsos certe vulgarem, ut ex lege in lapidibus scripta constat, ex mandato multa scribendi, habendique semper coram oculis, et manibus circumligata (quod ad literam postea multi judæorum servarunt), ex lege circa libellum repudii, ex nunquam interrupto librorum usu post Moysem, denique ex inscriptionibus sinaiticis, ut vocant, quæ nempe iis in locis inveniuntur, quibus hebræi nomades habitaverunt, et valde probabiliter ipsis tribuuntur, quin contrariæ objectiones rem inverosimilem, multoque minus impossibilem ostendant; hæc omnia plene demonstrant in hebraico populo semper artem legendi scribendique et notam et vulgatam fuisse: quæ posterioribus temporibus magis magisque exsculta fuit ita, ut nullus populus coœvus in hac re hebræum superaverit.

62. Scribebant autem remotissimis iis temporibus præcipue: 1.° corticibus arborum, unde venit vocabulum βίβλος, liber, 2.° tabulis ligneis aut lapideis (veluti tabulæ decalogi), aut plumbeis vel æneis (Job. XIX, 24; 1 Mach. VIII, 22), 3.° linteis (ut in ægyptiorum momiis vulgare est), 4.° papyraceis chartis (ex quibusdam Ægypti arundinibus paratis), 5.° pellibus animalium majori minorivè arte præparatis, unde postea *pergamena*, a Pergamo dicta sunt, et chartæ *membranaceæ* appellari etiam consueverunt, 6.° lapidibus et saxis (Ex XXIV, 12; Deut. XXVII, 4... Jos. VIII, 30... &c., 7.° lateribus igne decoctis, ut sunt inscriptiones Borsippæ, Persepolis &c., 8.° ipso denique solo, præsertim arena (Joan.

VIII, 6, 8) ut de Archimede vulgo dicitur, atque in India adhuc ad litteras discendas servatur.

Instrumentum ad scribendum adhibitum diversum esse debuit pro diversa, qua scribendum erat, materia (conf. Job. XIX, 24) vulgo autem calamus adhibebatur (ps. XLIV, 2), præsertim si pellibus scribendum esset; qui quadam novacula parabatur fere ut apud nos adhuc fit dum avium plumis scribimus (hoc instrumentum dicebatur תער הסופר, *hoja de escribano*, *cortaplumas* (Jer. XXXVI, 23). Atramento etiam usos fuisse hebræos constat ex Num. V, 23, præsertim si ratio habeatur ad traditionalem judæorum interpretationem, juxta quos maledicta illa a sacerdote scripta contra feminam de adulterio suspectam, quæ aquis amarissimis delenda erant, atramento scribi debebant, sicut et libellus repudii; imo docent rabbini quomodo attramentum parari debet, ut debitus ritus servetur. Vocabatur attramentum דיו Jer. XXXVI, 18, unaque cum vase eum continente, calamo et novacula portabatur ab scribis ex cinctorio pendens. Cum satis multa scribenda erant, haud dubito quin linteis ex lino vel gossipio factis, vel potius pellibus animalium uterentur hebræi, circa virgam ligneam plicandis in modum cylindri (volúmen, rollo), ac corda demum ligandis, unde etiam sigillum addi poterat: atque ita fere adhuc sunt volumina V. T., quibus in sinagogis utuntur hebræi. Tam libri, quam epistolæ vocantur hebraice ספר, imo etiam scriptum quoddam, et generatim scriptura et ars scribendi (conf. Is. XXIX, 11, 12; Job. XXXI, 35; 2 Reg. XI, 14; 4 Reg. X, 1; Ex. XVII, 14; unde lex mosaica appellabatur antonomastice ספר, *Liber*, vel ספר הברית *liber fœderis*, et poëtica מגלת ספר *volumen legis]*; epistolarum tamen nonnisi serius occurrit mentio, nempe 2 Reg. XI, 14, absque illis salutationum formis longissimis ab orientalibus adhiberi solitis sicut et finalibus adprecationibus (conf. formulam compendiariam Esdræ IV, 17; V, 7). Apostoli et inscriptiones epistolarum et salutationes finales, inter græcos et romanos vulgatas, formulis charitatem, dilectionem et gratiam significantibus substituerunt (conf. e. g. formulam consuetam: *M. T. Cicero Lentulo vel Trebonio &c. S. D.* cum ep. Pauli ad Romanos I, 1—7, ad Cor. I. 1—3 &c.).

63. Ex jam dictis, atque infinitis propemodum allusionibus quæ in Scripturis occurrunt, ad *libros*, *lectionem* et *transcriptionem* eorum, tum a privatis hominibus, tum a prophetis, sacerdotibus et regibus, præsertim circa Deuteronomium, atque ex consuetudine fastus nationales servandi in publicis archiviis, ad quos in libris Regum et Paralipomenon passim alluditur; planum est colligere satis communem et vulgatam fuisse legendi scribendique artem, ac proinde linguæ hebraicæ, etiam exscultæ ac litterariæ, notitiam in populo; imo tales verborum lussus et linguæ pertractatio delicata in libris poëticis præsertim et propheticis apparent, ut non sit temerarium colligere hebræos iis passim delectari ac frui consuevisse, quod ex analogia cum populo arabico etiam colligi posset.

Non tamen intelligas velim eam linguam quæ in Bibliis est, ita vulgo adhibitam fuisse, ut nullas alias locutiones et verba plurima habuerint, præsertim cum lingua scripta pauperrima sit in vocabulorum copia, ejusque radices vix duo millia sint; dum arabica, ejus cognata, plus sexaginta vocabulorum millia in suis lexicis continet, quamvis arabica vulgaris minimam horum partem servet. Ex ipsa lingua constare etiam posset, etsi non aliunde appareret, indoles populi campestris, agriculturæ et pecorum custodiæ assueti ob idque naturæ ejusque fænomenis contemplandis dediti; dum pauca suppeditat vocabula speculationum spiritualium ac philosophicarum propria, plusque in ea valeat naturalis pulchritudo et ingenuus candor, quam artificiosæ combinationes et quidquid apud græcos et romanos modernosque populos conventionalis pulchritudinis est. Nempe in lingua et literatura hebraica nusquam invenitur formæ tantum pulchritudo, sed cum rei depictæ sublimitate, veritate, profunditate, cum veris et profundioribus animi affectibus, cum amore patrio et religioso conjuncta. Hæc naturalistica, ut ita dicam, linguæ et populi hebraici indoles, defectus literarum vocalium, verba hebraica duo tantum tempora habentia, adjectiva numero parva, facilis literarum permutatio, præsertim guturalium quæ valde abundantiores sunt, particulæ item paucæ ac proinde plura significantes, affinitas idiomatis cum aramaico et arabico, quæ certe nota erant primoribus hebræorum (conf. 4 Reg. XVIII, 26; et ex aliis multis colligi potest), facilis proinde usus horum vicinorum idiomatum apud eruditos, qui aut necessitate aut voluntate vocabula et formas extraneas adhibere poterant: hæc omnia aliaque similia plures explicant difficultates et anomalias in Bibliis occurrentes, et eos offendentes qui harum rerum ignari sunt, præsertim si mala voluntas Sacra Biblia

irridendi atque impugnandi præcedat. Ab iis tamen longius pertractandis supersedemus, cum proprium hoc sit institutionis grammaticæ paulo latioris, et nonnulla de idiotismis hebraicis dicere constituerimus in parte hermeneutica, in eorum gratiam qui linguæ hebraicæ addiscendæ operam dare nequiverunt. Ex dictis consequitur rationes linguisticas in re critica non semper esse demonstrativas; licet non sint parvipendendæ, cum diversitas idiomatis purioris ante captivitatem babylonicam, et pluribus aramaismis referti circa tempora hujus captivitatis ac postea, quando antiqua lingua hebraica vulgaris esse desiit, verum fundamentum habeat; non tamen ita perspicuum, ut, hoc solo argumento nisus, possit quis circa alicujus libri ætatem, auctorem aliaque hujusmodi contra vulgatam historiam et judæorum ac christianorum traditionem apertam quidquam concludere (conf. Sect. V, n.° 691, et circa linguam N. T. ib. n.° 692).

64. Genera autem literaria, quæ in Bibliis extant, juxta regulas classicas determinare incongruum est et puerile, atque Librorum Sacrorum sublimitati et præstantiæ non parum derogans; perinde ac si quis vellet indorum *pagodas* et *immensa poëmata* vel *cathedrales gothicas*, quas dicunt, et pulcherrimas *medii ævi legendas*, regulis subjicere architecturæ græcæ, et rethoricæ Aristotelis vel Quintiliani. In iis rebus dijudicandis non rethorica, sed profundior ac vera æsthetica adhiberi debet, quæ veram pulchritudinem non in mera forma collocat, sed omnia rimatur auctoris, libri, populi cui destinatus est, civilizationis a qua fuit inspiratus, materiæ contentæ adjuncta; formam vero iis omnibus accommodandam esse docet, non e contra. Quæ si teneantur, nemo sanus et rei peritus non suscipiet hoc orientalistæ celeberrimi Jones judicium: Biblia hebræorum continet «plus eloquentiæ, veritatum historicarum, doctrinæ moralis, divitiarum poëticarum, verbo, plus pulchritudinis omnis generis, quam ex omnibus omnium populorum et sæculorum confectis libris colligi potest.» Quodcumque sit libri genus in hebraica literatura, hunc peculiarem characterem habet: quod nempe nusquam meram voluptatem aut merum literarium exercitium persequitur, nusquam malas hominum passiones blanditur, nusquam crimina praveque facta refert quin ea condemnet; sed in rebus religionis potissimum et deinde patriæ immorat, ad bonum ubique excitat et a malo deterret, iis quidem motivis, quæ pro ætatis et populi adjunctis opportuna et efficacia esse poterant. Ex dictis jam

sequitur non esse in Bibliis quærendum speciale quoddam litterarium genus diversis classicis generibus accommodatum, licet ob quamdam similitudinem, horum vocabulis designari possit. Sunt namque in Bibliis historiæ populi hebræi, imo totius humani generis, sed institutionibus religiosis, politicis, domesticis mixtæ; canticis aut pulcherrima poësi simul cum simplicissima narratione eventûs forte domestici positis; descriptionibus locorum et morum absque ullo arte factis, sed ita vividis ac veritate plenis, ut lectorem rapiant, atque in illam ætatem transferant et in medio hominum illorum collocent, omniaque suis oculis videre et auribus audire cogant. Sunt idylliorum species, quibus nullum aliud ex omni literatura comparari potest, sive in vividis et intimioribus cordis affectibus describendis, ut Canticum Canticorum, sive in ingenua, tenerrima et undequaque pulcherrima feminæ popularis historia enucleanda, ut Ruth. Sunt poëmata historico-didactica ac philosophica, ut Job, Proverbia, &c.; lyrica, ut psalmi et cantici, inspiratione religiosa, quandoque et patriotica omnibus præstantiores; denique peculiare est propheticum genus, quod in una Biblia tantum invenitur, et omni pulchritudine ac sublimitate præstat, et vehementissimos affectus, et locutiones magnificas et profundiorem cordium hominum removendorum artem oratoribus et poëtis christianis inspirare adhuc non desinit.

CAPUT XIII.

Forma poëseos hebraicæ externa: ejusdem historica delineatio.

65. Quod attinet ad poëseos hebraicæ formam externam, non illa versibus constat certo pedum numero completis, certoque ordine dispositis, velut poësis græca aut latina; neque etiam certo syllabarum numero et æquali vel simili vocabuli finalis sono (consonantes, asonantes), quemadmodum hispanica; sed peculiari conceptuum dispositione qua quilibet eorum non una propositione exprimitur, sed variis ejusdem fragmentis sibi mutuo in sensu et forma respon-

dentibus et versum constituentibus veluti fragmentum compositionis poëticæ. Sic conceptus: *ego multis calamitatibus opprimor*, exprimitur (ps. CXIV, 3-4) ter hoc modo:

«Circumdederunt me dolores mortis:
et pericula inferni invenerunt me.
Tribulationem et dolorem inveni.»

Hæc conceptuum dispositio sibi ordine succedentium vocatur *parallelismus*, qui non semper perfectus est, sed aliquantum negligitur, et poëtica locutio ad solutam accedit. *Parallelismus* esse potest *synonymus*, ut dicunt, si singula fragmenta ejusdem conceptus idem fere significent, ut loco citato, et sæpissime, v. g. ps. CXIII. 1-8; *antitheticus*, si exprimant contraria, v. g., Is. XXXI. 3:

«Ægyptus, homo,
et non Deus:
et equi eorum, caro,
et non spiritus.»

Luc. I. 52-53: «Deposuit potentes de sede,
et exaltavit humiles;
esurientes implevit bonis,
et divites dimisit inanes;»

analyticus, dum conceptus explicatur per partium enumerationem, v. g. Eccli. XLV, 6: (conf. ps. LXXIII. 12-17)

«Et dedit illi (Moysi) coram præcepta,
et legem vitæ et disciplinæ,
docere Jacob testamentum suum,
et judicia sua Israel;»

syntheticus quando conceptus in secundo fragmento completur, aut ejus ratio redditur; v. g. ps. L, 1-9; III, 6:

«Miserere mei, Deus,
secundum magnam misericordiam tuam...»
«Asperges me hyssopo,
et mundabor:
lavabis me,
et super nivem dealbabor.»
«Ego dormivi, et soporatus sum, et exurrexi,
quia dominus suscepit me;»

comparativus, si mediante comparatione conceptus explicatur, v. g. Prov. X. 26:

Sicut acetum dentibus et fumus oculis;
sic piger his qui miserunt eum.»

Deut. XXXII. 2.. «Concrescat (stillet) ut pluvia doctrina mea,
fluat ut ros eloquium meum;
quasi imber super herbam,
et quasi stillæ super gramina.»

Hæc parallelismi forma quantum conferat interpreti Bibliorum, suo loco explicabitur.

Ceterum non semper cujusquam conceptus poëtica fragmenta sibi immediate respondent, sed quandoque alternant, veluti cum ex quatuor membris, 1.m 3.o, 2.m 4.o respondet, v. g. ps. 32, 13, 14; aut ex quinque membris duo prima et duo postrema parallela sunt, medium autem impar, v. g. Is. XXXI, 4; vel quatuor prima sibi respondent, et 5.m est impar, ut Prov. XXX, 4; (conf. etiam Cant. Cant. III, 10; Ps. X, 4 hebraice, Am. IV, 13 &c). Unde dantur species stropharum 3-7 membrorum, quæ etiam aliquoties incipiunt et disinunt sententia proverbiali, v. g. ps. XLI, 6-12; Is. IX, 12-17-21; imo in his strophis invenitur quidam rhithmus seu cadentia similis, ut videtur, studio quæsita, e. g. Jud. XIV, 18; Is. XXVI, 20-21; XL, 24; Zach. XI, 1). Quandoque etiam paranomasiam quærebant et lusus verborum, qui non parum interpretes torquere solent, e. g. Is. XXVIII 10-13. (a) Sæpissime datur tantum *parallelis-*

(a) Hoc verborum lusu forte explicabitur locus difficilis Jud. V, 2; בפרע פרעות בישראל בהתנדב עם ברכו יהוה, vulg.: *qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino.* Vix tamen duo inveniuntur interpretes textus hebræi qui in ejus sensu determinando conveniant. Ast, si ad id attendas quod in victoria, de qua loquitur textus extraordinarium fuit, nempe feminarum opera præcipua fuisse acceptam (cap. IV. 8-9...), ac simul vocabulo פרע sensum proprium serves *comæ*, ejusque affini פרע sensum præcipuum *solvendi*; jucundam simul paranomasiam invenies, allusionem ad extraordinarium eventum ac poëticam descriptionem Debboræ ac Jahelis, quarum comæ ventis datæ depinguntur in pugna contra hostes Israel. Interpretari ergo possumus: *In solvendo comas in Israel, in populo sponte sequendo* (ductrices feminas), *benedicite Dominum.* (Load al Señor en el flotar de las cabelleras de Israel, en el seguimiento espontáneo del pueblo).

Alter locus similis est cantilena Samsonis qua victoriam cele-

mus syntacticus, qui in succesione periodorum consistit analogiam servantium vocabulorum et formæ constructionis, non vero in re significata: hoc apud prophetas communius est, atque hujusmodi periodi breves rapidæque sunt in sublimiori stylo, longiores et languidæ ubi stylus prophetarum prosaicum sapit. Denique hebraica poësis, sicut et reliquæ, ab oratione soluta discrepat ob vividiores conceptus, jucundiorem eorum expressionem, verborum delectum, arcaismi usum, audaciores imagines ac dictionis figuras, aliaque hujusmodi, quæ libros poëticos ab historicis plane distinguunt; etsi varietas ac libertas qua iis omnibus hebræi utebantur, facillimum transitum permitteret a soluta ad numerosam orationem; unde ipsi historici, ubi, narratis eventibus, quidquam proprio marte ratiocinantur et considerant, stylum poëticum facile adhibere solent.

67. Ex hac hebraicæ poëseos indole, in intimioribus ac vividioribus cordis affectibus exprimendis, magis quam in verbis artificiose collocandis immorans, facile colligitur ab antiquissimis hominibus præclare excoli etiam potuisse, prout re ipsa factum est. Occurrit jam fragmentum poëticum ante diluvium in verbis Lamech ad suas uxores (Gen. IV, 23, 24); postea vero in imprecatione Chami a patre Noe facta (ib.

bravit de mille Philistinorum asini maxilla susceptam (Jud. XV. 16): בלחי החמור חמור חמורתים בלחי החמור הכיתי אלף איש ubi, cum vocabulum *chamorataim* duale femininum sit ac proinde duas asinas significet, aliquis forsan intelligeret de duabus asinis etiam versionem vulgatam (*in maxilla asini, in mandibula puli* ASINARUM *delevi eos, et percussi mille viros*), ut eam irrideret; cumque versio nunc communior intelligat *acervos*, quod ægre defenditur, nec in tota Biblia occurrit, neque etiam cogitari potest Samsonem mille viros non solum *reipsa occidisse*, sed in *acervum vel duos acervos collegisse*, cum potius intelligendum sit eum eos fugasse multis occissis; verosimilius ob hæc videtur Samsonem paranomasiam fuisse prosecutum inventione verbi nusquam adhibiti: nempe ex vocabulo חמור et eventus natura, facile in mentem venit formatio verbi חמר cum significatione se habendi cum aliquo veluti cum asino. Rejecta itaque punctuatione masorethica, lectoque חמרתים pro חמורתים, intelligimus (venia detur barbaræ locutioni, quæ proprius exprimat formam originalem, quam credimus): «*Cum maxilla asini asinando asinavi eos; cum maxilla asini cecidi mille viros.*»

IX, 25—27), in orationibus quibus Isaac et Jacob filiis suis fausta sunt ominati (ib. XXVII, 27—29, 39—40, ac toto cap. 49). Moyses deinde pulcherrima ac magnificentissima carmina condidit, Balaam futura prædixit, Debbora victoriam celebravit, Joathan primum apologum invenit qui adhuc maneat (Jud. IX, 7—20), Samson ænigmata proposuit (ib, XIV, 14) ac epigrammate suam victoriam cecinit (ib, XV, 16), mater Samuelis canticum edidit (1 Reg. II, 1—10), David omnis generis psalmis lyricam poësim ad sublimiorem gradum perduxit; quem Salomon multique alii postea imitati sunt, aliaque poëseos genera coluerunt, didacticum præsertim et propheticum, ac demum elegiacum a Jeremia in threnis maxime cultum.

CAPUT XIV.

Historicæ scientiæ, mathematicæ et cosmographicæ.

68. An et quousque historicas scientias hebræi coluerint Sacra Biblia demonstrant, quæ magna ex parte historiæ sunt; et quidem universalis historia priorum temporum et originis rerum omnium hîc solum continetur, ea veritate, sinceritate et perspicuitate, ut illa prælucente omnes populorum omnium antiquæ narrationes, inter historiam, cosmogoniam, philosophiam et mythologiam fluctuantes, et lumen et explicationem accipiant, ut pote quæ veluti rudera sunt primæ hominum historiæ et traditionis, tractu temporis aut fere oblitæ aut humanis inventionibus fœdatæ. Nec illi desunt duo historiæ lumina, *geographia* scilicet et *chronologia*, quamvis non ex professo ac omni amplitudine pertractatæ sint, unde non leves oriuntur difficultates et controversiæ, præsertim si concordia quæratur eventuum et temporum historiæ biblicæ, cum historiis profanis, quæ plerumque aliis nominibus propriis, systematibus chronologicis, notionibus topographicis et geographicis utuntur. Hæc historiæ biblicæ perspicuitas, qua inextricabilem farraginem antiquæ historiæ mythologicæ omnium populorum in immensum excedit, magna ex parte procedit a veterum hebræorun studio familiarum genealogias texendi atque ser-

vandi, quod ex ipsis Bibliis notissimum est, et arabum ac nomadum populorum hodierna adhuc consuetudine. Accedit indoles narrationis summe concisa ac biographica præcipua tantum facta narrans, aut res politicas et religiosas populi hebraici ac finitimorum, quatenus cum hebraico relationes quasdam servarunt. Denique mos israelitis fuit facta publica litteris consignare et publicis archiviis recondere, præsertim a sacerdotibus et prophetis conscripta; quæ dein ab auctoribus librorum historicorum consulta sunt ac magna ex parte descripta, ut plurimis citationibus passim occurrentibus aliisque signis facile demonstrari potest. In texendis autem genealogiis sæpe incompletam parentum seriem dabant, aut quia memoria aliqui exciderant, aut ex antiquis monumentis; hoc autem unum cordi habebant, ut nempe præclaros parentes non omitterent, ut prima omnium stirps omnibus pateret.

69. Arithmetica aliæque mathematicæ scientiæ vix præter ordinariam vitæ simplicioris necessitatem cultæ esse debuerunt; nullum enim restat monumentum quod magnum earum progressum indicet. Idem fere dicas de astronomia, quin tamen indicia desint non parvæ hujus disciplinæ cognitionis in prioribus patriarchis, ut supra innuimus, nec forte omnino fabulosæ sunt narrationes libri Enoch (aliunde apocryphi), juxta quas hic patriarcha primus astronomiam coluit; et historiis sinensibus eadem res confirmari videtur. Utrum vero scientifice astronomia remotissimis illis temporibus coleretur non liquet et est valde dubitandum; principia autem practica et formulæ mirabiles temporum revolutiones dimetiendi, queis populi prisci utebantur, ex longa experientia, cui longissima hominum vita, planities asiaticæ, et vitæ campestris indoles plurimum favebant, oriri debuerunt; alioquin ad revelationem primævam confugiendum est, quam posteri obliti sunt, vixque aliquas empiricas formulas servarunt; ut qui horologii cordam aut elasticum ferrum præparare didicerit, ipsam vero horologii structuram penitus ignoraret.

70. Cosmographica systemata in Bibliis non apparent, nisi in modo loquendi vulgaribus populi notionibus accommodato. Hinc falsum est asserere unum alterumve systema cosmographicum in Scriptura fundari, quæ nusquam hæc docere homines voluit, sed res morales et religiosas, histo-

riamque populi cum historia revelationis intime connexam. Quod si contrarium quandoque apparet, vel vulgaris loquendi modus est, ut cum solem oriri et in gyrum rapi dicimus, qui terræ motum ac solis stabilitatem admittimus; vel poëtica locutio, qua conceptus exprimitur juxta ideas populi receptas, aut libertate poëtica inventas.

Patres quidem et scriptores ecclesiastici notiones quasdam cosmographicas Bibliis tribuerunt; sed illas a receptis sui temporis lucubrationibus philosophorum ac sapientum acceperunt, quas cum primo intuitu in Bibliis confirmatas viderent, ut veritates naturales ac nulli dubitationi subjectas acceperunt, ut fit quotiescumque vulgaris cujusdam fænomeni explicatio nulla ratione refellitur. Id tamen in Ecclesia non eo usque progressum fuit, quo adversarii fingunt; et *Cardinalis Cusanus*, et *Copernicus* (cujus opus R. P. dicatum fuit) catholici viri fuerunt, et in clero recepti, qui tamen vulgatas cosmographicas notiones repudiarunt, prout multi alii postea fecerunt. Quod si Galilæo aliter evenit, suæ temeritati potius tribuendum est Scripturam violenter interpretanti (re præsertim tunc parum probabili juxta peritissimos), nec eas persecutiones passus est, quas passim exaggerant viri malevoli remque præsentem ignorates. Verbo: Scriptura divina est Ecclesiæ infallibili judicio interpretanda; et hoc sensu considerata, nulla omnino cosmographica systemata docet. Si privatus unus vel alter adhuc proprias theorias in ea videt ejusque auctoritate defendit, ipse viderit: de iis opinionibus Scriptura argui nequit, sed de illis tantum quas ipsa vere docet, nobisque constant Ecclesiæ interpretatione authentica. Ceterum, cum frequentes sint locutiones ad populares cosmographicas notiones alludentes, non abs re erit has paucis subindicare, ne literæ vis inferatur, dum hæ locutiones ad hodierni systematis regulas accommodare aliquis vellet, neque etiam accipiatur ut doctrina vere revelata, quæ vulgaris ut plurimum elocutio est illius rei, quæ vulgo etiam apparet, ut re ipsa fecerunt Patres aliqui multique interpretes, litteræ sono adhærentes, dum nulla ratio aderat aliter se gerendi.

71. Atque ante omnia sunt quædam ex iis, quæ vere Scriptura docet: creationem nempe totius mundi ex nihilo a Deo mera voluntate factam, et ordinem quo post materiæ cosmicæ, ut dicunt, creationem, omnia sex dierum spatio ordinata fuerunt. In quibus duo veniunt adnotanda, 1.° veram historiam vulgari sermone propositam, ab hominibus nequidquam physicis et astronomis intelligendam hic proponi, quæ proinde non nimis in quolibet vocabulo per-

sequenda est; 2.° de iis tantum rebus sermonem hic fieri quæ primis hominibus objiciebantur, (a) et de eorum relationibus facile apparentibus, quin reliquæ excludantur; et hoc quidem ordine creata esse dicuntur, quo ex Geologia ipsa apparuisse super terram discimus, hominemque postremum et recentem. Quo sensu, etsi Moysem non dicamus geologum, cum Geologia ipsum convenire affirmamus, quod hucusque falsum esse nemo demonstravit; facillimum, imo necessarium fuisse, nisi veritatem inspiratus dixisset, quisque comprehendit; eo magis, quod reliquæ populorum cosmogoniæ absurdis undequaque scatent, sicut et antiquorum philosophorum et forte hodiernorum opiniones (conf. sect. 4.ª, n.° 632...). Quo autem modo populus rem intellexerit (excepto dogmate creationis, cum suis consectariis moralibus et religiosis), ex communi usu loquendi Scripturarum probabiliter eruitur. Itaque tres cœlos admittebant: *aërem* (Gen. I, 26, 28; II, 19, &c.); *firmamentum*, (b) (Gen. I, 7—8), ac *tertium cœlum*, supremum, Dei sedem (Deut. X, 14; 2 Cor. XII, 4). Sol et luna veluti ratione pollentia depinguntur poëtice, una cum stellis: omnes cursum suum norunt, ordinate velut exercitus moventur, Deum laudant, ac sol præsertim, qui *posuit in cœlo tabernaculum suum* (ita hebraice psal. XVIII, 6) ac velut gigas exultans totum cœlum percurrit, giransque per meridiem vertitur ad aquilonem (Eccl. I, 4, 5), quod posterius satis

(a) Ob idque sex tantum periodi seu dies numerantur, cum plures forsitan fuerint, sed præcipui describuntur.

(b) רָקִיעַ, *expansum*, dividens aquas ab aquis, probabiliter Gen. I, 4, 7, 8, est pars atmosphæræ superior, infra quam sunt aves, ac nubes formantur aquis in tota atmosphæra dissipatis; sed postea vulgo acceptum fuit pro quadam solida lamina ac pellucida in qua astra movebantur, dum ipsa fixa maneret, super terram ad instar tecti fundata quod eam operiret. Collatis locis ubi de *cœlo*, aut diversis *cœlis* sermo est, (hebr. רָקִיעַ, שָׁמַיִם, שַׁחַק) defendi posse credo omnia hæc vago quodam modo designata fuisse, ut vulgo apud nos fit; nullamque necessitatem existere admittendi hanc, quam communiter admittunt, cœlorum structuram solidissimam, instar laminæ metalicæ, quæ aquas superiores contineat, ac per valvulas quasdam huc dimittat, cui insideant astra, &c., &c., quod apparet quidem in Bibliis, sed poëticis locutionibus, juxta rei primam apparentiam aut etiam vulgi opinionem.

implicatum est, ac nocte fieri ex veterum opinione dictum credo. Omnia deinde naturæ fænomena a Deo immediate producta perhibentur, pluviæ, venti grandines, tonitrua (magnificentissime ut *voces Dei* depicta v. g. Job. XXXVII, 1..), fulgura (velut Dei sagittas, Deut. XXXII, 23; ps. LXXVI, 19), nebula (tamquam *pulvis pedum Dei*, Nah. I, 3), aliæque imagines plurimæ et præclaræ inveniuntur, in vulgari populi opinione forsitan fundatæ. Terra aut in spatio vacuo suspensa depingitur (Job XXVI, 7; Is, XL, 12), aut communius (sed hoc tantum de terra habitabili) in aquis supernatans (Ps. XXIII, 2; CXXXV, 6), aut super fundamenta nescio quæ (Job. XXXVIII, 4, 5; Prov. VIII, 29; Is. XL, 21, quibus in locis videtur ad rem prorsus mirabilem ac incomprehensibilem alludi, nempe ad stabilitatem terræ nullo fundamento nixæ), sæpe denique de columnis cœli (quasi fornix esset ut vulgo apparet) terræ innixis ac de hujus fundamentis solidissimis sermo fit, qui tamen ad Dei aspectum contremiscunt ac concutiuntur. In hujus centro est infernus, ubi gigantes ac perversi homines gemunt (Job XXVI, 5; Is. XIV, 9), alius autem locus justorum animas recipit (Luc. XVI, 22-23), qui duo dicuntur שְׁאוֹל, a שְׁעוֹל *locus cavus*, *cavitas*, inter se minime communicantur (Luc. ib. 26), ac certo distinguuntur a sepulchro, קֶבֶר, licet quandoque improprie pro sepulchro accipiatur vox שְׁאוֹל. Terra denique figura, ut videtur, quadrilonga, immobilis creditur cum cœlo; unde imagines et comparationes desumuntur ad rem perpetuam ac immutabilem designandam. Terra habitabilis (seu *arida*, אֶרֶץ) super aquas maris fluctuans, Dei manu impeditur quominus errabunda vagetur, *abysso magna* circumdata est, quæ etiam terminos utrinque habet, alteram nempe terram inhabitabilem, ex nonnullorum sententia beatarum animarum sedem, cui cœli columnæ insident (Job. XXVI, 11; Prov. VIII, 27; ps. XXXII, 7; Jer. V, 22, &c). Mare itaque erat extremum terræ, ultra quod nemini habitare licebat (ps. LXXI, 8; CXXXVIII, 9); exinde fontes et flumina originem ducebant, (Eccl. I. 7; Prov III, 20; Gen. XLIX, 25; &c.), quod divinæ sapientiæ adscribitur non sine causa (multoque magis ex hodierna scientia esset concludendum, quæ æquilibrium miratur evaporationis maris cum aquis illuc defluentibus, postquam vitæ plan-

tarum animaliumque necessitatibus occurrerunt). Regiones omnes quæ marino itinere frenquentari solebant *insulæ* appellabantur; nescio utrum id vi vocis fieret, an oratione tropica, vel forte geographiæ vulgari ignorantia.

CAPUT XV.

Aliæ scientiæ: geographia, chronologia, philosophia, &c.: scholæ.

72. Notiones geometricas, mecanicas aliasque, saltem empirico modo nactas, et in Ægypto probabiliter aliquantum perfectas, passim Scriptura supponit; nullum vero argumentum suppeditat, quo eas notabilem perfectionis gradum attigisse credamus. Major est rerum geographicarum in Scripturis mentio, quæ, si de terra ipsa ab hebræis habitata ejusque finitimis sermo sit, valde prætiosa est, et rei veritati conformis, ut jam a præstantissimis geographis ac viatoribus regiones illas peragrantibus conceditur. Hæc scientia Salomonis tempore aliquantum crevit, quum naves illius commercium agerent *in regione Ophir* (Sofala y costa S. E. de Africa, ó el Indostan é islas de la Sonda) et usque Tharsis (España).

73. Systema vero chronologicum admodum simplex erat, in quotidianis observationibus et vita agricolarum propria fundatum. Dies incipiebat ab occasu solis (Lev. XXIII, 32), unde locutio illa: *vespere et mane* dies unus....; sæpe vero incompleti pro completis numerabantur, ut in historia passionis Domini. Licet vago modo nec semper constanti, dies in sex partes distributus apparet: *summo mane*, *aurora* [שחר, ps. LVI, 9, *diluculo*], *mane* (בקר Gen. XIX, 27), *fervor* seu *calor diei* (חם היום Gen. XVIII, 1), *meridies* (צהרים Gen. XLIII, 16), *aura* post meridiem (רוח היום Gen. III, 8) *vespera* (ערב Ex. XVI, 12; XXX, 8) quæ a solis occasu incipiebat juxta Karaitas ac Samaritanos (v. Deut. XVI, 6), a tempore quo sol æquidistans est inter meridiem et occasum juxta Pharisæos; tempus autem medium dictum fuit *inter duas vesperas*. Alia diei distributio in quatuor partes postea in usu fuit ab ortu solis ad ejus occasum, vo-

cabanturque hæ partes (oratione forte consecratæ) prima, tertia, sexta et nona, quæ tres horarum nostrarum unaquæque comprehendebat, et ipso nomine supponere videntur nihil aliud esse quam præcipuas ex duodecim horis diei, quæ aliunde etiam occurrunt. Hinc duo systemata eas numerandi, ex quibus primum sequitur evangelista Marcus XV, 33, alterum Joannes XI, 9; XIX, 14. Nox primum in tres *vigilias* distributa fuit, quæ dicuntur *initium vigiliarum* (Thre. II, 19), *vigilia mediæ noctis* (Jud. VII, 19) et *vigilia matutina* (Ex. XIV, 24), quæ a galli cantu ad ortum solis perdurabat. Post tempora asmonæorum sermo est de eadem noctis partitione in quatuor vigilias, quæ erat apud romanos consueta, et ab ipsis forte introducta.

74. Celeberrima est consuetudo numero septenario virtutem ac significationem symbolicam tribuendi, in omnibus populis reperta, atque ab antiquissima traditione historiæ creationis deducta. Hinc divisio temporis in periodos septem dierum, seu *hebdomada* ac *septimana*, שָׁבוּעַ, quæ etiam apud hebræos dicta fuit *sabbatum*, a postremo ejus ac celeberrimo die sabbati sive requiei (שַׁבָּת); immo numerabant etiam septem hebdomadas a pascha ad festum pentecostes seu hebdomadarum, septem annos quorum ultimus *sabbaticus* dictus est, septemque annos *sabbaticos*, post quorum lapsum aderat annus *jubilæi*. Dies hebdomadæ numerabantur ordine; nempe *prima*, *secunda*, &c., et *prima sabbati* &c. Menses hebræorum lunares erant, ac nova luna incipiebant (quæ dicebatur *neomenia* græce, *calendæ* latine; conf. Num. XXVIII, 11; XXIX, 6, hebr. חֹדֶשׁ, *noviluniun*, dies festus erat sed cum facultate laborandi), inter 29 et 30 dies alternabant, ac duodecim annum complebant, præter eos annos, quibus alius mensis componebatur illis diebus quibus annus solaris lunarem superat, quod fiebat cum circa finem *Adar* nondum hordeaceæ segetes erant, ex quibus manipulus erat offerendus in secundo paschatis die, ac proinde hoc simplici medio reducebantur anni lunares ad solares, mense intercalari fere post tres annos addito. Ordo et nomina mensium hæc sunt: *Nisan* (antiquitus Abib), 30 dierum, a neomenia præcedente æquinoctium vernum (inter martium et aprilem), *Siv*, aut chald. *Iiar* (utrumque significat *mensis lucidus*, *splendens*, *mensis*

florum], Sivan (lætitia), Thamus (Adonis), Ab (fructus?), *Elul* (vanus?), *Tischri* (primus mensis anni civilis circa æquinoctium septembris), *Bul* seu *Margeschvan*, מַרְחֶשְׁוָן, *Kisleu* vel *Casleu*, *Tebeth*, *Sabat* aut *Schabat*, *Adar* circa mensem frebruarium, ac demum *Ve-Adar* mensis intercalaris. Annum vero lunarem duodecim mensium apud hebræos antiquissimum esse, imo ante diluvium exstitisse (si jam non erat annus solaris exactissimus, quod non prorsus improbabile est), ex historia diluvii constat, ubi numeratur tempus per menses et dies (cap. VII et VIII Gen.), quo ingressus est Noe in arcam, agitur de mense 2.°, 7.°, 10.°, de die 27.° &c.

75. Majora temporis spatia, quatenus in historiis adhiberi solent, hebræi per *generationes* numerarunt, quibus triginta fere annos complectebantur, et etiam fere centum, pro ætate longæva parentum; unde quadringenti fere anni, quibus in Ægypto fuere, dicuntur alicubi *quatuor generationes;* ast vagum hoc systema satis determinatur sæpe adnotationibus annorum, quibus Patriarchæ filios genuerunt; nisi quod textus hebraicus, samaritanus et græcus valde discrepant, atque ob multas gravesque rationes generatim præferendus est hac in re textus græcus LXX interpretum, qui post diluvium 100 annos addit ætati qua singuli Patriarchæ generaverunt, valdeque rationi congruit; alioquin Semum imo ipsum Noe cum Abrahamo vixisse diceres, quod admitti vix potest, aliaque majora incommoda venirent. Quandoque aliarum etiam epocharum mentio in Scripturis fit, v. g. diluvii, vocationis Abrahæ, egressus ex Ægypto, fundationis templi &c., vel alicujus eventus externi, ut regnorum Persiæ, epochæ seleucidarum &c.

76. De *medicis* et *medicamine* non semel mentio in Scripturis fit (רִפְאָה ex רָפָא *consuit*, forte a consuendis vulneribus, Gen. L, 2; 2 Par. XVI, 12; etiam חָבַשׁ, Is. III, 7; I, 6, ex radice significante *ligavit*, *circumligavit]*; unde probabiliter credendum est artem medicinæ non multos progressus fecisse apud hebræos, præsertim cum nulla sit mentio medicorum in ægrotatione Patriarcharum, nec á Joseph ad patrem missi sunt, sed tantum ad curandum corpus defunctum. Præclara vero sunt indicia notionum hygienicarum in lege mosaica, in iis præsertim quæ *lepram* respi-

ciunt; qui quidem morbus optime cum diversis ejus speciebus ibi describitur. Generatim morbi ut a Deo missi habebantur, a Deo solo curationem accepturi; unde tot in Scripturis loca huc respicientia, ac tentamina sanationem a Deo aut falsis diis recipiendi.

77. Philosophia item, si, ut passim fit, velut *Studium Sapientiæ ex sola ratione naturali* accipiatur, nusquam fuit ab hebræis exculta, quod sciamus, nullusque liber ejus remanet: *Sapientia* hebræis idem est quod *lex*, *revelata doctrina*; quod ex sexcentis Scripturæ locis præsertim psalmorum, Proverbiorum, Ecclesiastæ, Sapientiæ et Ecclesiastici constat. Neque hoc tribuendum est *linguæ defectui*, ut nonnulli faciunt; siquidem numquam lingua minus apta obstaculum philosophiæ excolendæ fuit, quod exemplum Ciceronis declarat; imo libri sunt hebræi formam philosophicam præseferentes, ut Ecclesiastes. Sed aliunde res est repetenda, ex nulla nempe necessitate *Sapientiam* quærendi *sola ratione duce*, quæ jam plenius ac melius habetur institutione divina: scilicet hebræi sensum communem melius quam hodierni christiani multi audierunt ac secuti sunt. Ceterum si Philosophiam appellare velis doctrinam, præcipue moralem, quæ in Proverbiis, Sapientia et Ecclesiastico traditur, nulla mecum erit verborum pugna. Hoc unum certissimum est: hebræos, *quæ ad Deum, mundum* et *hominem referuntur*, melius ac profundius cognovisse, quam philosophi omnes universæ terræ, ipsosque suo ingenio minime id tribuisse, sed divinæ revelationi. Si quis autem eum arguere velit, qui febrim mederi scit, ac reipsa facile medetur, quia id non præstat *juxta artis præcepta*, ipse poterit hebræos arguere quia non habuerunt *Philosophiam puræ rationi naturali innixam:* nobis vero talis delirare videretur.

78. Denique naturalem historiam ab hebræis cognitam fuisse tum id docet, quod de animalibus ac plantis in Scripturis relatis diximus (n.° 39—44 et 48—50), tum quæ de Salomone leguntur, scripsisse nempe de re botanica *a Cedro usque ad hyssopum*, ac de zoologia, præcessisseque sapientia omnes orientales et ægyptios, ita ut multi a longe venirent ad audiendam ejus sapientiam. Ipsius autem hac de re scripta perierunt, ac pro certo tenendum est neque istam scientiam a reliquis hebræis, nisi vulgari ac empirico modo notam fuisse, licet non minimæ notiones zoologicæ, botanicæ ac

mineralogicæ occurrant, præsertim in libro Job, ubi argumenta rerum naturalium libentius ac summa poësi pertractantur.

79. Hæc, quam diximus, hebræorum cultura literaria ac, si placet, scientifica quomodo traderetur ante tempora captivitatis, an institutione domestica, vel publicis scholis, non constat; præsertim cum de solis *scholis prophetarum* in libris regum sermo sit; ex vulgata tamen quam diximus, legendi scribendique arte, vero simile est in qualibet civitate scholam publicam exstisse ad primam puerorum institutionem a levitis ut plurimum traditam. Post exilium autem vere exstiterunt scholæ ad linguam hebraicam edocendam legemque explicandam, præter eas quæ in synagogis fiebant, explicationes ac commentaria. Inter gentes vero, græcam præsertim, constituti magistri illi plura ex philosophia græca sumpserunt atque illis legem interpretari sunt conati. Hinc ortæ divisiones et schismata, hinc legis adulteratio sub putida ac effrenata allegoria (v. g. in Philone, libris thalmudistis, cabalisticis), hinc horum magistrorum supercilium super omnes sese extollentium ac theoreticam legis notionem omnibus virtutibus ac meritis præponentium, hinc tot humanæ traditiones pueriliter ad dignitatem præceptorum divinorum elevatæ, hinc denique ad literæ corticem nimia adhæsio, ac spiritus legis oblivio ac ignorantia. Quod si rabbinus Hillel ita cortici litteræ inhærere non solebat, nihil mirum, cum jam tunc incredulitas ac philosophia materialistica a plurimis recepta esset, qui patriis calamitatibus obliti queis subvenire nequibant, totam vitæ rationem in vita quieta ac molli collocarent, ut de saducæis constat. Præterea nulla est, inter sententias Hillelis, *quæ pene evangelicæ videntur* D. Renan, quas in V. T. libris non invenias; sicut et sacrificiorum ac cæremoniarum repulsio, quas vita moralis, recta intentio ac cordis compunctio non comitabantur, quod in Prophetis frequentissimum est. Denique isti rabbini, scribæ, doctores, (hebr. רב, רבי, רבן, אבא, חכמים, gr. γραμματεῖς) una cum primoribus pharisæorum ac saducæorum Christi doctrinam et personam vehementissime insectati sunt, ac cruci affixerunt. Igitur, quin Christus ab eis doctrinam, aut spiritum, aut docendi modum acceperit, crux impedit ut credamus, præter ipsam doctrinarum distantiam. Sed de his uberius infra.

CAPUT XVI.

De hebræorum mercatura, mensuris, ponderibus, nummis.

80. Populo hebraico speciatim a divina Providentia destinato ad antiquæ religionis conservationem inter universalem reliquorum apostasiam ac fœdissimas superstitiones; nihil mirum esse debet si mosaica constitutio ad vitanda cum cæteris populis commercia constanter tendat, ac proinde ad populum agri culturæ deditum et a mercatura abstractum constituendum; ita tamen ut ipso Palestinæ situ inter celebriores et potentiores populos satis consuleretur antiquarum ac recentium veritatum religionis propagationi, quæ erat pars destinationis populi israelitici. Hinc, quamvis nullibi mercatura prohibita sit, sed potius quibusdam tribubus, ut una ex benedictionibus illis hominibus accommodatis prædicta (Deut. XXXIII, 19), nihil ad commercium regendum aut fovendum dispositum fuit, nisi bona fides in ponderibus et mensuris, quarum exemplaria in sanctuario servari debebant (Lev. XIX, 35, 36; Núm. III, 47; Deut. XXV, 13-16). Ipsa vero vitæ necessitas ac reliquorum populorum consuetudo hebræos docuit mercaturæ usum, mensuras, pondera, et, juxta quosdam, monetam signatam. Peregrinationes etiam, quæ ter in anno a viris suscipi debebant ad locum sanctuarii, occassionem præbuerunt (ut medio ævo ac postea in Europa accidit) mercaturam exercendi. Cum extraneis vero populis nonnisi sero, tempore Salomonis ac Josaphat, mercaturam magnam terra marique factam legimus, ope etiam a phœniciis accepta. Salomonis naves de Asiongaber in mari rubro exeuntes post tres annos auro aliisque Africæ et Asiæ insularum mercibus onustæ redibant; aliæ etiam in Bibliis memorantur dictæ *naves Tharsis*, quæ nempe longum iter suscipiebant per Mediterraneum usque ad Bæticam, ut fuit illa Jonæ prophetæ. Hæc quæstuosa mercatura parum frequentata fuit, ac classis Josaphat in Asiongaber absque ullo exitu periit. Commercium terrestre cum vicinis populis habitum fuisse, Arabia, Ægypto, Phœnice, Syria, et res ipsa docet, et non

pauca Scripturæ loca, jamque supra indicavimus merces ab hebræis exportatas. Post exilium autem babylonicum multasque colonias ab hebræis fundatas in Perside, imperio sinensi, India, Africa, Asia minori et Europa, agricultura posthabita, commercio ut plurimum dediti sunt, quem morem ad nostram usque ætatem servant. Phœniciorum autem commercium et luxus, sicut et luxus hebræorum, non semel a prophetis depingitur aliisque Scripturæ locis, præsertim cum de divitiis Salomonis sermo est (3 Reg. cap. IV—X; 2 Paral. cap. I...; Isa. XXIII; Ezech. XXVII; XXVIII, &c.).

81. Ponderum autem et mensurarum determinatio, de quibus crebra mentio in Scripturis fit, implicatissima res est, præsertim quia post exilium ponderibus et mensuris aliorum populorum sese accommodare debuerunt; unde valor eorum temporibus Asmonæorum et Christi, non sufficit ad præteritum valorem determinandum, quamvis accurata comparatio institui posset cum græcis ac romanis, quod longe abest. Hinc per approximationem magis minusve perfectam determinari tantum possunt, et magna quidem diffidentia, cum comparatio sæpe in Bibliis facta cum græcis ac romanis ponderibus ac mensuris non sit numeris omnibus absoluta, neque hæ typum fixum ac immutabilem habuerint, nec puritas auri argentive monetarum noscatur, nec horum metallorum relatio, nec denique monetæ subsistentes æquales sint et plene integræ. Inde fluit tanta opinionum diversitas inter eruditos; quam dirimere cum nullo modo possimus, probabiliores, quæ visæ sunt, sequentibus tabulis exhibebimus, laudatis auctoribus cujusque calculi.

82. Usitatissima mensura longitudis erat *cubitus* אמה, cuyus valor æquivalet (mensura metrica) justa Amat 494.^{mm}; juxta Calmet ac P. Lamy 560^{mm}; juxta Tirinum 300^{mm}; juxta Glaire 555^{mm}; juxta Jahn 365^{mm}, 44; juxta mensuram exactissimam cubiti ægyptii, cui æqualem admittimus hebraicum, habebat 450^{mm} (seu pedem 1^{um}, pollices 7, lineas 1, 5 Castellæ). Reliquæ mensuræ facili negotio invenientur ex quacumque harum sententia, ratione habita ad cubitum.

Erant namque:

Digitus, אצבע, Jer. LII, 21, vigesima quarta pars cubiti= 18^{mm}75.

Palmus minor, טפח, 2 Par. IV, 5=quatuor digitis= 75^{mm}.

Palmus major, זרת, 1 Reg. XVII, 4=duodecim digitis= 225mm.

Cubitus=sex palmis minoribus=450mm=(1 pié, 7 pulgadas y 1 ½ lineas castellanas).

Calamus mensorius, seu *Canna*, קנה, Ezech. XLII, 16= 6 cubitis=2m700.

Stadium, græca mensura ab hebræis adhibita, Joa. VI, 19,=187m5 (=221 varas y 1 pié).

Milliare romanorum, μίλιον, Mat. V, 41,=8 Stadiis= 1500m (=1770 varas, 2 piés).

Parasanga, mensura persica, dubiæ longitudinis (variant AA. inter 30 et 60 Stadia).

Iter Sabbati, Act. I, 12, = 1624m?=1000 passibus geometricis=5000 pedibus gallicis=5744, 5 ex nostris.

Iter diei, dubiæ longitudinis, inter romanos a 150 ad 160 Stadia.

כברת־הארץ, mensura incognita (Gen. XXXV, 16; XLVIII, 7; 4 Reg. V, 19, omnia hebr.), vulg. *vernum tempus*, LXX *iter equi;* Peschito *parasanga.*

In lite etiam est an hebrai diversos cubitos haberent: *vulgarem* et *sanctuarii*, quod pluribus arridet aliis refragantibus; probabile nobis videtur *cubitum sanctuarii* vel *regalem* exstitisse valoris 525mm, nempe alterum superans 75mm.

Relatio inter lineam gallicam, milimetrum et lineam hispanicam, qua usi sumus hæc est: Linea gallica=2mm284; hispanica=1mm96; milimetrum=0,51 lineæ hisp.

83. Minus accuratæ adhuc sunt mensuræ cavæ hebræorum, sive aridis sive liquidis destinatæ, quas rabbini comparant ovo gallinaceo, sicut mensuras longitudinis latitudini grani hordeacei, ac pondera ponderi unius fabæ. Itaque præcipuæ mensuræ cavæ sunt:

Bathus, בת,=*Metreta* (mensura liquidorum) adæquabat fere 27 litra (=53.55 cuartillos).

Epha seu *Ephi*, איפה, ejusdem capacitatis, sed aridis destinata(=5.837 celemines).

Gomor, עמר, decima pars Ephæ, dicitur etiam עשרון,= 2. lit. 7 (=0,584 celemines, ó 2,4 cuartillos, mens. sol.).

Satus, סאה, tertia pars Ephæ=9, lit. (=1.945 celemines, ó 7,78 cuartillos, mensura solidor.).

Cabus, קַב, κάβος sexta pars Sati, et octodecima Ephæ= 1. lit. 5 (=1.298 cuartillos, id. id).

Log, לֹג, vulg. *sextarium* (Lev. XIV, 10, 12), quarta pars Cabi=6 ova gallinacea=0.375 lit.

Corus, חֹמֶר, aut כֹּר, decem Epha continebat=270 lit. (=4.861 fanegas, vel 4 fanegas, 9 celemines, 1.4 cuartillos).

Letech, לֶתֶךְ, dimidium Cori=135 lit.=(2.43 fanegas).

Nebel, נֵבֶל, tres bathos capiebat=81 lit. (=17.5 celemines.

Hin, הִין, sexta pars Bathi (mensura liquidor).=4.5 lit. (=9 cuartillos).

Betsa, mensura rabinica, sexta pars Log,=ovo uno gallinaceo=0,0625 lit. (=0.054 cuartillos).

Occurrunt etiam diversa mensurarum nomina in versione latina, ut *Amphora* et *Artaba* (Dan. XIV, 2) capacitatis non certo definitæ; *Bilibris* (Ap. VI, 6, duæ libræ romanæ); *Cadus* (Luc. XVI, 6) æqualis batho; *Decima* (Lev. XIV, 10)= Gomor; *Lagunculà* (Is. V, 10)=batho; *Modius* aut generatim mensuram designat, aut etiam satum et epha; Romæ designabat tertiam partem amphoræ, seu pedis romani cubici; *Sextarius* (Lev. XIV, 10)=Log; denique *mensura* indeterminate legitur pro quacumque mensura. Diversitas opinionum circa verum valorem harum mensurarum colligi potest ex eo, quem *batho* tribuunt, nempe Amat a 13 ad 16 lit. (tres celemines y medio, ó cerca de 6,5 azumbres); Calmet 27,45 lit.; Lamy 19,06 lit.; Garcia Caballero a 12 ad 14 lit. (tres celemines, ó sobre 6 azumbres); Janssens cum Glaire 28,46 lit.; Drach 31,54 lit. (Calculum inivimus supposita pinta parisiensi=0,93 lit.; *cuartillo* hispanico=0,504 lit.; *celemin*=4,625 lit.; ipso denique litro=1,9835 cuartillos (mensura liquid.) ac=0,216 celemines.)

84. Non minor est opinionum discrepantia in determinando vero valore ponderum hebræorum, ac proinde monetarum, quæ primum pondera fuerunt, deinde monetæ signatæ certi ponderis; quod etiam de græcis ac latinis valet, præsertim cum græca pondera et monetæ diversa essent in Asia ac in Atica, ac sæpe mutationem subierint, sicut et romana. Accedit ignota relatio valoris auri ad argentum, ac puritas metallorum. En illarum valor et pondus juxta Cesarem Cantú:

GRECA PONDERA ET MONETÆ.	VALOR HISPANICUS.	VALOR GALLICUS EX CANTÙ.
Drachma antiqua.....	0,358 scuta argent.	0,93 frs.
Drachma ætate J. C...	0,330.....	0,87
Didrachma antiqua.....	0,716.....	1,86
Id. nova (ætate J. C.).	0,660.....	1,74
Obolus.....	0,059 ænea moneta.	0,154
Chalchus.....	0,007 id.	0,019
Lepton.....	0,001 id.	0,0027
Mina atica.....	35,681.....	92,68
Id. alia minor.....	26,761.....	69,51
Talentum aticum.....	2140,942.....	5560,89
Talentum novum.....	2010,627.....	5222,41

ROMANA PONDERA ET MONETÆ.	VALOR HISPANICUS.	VALOR GALLICUS JUXTA EUMDEM.
As, seu libra.....	27,540 scuta argent.	
Uncia.....	2,295.....	
Denarius.....	0,312.....	0,81 frs.
Aureus.....	7,846.....	20,38
Sextertius.....	0,078.....	0,20
Duponduis.....	0,062.....	0,16
As (mon. ærea).....	0,030.....	0,08
Id. ab anno 217 ad 34 J. C.....	0,018.....	0,05
Tereutius.....	0,0077.....	0,02
Denarius ætate Augusti	0,304.....	0,79
Id. Tiberii et Claudii...	0,300.....	0,78

PONDERA ET MONETÆ ASIÆ GRÆCÆ.	VALOR HISP.	VALOR GALLICUS.
Daricus.....	9,505 scuta argent.	24,69 frs.
Tetraster.....	3,168.....	8,23
Distaster (uncia arg.)..	1,586.....	4,12
Hexadrachma.....	1,185.....	3,08
Drachma.....	0,200.....	0,52
Obolus.....	0,040.....	0,104
Dipondium.....	0,0016.....	0,0433
Kodrans.....	0,0002.....	0,0054
Lepton.....	0,0001.....	0,0027

PONDERA ET MONETÆ HEBRÆÆ ET BABYLONICÆ.	VALOR HISP.	VALOR GALLICUS.
Talentum babyl.....	2852 scuta argent.	7407,38 frs.
Talentum mosaicum..	2376,5.....	6172,82
Mina seu Mna.....	47,532.....	123,46
Daricum.....	9,505.....	24,69
Siclus vel stater aut argenteus.....	0,793.....	2,06
Drachma.....	0,200.....	0,52
Becah.....	0,396.....	1,03
Guerah.....	0,040.....	0,104

85. Tota hujus rei difficultas sita est in derterminando vero valore monetæ primordialis, nempe *sicli*, *drachmæ* ac *denarii* pro hebræis, græcis ac romanis, atque harum trium vera relatione. Hæc autem non constat, nec constabit unquam, ni fallor; etsi vago quodam modo æquiparetur in Sacris Biblis et antiquis scriptoribus Siclus vel Stater quatuor drachmis seu tetradrachmæ ac quatuor denariis. Ex siclis adhuc exstantibus res confici nequit, cum diversi ponderis sint, atque aliquantum inminuti post tantum temporis, nempe ab Asmonæis, decursum. Quod si æqualem supponamus siclum 4 drachmis aticis ætatis Christi, quæ 4.095 grammis ponderabant, atque regalem argenteum hispanicum, seu decimam scuti partem, 1.296 grammis, quod est ejus pondus juxta legem monetariam vigentem; habebimus pro valore sicli 12.63 regales, pro becah 6.315, pro guerah seu obolo 0.61, pro talento 37860. Quod cum nimium videatur, et omnium fere scriptorum calculum superet, parum habet probabilitatis. Ceterum hic subjicimus nonnullorum opiniones circa sicli valorem. Tirinus ei confert valorem 8 regalium hispanicorum (nempe ipse permiscet regalem argenteum cum æneo, nec sibi constat, ac tribuit siclo valorem dimidiæ unciæ, quæ juxta ipsum tantum valeret 4 regales *de vellon* quod manifeste absurdum est), Lamy 10.31, Calmet 10.28, Jahn fere 11.27, Amat 10.55, Perez Bayer, Froelich, Rasche aliique (ponderatis siclis exstantibus) 8.48 (ut medium terminum), Cantu 7.93, Drach (ex Josepho) 7.93, Glaire 5.66 (nisi errorem incurrerit, cum ei tribuat pondus 14. gr. 177, ac proinde valorem fere duplum).

86. Præter recensita pondera vel monetas occurrunt in V. T.: דַּרְכְּמוֹן (Esd. II, 69, vulg. *auri solidos*), et אַדַּרְכֹן (ib. VIII, 27, vulg. item *solidos*), fere certo erant *Darici*; קְשִׂיטָה (Gen. XXXIII, 19, Jos. XXIV, 32) quam vocem non veros *agnos*, ut ex vulgata multi intelligunt, sed certum pondus auri vel argenti significare constat ex Act. VII, 16, et ipso etymo arabico, quo designatur *mensura*, *quod bene mensuratum* est (quiston), nec proinde de moneta obsignata effigie agni intelligi potest. In N. T. occurrunt multæ ex recensitis græcis ac romanis.

CAPUT XVII.

Hebræorum vestes et nonnulla ornamenta.

87. Quæ de vestibus hebræorum magis necessaria sunt ad diversa Bibliorum loca intelligenda, reducuntur ad *materiam, colorem* et *formam*; quæ posterior ægerrime determinari potest, cum non constet utrum similes vestes hodiernis orientalibus adhibuerint, an et quousque variarint. Quod attinet ad materiam, præter folia a primis parentibus adhibita, et a Deo pellibus mutata, communiores fuerunt *pelles absque ulla præparatione*, postea coactilia, ex pilis animalium coagmentata, deinde panni de *pilis*, *lana*, *gossypio* et *lino* contexti jam a summa antiquitate; ac denique *serico*, quod primum non occurrit nisi Ezech. XVI, 10-13. Colores majori prætio habiti erant *albus*, diebus festis præcipue adhibitus a divitibus et honoratis hominibus; *purpureus*, regibus et principibus destinatus; *coccineus* (primum legitur Gen. XXXVIII, 27) valde æstimatus, et post duas tincturas præparatus; *hyacinthinus* non minus placebat; *niger* luto significando adhibitus; *variatus*, color magni habitus, atque talis fuisse videtur tunica sacerdotum (appellata כְּתֹנֶת תַּשְׁבֵּץ), picturis nempe quadris vel oculorum speciebus ornatas; non vero tunica Joseph *polymita*, ac tunica Tamar (Gen. XXXVII 3, 23; 2 Reg. XIII, 18), quæ dicuntur hebraice *passim*, ac videntur alicujus prætiosæ materiæ fuisse et talares; quin propterea excludatur varius color, qui simplicioris vitæ po-

pulos delectari solet, nec hebræis erat prohibitus, sed tantum vestes diversis materiis contextæ.

88. Præcipua vestis erat *tunica*, quæ primum simplicissima fuisse videtur, corpus circumdans a lumbis ad media femora; deinde, ne propter ventus pudenda paterent; pars anterior posteriori alligari cœpit inter pedes, unde *feminalia* orta sunt (calzonzillos), ad genua usque descendentia in vestibus sacerdotum, atque ad talos postea, præsertim in feminis. Tunica paulisper augmenta recepit ac manicas, et formam fere camisiæ sumpsit; fimbriis in extremitatibus ornata erat, inconsutilis, saltem qua sacerdotes utebantur, et quandoque duplex. Cingebatur circa lumbos cum domo exeundum erat, aut laborandum, aut iter faciendum; unde toties occurrens phrasis: *acingere lumbos*, pro, *se ad aliquid præparare*. Cinctoria viliora fuerunt ex corio facta (cinto,) aut elegantiora ex lana, lino, bysso aut serico, atque longiora, ut corpus sæpe circumirent (fajas, ceñidores): in iis portabatur pecunia, vel aliud quid necesarium (1 Reg. XXV, 13; 2 Reg. XVIII, 11; Mat. X, 9). Feminæ aliam vestem huic similem adhibere solebant, *fasciam pectoralem*, a parte colli posteriore ad anteriora per utrumque humerum pendentem, iterumque molliter ad lumbos vel infra ligatam (forte similis erat hodierno *chal*, vel pannulo ab hispanis popularibus feminis frequentissime adhibito). Ceterum ex pluribus vocabulis hebraicis, quæ *tunicam* aut *vestem in genere* designant, vix colligi potest aliquid circa formam ex eorum etymo, ac tantum distingui inter vestes *amplas et splendidas* (Est. VIII, 15; Mich. II, 8; Is. III, 22), *viliores* a pauperibus, prophetis, et viris dolentibus adhibitas (שׂק saco), *versicolores* (v. supra et Jud. V, 30; Ez. XVI, 13; XXVII, 16; ps. XLIV, 15), aliaque pauca. Vestes femineas a virilibus fuisse distinctas discimus (Deut. XXII, 5) ex prohibitione eas immutandi, sed non ex earum forma.

89. Vestes exteriores forte similes erant hodiernis muhammedanorum *albornoces*, diversis modis adsportatæ, vel super humeros totum corpus cum brachiis operientes, vel supra caput aliquoties, vel duabus extremitatibus ab humeris pendentibus, aliæ duo post tergum demittebantur (primæ dicebantur *alæ vestis*, 1 Reg. XXIV, 5, 12, Hac veste (quæ comparari potest nostris *mantas*, et ornabatur in an-

gulis vittis hyacinthinis unde pendebant fimbriæ) etiam ad dormiendum utebantur et ad onera portanda (Ex. XII, 34; 4 Reg. IV, 39; Ruth. III, 15). Ex varia forte hujus exterioris vestimenti forma prodiit *mehil* (Ex. XXVIII, 31-34), quæ erat tunica exterior talaris, et sine manicis, tota hyacinthina, foraminibus ad caput et brachia introducenda prædita, ac in inferiori parte aureis campanulis seu tintinnabulis, inter malorum punicorum species, ex hyacintho, purpura et crocco. Hac veste utebatur summus sacerdos; nec forte diversa erat a tunica Josephi et Tamar, nisi in ornamentis. Ephod duabus partibus constabat anteriori et posteriori, ab humeris pendentibus, ubi fibulis connexæ erant, et ad ventrem usque descendebant. Vestis erat propria summi sacerdotis, quæ honoris causa ab aliis etiam gestabatur, (1 Reg. XVIII, 4; 2 Reg. VI, 14). *Sindon* (hebr. סדין) vestis ampla erat super nudo corpore adhibita velut tegumentum nocturnum, et forte etiam significat tunicam vel pallium prætiosum (Jud. XIV, 12, 13; Is. III, 23); immo hæc vocis hebraicæ potestas esse videtur, grecæ vero σινδών, quam primo loco dedimus (Mar. XIV, 51; Lev. XXIII, 53). In N. T. occurrunt etiam *clamys* græca, satis nota, ac *penula*, pluviale nempe pallium romanum, undique clausum, excepto foramine medio, quo caput immitebatur.

90. Præter ordinarias feminarum vestes a virilibus non multum diversas, in usu erat sicut adhucdum inter muhammedanos est, *peplum femineum* diversæ materies et artis, quo utebantur quoties e domo egredi, aut extraneis apparere contingeret, ita ut omnino velatæ a nemine videri possent, licet ipsæ viderent parvulo spatio ad id relicto, Cant. IV, 1, 3.

91. Initio homines absque ullis pedum calceamentis incessisse vero simillimum est, donec ad pedes contra lapides acutos aliaque offendicula muniendos, *corium* vel *asserculos* submiserunt, quæ corrigiis alligabantur, unde ortæ sunt diversæ calceorum ac sandaliorum species. His utebantur hebræi communiter; et soli pauperes, sacerdotes in templo, ac viri etiam honesti in lucto, discelceati incedebant. Feminæ sandaliis elegantioribus utebantur, velut Judith cum ad Holophernem descendit; ita tamen ut semper nuda esset pars pedis superior totaque tibia, unde mos lavandi pedes ingredientis domum; quod servorum erat officium, nisi honoris causa ipse dominus hospitum pedes lavaret, ac un-

güentis ungeret. In contractibus venditor emptori sandalia tradebat; unde convicium *discalceatus* illi qui prodigalitatis accusabatur vel jura sua spernebat (Deut. XXV, 9, 10). Cum calcei communiter vilioris essent prætii, symbolum sunt rei spernendæ, sicut et eorum corrigiæ. Item ex servorum officio ligandi ac solvendi dominorum sandalia, vel etiam discipulorum erga magistros, perspicitur potestas illius phrasis: *cujus non sum dignus ut solvam corrigiam calceamentorum* (Marc. I, 7).

92. Barbam hebræi plurimi faciebant, ut decus virile, quam nullus tangebat nisi osculo, radere aut aliter lædere injuria maxima erat (conf. 2 Reg. X, 4, 5; XX, 9; 1 Par. XIX, 4—6), unde tropice significat virum honoratum; ejus rasura vetita erat (Lev. XIX, 27, saltem ea parte qua capillis capitis conjungitur), avulsio insigne luctus quo omnis deponebatur ornatus. Capillos capitis feminæ alebant, viri tondere novacula solebant, nisi essent nazaræi, ac variis modis curabant, ordine redigentes, ungentes oleo ac nardo &c.; unde satis longos eos portasse judico antequam raderent. In capite vero nihil primum gestatum fuit; postea funiculo aut vitta alligabantur capilli; unde paulisper venit *diadema*, ac illud indumentum quod dicitur *turbante*. Mitra etiam adhiberi solebat, hemispherica, rubra, ac tertiam tantum capitis partem tegens, ex S. Hieronymo; quam adhuc muhammedani intra *turbantem* portant, ac clericali *solideo* similis est. Aliæ etiam mitræ elegantiores occurrere videntur, quas quidam cum vestibus externis confundunt magna probabilitate (hoc enim significare videntur vocabula כרבלא et תכריך; mitra vero tantum indicari vocibus צניף et מיצנפת; prior erat mitra a quolibet, posterior a summo sacerdote adhibita, quæ altior erat, capiti ligata, ac lamina aurea seu diademate ornata: quo forte distinguitur a tiaris nonnumquam a regibus aut viris honoratis adhibitis, Ez. XXI, 26). Progressu temporis elegantiores mitræ in usu fuerunt, ut פאר quæ Ex. XXXIX, 26 tiara sacerdotum est, sponsi Is. LXI, 10, mulierum ib. III, 20; צפירה erat corona, Is. XX, 5 vulg. *sertum;* ibi tamen vertit *corona* heb. עטרה sicut et נזר 2 Reg. I, 10; 4 Reg. XI, 12 &c., quæ vere *coronam* et *diadema* significant. Quacumque demum veste coo-

periretur caput, nusquam honoris causa discooperiebatur, nec in templo etiam inter orandum, quod adhuc muhammedanis consuetum est.

Antiquitus hebræi *baculum* portabant etiam honoris causa, ac diversum proinde ab eo quo in itinere uti consueverant (Gen. XXXVIII, 18, 25), *annulum* non in digito sed in tota manu, ac alios etiam una cum *sigillo* super pectus funiculo e collo pendenti ac parvulo sacculo sustentatos, præsertim a mulieribus (Gen. XXXVIII, 18 *heb.*; Cant. VIII, 6; Agg. II, 24). Annulus ipse sigillum continebat, tradebaturque a regibus suis ministris supremis (Gen. XLI, 43; Esth. III, 10). Alia etiam ornamenta, ut torques, armillas in brachiis et tibiis, varia amuleta, specula metallica in manus gestanda, sudaria, fucus varios (præsertim stibium aut oxida plumbea ad pingendos oculos, 4 Reg. IX, 30) adhibuisse feminas hebraicas multis Scripturæ locis constat, præcipue, Is. III, 16—24 ubi describitur mulierum luxus et petulantia (a).

(a) En hujus loci versionem ex hebræo factam sæc. probabiliter 13 (mss. escur. 119, j. 3): «E dijo el Señor: porque se enaltecieron dueñas de Sion, e andaban tendidas de garganta, e alcoholadas de ojos andando e tañendo andaban e con sus pies cascabeleaban. E llagará el Señor meollera de dueñas de Sion, e el Señor su vergüenza descovrirá; en ese dia tirará el Señor la fermosura de los cascabeles e de las listas e de los lunares. Las almiscleras e las argollas e los velos, las cofias e las argollas e los ramales e brochas de los pechos (forte frasquitos de olor aut amuleta ægyptia Veneris picturam habentia, juxta Rosellini) e los zarzillos las sortijas e añasines de la naris. Las mudas e las envolturas e las sabanas e las bolsas. Los espejos (juxta LXX et alios, suntvestes translucidæ, *gasas*), e los sudarios e los alhiremes e los alhames. E será en lugar de espesia desfasimiento, e será en lugar de çintero tajadura, e en lugar de cercenadura egual mestidura, e en lugar de camisa ancha çentura de saco, quemadura en lugar de fermosura.» Ex Gesenio verterem; «en lugar de suave olor podredumbre, por ceñidor una cuerda, por cabellos rizados calvicie, y por ancho vestido cilicio; porque bajo el fausto (porque estais dominadas por el fausto») Quem sensum cum versionibus vulg. et LXX, nec cum interpretibus convenire scio; puto tamen ex ipsis versionibus rem obscuratam fuisse, ac interpretationem allatam, quam carissimo colegæ meo D. D. Braun debere me fateor, simplicisimam et veram esse.

CAPUT XVIII.

De moribus hebræorum in cibis, potibus et conviviis.

93. Ante diluvium solis arborum frugibus, herbis, radicibus, seminibus homines vesci consuevisse constat (Gen. I, 29); postea vero et carnes animalium permissæ sunt (ib. IX, 3-4), sed non cum sanguine. Deinde plura animalia immunda declarata sunt, ut jam vidimus; ac omnis etiam cibus et potus aut semen aqua humefactum in vase, in quod cadaver insecti immundi delapsum erat, vel in cubiculo morientis aut mortui discoopertum mansit, una cum re qualibet idolis consecrata et hædo in lacte matris cocto. Deinde sanguis, animalia a feris dilaniata, adeps tegens intestina, lobus major hepatis, renes cum suo adipe et cauda pinguis ovium in cibum non adhibebantur, ob reverentiam iis rebus debitam quæ altari consecratæ erant (et forte etiam ob causas hygienicas et morales). Potus hebræorum præcipuus aqua fuit, ac temporibus patriarcharum nonnisi raro vino utebantur; nullibi tamen prohibitum est, ac hebræis palæstinensibus notissimum, de quo frequens in Bibliis mentio atque locutiones figuratæ multæ et pulcherrimæ a lætitia et ebrietate ex vino procedente deductæ. Notandum est tamen sæpius voces *inebriari*, *ebrietas*, ac similes occurrere, quin veram ebrietatem designent, sed lætitiam ex moderato vini usu ortam. Vinum etiam melli miscebant, ac decoctioni subjiciebant, usque dum species electuarii fieret (arrope). Variis etiam aromatibus componebant, præsertim myrra, unde fiebat potatio amara quidem, sed sensibilitatem minuens; quæ pie ministrabatur reis capitalibus (Mat. XXVII, 34; Mar. XV, 23, ubi nulla est antilogia, nec in textu græco Mat. legitur *acetum*, ut ait Glaire, nisi in minus correcto, conf. ed. Tischend.). Aliæ vini species ex dactylis, diversis seminibus et radicibus conficiebantur, generatim *sidera* dictæ (forte melius cervisia); multa aqua mixtum adhibebatur ad temperandum panem tempore messis (conf. Ruth II, 14), nisi verum acetum erat; denique quod Christo Domino in cruce sitienti datum est, non a moribus judæorum ducendum,

sed romanorum, quorum milites illud quod dicebant *posca* secum portabant, et erat vinum aceto mixtum (Mat. XXVII, 48 cum paral.), nec est confundendum cum *vino myrrato*, *vino felle mixto* (amarissimo), quod ei obtulerunt ante crucifixionem.

Cibi e regno vegetali aut crudi adhibebantur, aut decocti, aut etiam massâ factâ humefactione vel molitione, igni admovebantur, immediate subter cineres, vel in clibano diversæ formæ, aut lamina metallica parum concava, vel sartagine. Molebantur grana primum mortario, deinde inter duas molas, quarum superior motum circulare accipiebat ab ancillis, ut plurimum servis, ac etiam animalibus. Non erant molendini communes, sicut nec pictores, sed in qualibet domo farina et panis quotidie parabatur. Panis sæpe erat azymus, oleo etiam, lacte aut butyro conficiebatur, aut massa e farina aqua mixta in sartagine torrebatur oleo adjecto, quod delicatus erat cibus (conf. 2, Reg. XIII, 8). Etsi vulgatiores cibi e regno vegetali pararentur, adjecto lacte et caseo, carnes etiam adhibebantur, præsertim occasionibus solemnioribus, ut cum hospes recipi aut convivium parari necessum erat, ac sæpissime in sacrificiis eucharisticis aliisque. Utebantur autem coctione, sed communius assabant carnes in frusta scissas vel animalia integra, atque etiam locustas. Ars coquinaria simplex erat, ac vix alio quam sale condimento utebantur; apparet tamen jam a tempore Isaaci ars culinaria nonnulla quum Rebeca ita eum fefellit, ut non distingueret ab alia venatione hædos præparatos justa Isaaci notum beneplacitum (Gen. XXVII, 4, 9, 14). Hac etiam historia, sicut et aliis Scripturæ locis, discimus hebræos, paucis cibis communiter utentes, in conviviis aliisque solemnitatibus magnam quantitatem vorare consuevisse; sicut hodierni arabes, qui modicis alimentis utuntur, cum autem occassionem opportunam arripiunt, vix non integram ovem singuli deglutiunt. Bis in die manducabant, altera ad meridiem fere, altera circa solis occasum: prima solis frugibus, lacte, caseo, melle aliisque simillibus cibis utebantur; secunda vero erat lautior et abundantior, quando nempe æstus diei appetitum non minuebat, ac proinde convivia fere semper nocte fiebant. Ante prandium manus lavabant, et orationem dicebant sicut in fine; sedebant vero super solum recumbentes, cui stragula supe-

rimposita erant; et ita quidem, ut recumberent super latus sinistrum, et manu dextra manducarent, unde singuli caput habebant circa pectus illius qui erat a latere sinistro. Mensa erat vix super solum elevata et tapeto cooperta, cui imponebantur cibi, hos hospes aut paterfamilias ditribuebat, vel omnes simul accipiebant ex communi catino, et quidem ipsa manu vel digitis, quæcumque demum esset cibi natura et forma, sicut etiamnunc arabes faciunt. Conviviorum usus antiquissimus est et præcipuis solemnitatibus politicis, domesticis, et religiosis adhibebatur; postea abussus increbuerunt præsertim ob convivia nimis protracta ac multo vino fœdata; quibus tamen non legitur adfuisse feminas, nisi forte in conviviis domesticis, ob res familiares, ut cum B. Virgo adfuit nuptiis Canæ. Hæc quæ paucis contraximus, si probe teneantur, plura Scripturarum loca, allusiones, figuratæ locutiones et sententiæ utriusque Testamenti facile intelligi poterunt.

CAPUT XIX.

De societate conjugali, paterna et domestica.

94. Societas hæc primo monogamia perpetua fuit ex Dei institutione, postea tamen polygamiam homines admiserunt, ex quibus solus Lamech ante diluvium numeratur, e maledicta stirpe Caini, et hebræis invisa. Quando inceperit post diluvium et a quo fuerit introducta non constat; temporibus autem Abrahami in usu fuisse, ex hujus historia patet. Quo autem jure polygamiam admiserint sancti Patriarchæ disputant theologi, quorum multi dispensationem nescio quam, nec unde ab ipsis notam, in lege naturæ a Deo in eorum gratiam factam fuisse defendunt. Crederem potius mores consuetos suo tempore secutos fuisse Patriarchas, qui bona fide et optimo fine sibi proposito, non ea subtilitate *legem naturæ* callebant, qua theologi nostri, nec proinde in hoc peccatum admiserunt, licet exemplar perfectum sanctitatis in ipsis non sit quærendum, ratione habita ad perfectionem evangelicam. Moyses autem, quod uni-

versale malum erat, tollere non potuit, sed rem satis invisam ac fugiendam indicavit.

95. Ad matrimonii sanctitatem bonosque mores tuendos plura in lege mosaica sancita sunt, quorum aliqua in usu jam erant, sicut et in aliis legibus accidit; unde sæpe constat harum legum optima ratio, quæ nobis extraneæ aut minus aptæ videntur: 1.° meretrix et cinædus non tolerabantur, et si filia sacerdotis mercem corporis faceret, lapidabatur et comburebatur, quia hæc *magna flagitia sunt coram Deo* (Lev. XIX, 29; XXI, 9), prætium autem meretricii ut oblatio in templo recipi non poterat, etiamsi ex voto offerretur (Deut. XXIII, 18); 2.° seductor seductam feminam ducere et dotare cogebatur (Ex. XXII, 16); vel si pater puellæ eam tradere nollet *prætium consuetum* (forte 30 siclos) a seductore accipere poterat, si vero violentia interfuisset, quinquaginta; 3.° femina quæ tamquam virgo desponsata est cum esset corrupta, coram domo paterna lapidabatur; quod si hujus criminis falso a marito accussaretur, et pater puellæ calumniam demonstraret objetis signis virginitatis coram senioribus populi, maritus centum siclos patri suæ uxoris solvere debebat pro calumnia, uxorem vero numquam dimittere poterat (Deut. XXII, 13....); 4.° adulterium morte plectebatur (ib. v. 22), sicut et immania contra naturam crimina sodomiæ et bestialitatis (Lev. XVIII, 22...; XX, 13...), 5.° denique ad pacem domesticam procurandam extincta mariti zelotypia, ritus quidam sancitus est, quo mulier suspecta coram sacerdote abducebatur, et terrorificis imprecationibus admissis, aquas ad id paratas bibebat, quibus dehiscebat ac rumpebatur si esset culpabilis, nihil vero mali patiebatur cum esset innocens (Num. V, 12-29). Qui quidem effectus, cum supernaturalis tantum esse posset; patet Moysem certum fuisse de sua divina missione, ac proinde hæc miracula a Deo certo exspectasse; alioquin omnium contemptui leges suas tradidisset, et ineptum ac stupidum sese demonstrasset. Inter hebræos, fere sicut inter omnes antiquos populos ac novos non christianos, mulier erat quædam domestica possessio, quæ emebatur dum ad nuptias ab aliquo vocanda erat. Generalem hunc morem Moyses radicitus tollere nequivit, ut plures alios, ob populi *duram cervicem;* pluribus tamen institutionibus dulciorem reddidit feminarum conditionem.

96. In conjungendis vero matrimoniis ii mores obtinebant. Deligebatur sponsa non ab sponso sed a patre, qui etiam notam filii voluntatem adimplere solebat, et in dote parentibus et fratribus puellæ solvenda conveniebat; qua soluta, sponsa erat quid emptoris, et ejus stuprum velut adulterium puniebatur (Conf. Deut. XXII, 24; Jud. XIV, 1-12; Gen. XXIV, 49-53; ib. XXXIV, 11.....), nec jam a sponso relinqui poterat nisi dato libello repudii. Post aliquod tempus (vel etiam statim quandoque, ut in matrimonio Tobiæ et Saræ) fiebant nuptiæ, quibus lotione et omni munditie et ornamentis sponsa se præparabat atque diademate, unde nomen ipsi *coronata;* sponsus convivium domi faciebat, atque amicis constipatus cum canticis et musicis instrumentis sponsam ex domo paterna in propriam ducebat, aliis virginibus coævis cinctam, et velatam; quæ quidem solemnitas posteriori tempore nocte fieri solebat, adhibitis lampadibus et facibus. Ingressa domo sponsi sequebatur convivium, quo homines separatim a feminis eventum celebrabant et in fine fausta omnia, præsertim magnam prolem conjugibus adprecabantur, ac demum sponsam in cubiculum sponsi solemniter ducebant. Quod si alii ritus, aut determinatæ precum formulæ postea adjectæ sunt, institutionem in lege non habent. Quanto exoptata fuerit conjugiorum fœcunditas notissimum est; ac proinde sterilitas opprobrio habebatur, tristissimum erat virginibus ante nuptias et liberos susceptos mori, ac feminæ uxoratæ philtra varia tentabant, vel ancillas marito offerebant, ut liberos ex illis susciperent. (Conf. Gen. XV, 2; XXX, 1... Jud. XI, 37; 1 Reg. I, 6; Ps. CXXVI, 3-6; Is. IV, 1).

97. Quædam autem erant impedimenta matrimonii (Lev. XVIII, 6-18) honestatem ejusdem tuitura, ac vetita erant conjugia cum cananæis; quod temporibus Esdræ et Nehemiæ aliis etiam populis extensum est. Sacerdotibus interdicta erat mulier repudiata, sordida, meretrix; summo sacerdoti etiam vidua, et quævis alienigena (Lev. XXI, 7, 13-14). Filiæ hæredes defectu fratrum, virum de propria tribu accipere debebant, et quantum fieri posset propinquiorem, ne hæreditas ad extraneos transiret. Denique ob desiderium prolis in hebraico populo vehementissimum, ne spe fraudarentur Messiam e propria stirpe gignendi, permissa est *lex levirati*, qua viduam fratris defuncti absque

liberis ducere quis cogebatur, ut *suscitaret semen fratri suo* nempe filios procrearet, qui filii fratris defuncti haberentur, ejusque jura susciperent. Quæ quidem lex 1.° in usu erat ante Moysem (Gen. XXXVIII, 7-9); 2.°, vehementer desiderabatur, a feminis præsertim (conf. ib. v. 26, cum præced.); ac denique 3.° renunciari poterat a fratre vel propinquo levi onere, patiendi nempe scommata viduæ quæ eum *discalceatum* coram populo appellabat (Deut. XXV, 5-10) et in faciem expuebat; quod quidem non erat tam grave, ut libertatem conjugiorum tolleret (conf. Ruth IV).

98. Ob rudiorem populi conditionem et antiquos mores permisit Moyses uxores repudiare, seu potius consuetudinem exstantem regulis subjecit, quæ infrequentiora redderent repudia. Vix tamen demonstrari poterit secundum conjugium a femina repudiata susceptum, pro *vero conjugio* a Moyse habitum fuisse; si enim secundo dimissa a primo marito jam recipi non poterat, id factum credo ut melius considerarent viri *irreparabile factum*, et ad arcendam lenocinii suspicionem, non vero, ut ait Jahn cum aliis, ad secundi matrimonii firmitatem ostendendam. Etenim idem fiebat cum uxore secundo repudiata, ac *mortuo eo qui illam in suam receperat* (conf. Deut. XXIV, 1-4). Itaque Moyses forsitan hebræos in sua fide reliquit, et tantum conditiones apposuit quæ repudia rariora facerent. Ex iisdem moribus quibus hæc durior consuetudo procedebat, facile colligitur cur non idem jus feminis agnoscebatur; nec nisi ad finem reipublicæ judaicæ feminæ viros repudiarunt, a romanis accepta consuetudine (Fl. Joseph. *Ant.* XV.7).

Causa repudii latet obscurioribus illis verbis *propter aliquam fœditatem*, quæ coævi Moysis forte intelligebant, postea vero pluribus interpretationibus subjecta sunt, tenente R. Hillel (paulo ante Christum) quamlibet causam in illis designari, R. Schamai vero de solo adulterio esse intelligenda. Quæ posterior setentia vero mihi videtur similior, præsertim ex verbis Christi Jesu (Mat. XIX, 1-10); dummodo intelligantur de adulterio cognito quidem a viro, sed in judicio demonstrari impote; nisi forte pœna lapidationis in adulteras etiam publicas voluntati mariti relicta fuisset, ut pote qui dominium in uxorem velut in rem suam exercebat. Itaque Moyses *vago quodam modo* causam repudio sufficientem exposuit data opera, etsi de solo adulterio rite

intelligi debuit, mariti vero erat interpretari quod Moyses *ad duritiem cordis eorum permisit*. Nihil itaque ex lege positiva mosaica contra proprietates matrimonii naturales erui posse judico, ne *dispensatione* quidem proprie dicta, sed verba allata Christi (Mat. XIX, 8) de dispensatione impropria, seu de non apposita positiva prohibitione intelligi debere; quod dictum volo salva aliis sententiis a viris catholicis susceptis debita existimatione.

Cum, ex supra dictis, mos universalis polygamiæ funditus tolli non posset, hunc etiam Moyses eodem modo toleravit; sed: 1.° exposuit primam conjugii naturam a Deo instituti, 2.° primum bigamiæ exemplar in posteritate Caini, 3.° jurgia domestica in domo Abrahami et Jacobi, 4.° futuris regibus excessum feminarum vetitum voluit, 5.° usum matrimonii recensuit inter immunditias legales integro die duraturas, quod difficiliorem polygamiam reddebat, 6.° nullo demum loco eam lege positiva probavit, saltem mea sententia; sed loca omnia quibus fœdera ista probata primo aspectu videntur, regulas tantum exhibent in feminarum sic susceptarum favorem, ad mitiorem reddendam earum conditionem, et virorum duritiem et injustitiam cohibendam, suppositis abussivis illis moribus, quibus lex omnino vetans opponi imprudenter tantum poterat. Id nempe egit Moyses, quod gubernia facere solent, quæ publicam prostitutionem regulis subjiciunt, quam ob graviora mala negative tolerare coguntur.

99. Parvulorum nativitati obstectrices quandoque assistebant; pater lætus in sinum recipiebat ac nomen puero imponebat, nisi jus hoc matri relinqueret; octavo die circumcidebat inter convivium et domesticam lætitiam. Mater immunda manebat septem diebus, ac triginta tribus aliis expletis diebus locum sanctum adibat, ad offerendam Domino prolem primo genitam, et ad se purificandam oblato agno, aut duobus turturibus vel pullis columbarum si pauper esset. Lactabatur puer ab ipsa matre, ut creditur tribus annis, licet non certo constet, atque dies ablactationis convivio celebrari consuevit. Educabantur pueri in gynecæo usque ad quintum annum, quo illinc deductos pater ipse suscipiebat ac educabat, rebusque propriis ac professioni addiscendæ occupabat; nisi dives satis magistros aleret forte servos ut græci romanique ad id muneris, vel ad scholas publicas mitteret; de quibus omnibus non certo constat (conf. 1 Reg. I, 22...) Filiæ rebus domesticis occupabantur, atque etiam, domo exeuntes, aquam adsporta-

bant, in gregibus paternis custodiendis saltem antiquitus, in filatura, arte textoria aliisque similibus manebant; usque dum alicui nuptui tradebantur, accepto a patre sponsi prætio, patri puellæ et fratribus uterinis solvendo; nisi aut hæres esset, aut pater dives eam gratis, imo adjectis muneribus, alicui donaret.

100. Potestas parentum in filios olim absoluta, quando nempe familiæ quælibet independenter vivebant, ac proinde pater ipse erat rex et summus sacerdos, a lege mosaica temperata fuit, quæ non permisit potestatem vitæ ac mortis; sed patribus concessit ut filium pervicacem coram magistratibus accusarent, qui morti eum tradebant, si convictus esset parentibus maledixisse, aut verberasse, vel esse protervum, nebulonem, luxuriosum atque contumacem (Ex XXI, 15—17; Lev. XX, 9; Deut. XXI, 18...). Ipsa tamen lex plura patribus faventia disposuit, aut roboravit: obedientiam, honorem, alimenta, ipsam etiam facultatem vendendæ prolis, dummodo id extraneis non fieret, sed solis hebræis, quibus ipse pater sese vendere poterat. In bonis distribuendis primogenito duplicem partem cedere cogebantur (præter alia jura, ut præeminentiam super fratres et specialem benedictionem plurimi æstimatam) etiam si ex uxore odiosa natus esset, aliique filii ex alia uxore magis dilecta (Deut. XXI, 15—17): reliquis filiis æqualiter distribuebant, excepta potestate quædam munera aliquibus donandi, exceptisque filiis concubinarum, quibus tantum legata quædam aut munera, non hæreditatem relinquebant; hoc autem ætate patriarcharum liberum fuisse videtur; post Moysem vero saltem consuetudine abrogatum, cum Jephte de fratribus conquereretur, quod absque hæreditate domo paterna pulsus fuisset (conf. Gen. XXI, 10-14; XXV, 1—6; Jud. XI, 1—7). Viduæ ab hæredibus sustentandæ erant, nisi testator aliud disposuisset; quam obligationem sæpe negligebant, ob idque cura viduarum sicut et pupillorum a prophetis sæpissime prædicatur.

CAPUT XX.

De servis hebræorum: vindicatur lex mosaica ab accusatione duriciei.

101. Servitutis plagam universalem Moyses tolerare coac-

tus est; ita tamen eam temperavit, ut conditio servorum hebræorum cum reliquis gentibus græca præsertim et romana comparari vix possit. Causas servitutis indicant Sacra Biblia 1.° captivitatem in bello (Deut. XX, 14), 2.° debita quæ solvi nequibant (4 Reg. IV, 1; Mat. XVIII, 25), 3.° furtum quod reparari non poterat (Ex. XXII, 3), 4.° plagium, quod tamen capite damnabatur (Deut. XXIV, 7), 5.° nativitas ex contubernio servili (ii dicebantur *domi nati*, *filii ancillæ*, *filii domus*), 6.° demum venditio, sive ab hero, sive a patre vel a se ipso (ii vocabantur *argento empti*, prætiumque medium erat 30 siclorum argenti). Servorum opera et ipsa proles in servitute suscepta domini erant, a quo vestes et alimenta accipiebant; in agri laboribus ac etiam pastoritiis et domesticis occupabantur, sub cura fidelioris ac perspicatioris, qui omnibus præponebatur (οἰκόνομος, mayordomo); ancillæ domesticis laboribus inserviebant. Occisio servi puniebatur quidem, non determinata pœna, sed ut videtur, velut homicidium (Ex. XXI, 20); cum autem servus vel ancilla nonnisi post duos vel tres dies ab accepta læsione moriebantur, nihil aliud quam eorum jacturam dominus patiebatur, quia voluntatem occidendi non habuisse præsumi poterat (ibi. v. 21): si vapulatus a domino oculum vel dentem amittebat, libertate donabatur: sabbato ac reliquis festis a labore omnino cessabant: conviviis ex secundis decimis paratis interesse debebant (Deut. XII, 18): ex iis in quibus occupati erant, libere manducare poterant (Job. XXIV, 10, 11; Deut. XXV, 4; 1 Cor. IX, 9): mancipium originis hebraicæ sex tantum annis servire poterat, et anno septimo manumittebatur cum dono insigni, et cum uxore et liberis quos attulerat; si vero dominus illi dederat uxorem, et ejus amore captus, aut susceptorum filiorum, manere apud herum mallebat, id coram magistratibus declarabat, aures ejus perforabantur subula ad ostium et postes domus domini, atque in perpetuam servitutem mancipabatur (Ex. XXI, 1...): uxor servo a domino tradita apud dominum quidem manebat, sed tantum ad septimum annum si hebræa esset (Deut. XV, 12-17): servus origine hebræus alienigenæ vendi non debebat: propria etiam habere poterat: si quis servus alienigenæ vendebatur in Palæstina habitanti, quilibet propinquus eum redimere poterat, quæ actio plurimi habetur in lege (Lev. XXV, 39-49): an-

no jubilæi omnia mancipia hebræa redimenda erant: servus alienigena, qui profugus in Palæstinam venerat, velut hospes accipi debebat nec suæ genti tradi poterat (quod, cum hominibus liberis præstet hodie Anglia, ad sidera tollitur): mancipia hebræa vilioribus servitiis occupanda non erant, sed hæc alienigenis relinquenda, ipsaque velut mercenarii liberi habenda. Quæ omnia mitiorem reddebant servorum, saltem hebræorum, conditionem, ac sacrosancto nomine Jehovæ sancita, maximam vim duriorem populi characterem domandi habuerunt, ea præsertim animadversione in lege non semel recurrente, omnes nempe israelitas servos Jehovæ esse, qui e servitute ægyptiaca eos eduxerat. Cum autem tam mites mores erga servos, respectu habito ad reliquas gentes, præsertim cultissimas græcam et romanam, a pervicaci ac dura hebræorum cervice non essent exspectandi; patet 1.° ab alio quam ab hebræo has leges processisse, nempe a Deo; 2.° per summam calumniam ignorantiæ innixam legem mosaicam crudelitatis ac duriciei accusari; 3.° influxus religionis revelatæ in melioranda populorum sociali conditione, quod in re præsenti ad perfectam demonstrationem perduxit religio christiana, quæ tamen omnes suos effectus sociales non adhuc produxit, ob diversa ab hominibus et nationibus posita impedimenta.

CAPUT XXI.

Mores hebræorum in ordinaria conversatione: quid circa advenas peregrinos et pauperes lex præcipiebat, unde ab eadem calumnia vindicatur: immunditiæ legales.

102. Hebræorum indolem ita depingit Jahn: «.... exhibet communia Orientalium vitia (hoc de solis semiticis intelligi conjicio) arrogantiam, luxum, pompam et mollitiem. Arrogantia hebræorum ultimis temporibus erat maxima. Oppressiones et extorsiones atque dolus sub specie amicitiæ erant vitia magnatum, quæ prophetæ perpetuo reprehendunt, occurrunt tamen insignia magnanimitatis exempla. Singularis hebræorum per totam historiam est indocilitas et inflexibilitas. Proclivitas ad idololatriam post exilium de-

siit: si hæc insania, ætate Machabæorum rursus judæos permultos politissimos invasit, potiori tamen gentis parti non prævaluit. Virtutes politicæ erant industria in re rustica et fortitudo in bello, qua quibusdam temporibus inprimis Davidis et Machabæorum excelluerunt. Virtutes morales laudantur in Bibliis, præ cæteris justitia, quo nomine autem non raro omnis vitæ integritas, et puritas a scelere comprehenditur (et obedientia legi universæ); dein fides, fidelitas, sinceritas, humanitas seu charitas proximi. Quam maxime etiam celebrantur mites. Et reliqua quidem officia in Bibliis commendantur,.. ast plerique longe ab illis aberant, et numquam longius quam ultimis temporibus, quibus legem Moysis philosophicis argutiis pervertebant, et litteram tenentes, a spiritu et scopo alienissimi, et inter omnes gentes a mendaciis, imposturis et perjuriis infames erant (et maxime superstitione, unde illud Horatii: *credat judæus Apella]*. Hæc vitia demum in ultimo contra romanos bello in rabiem degenerarunt, ut ipse Josephus candide fatetur.» Quæ quidem descriptio quo verior est, saltem in fine; eo magis demonstrat divinam Christi ejusque doctrinæ præstantiam et originem cœlestem, ac impossibilitatem eam deducendi ex doctrina, moribus et institutionibus tunc temporis vigentibus. Singularis etiam erat et memoratu digna hominum illorum conditio materialistica, qua fere omnia sub aspectu utilitatis, tranquillitatis, voluptatis considerabant; unde necessitas Moysi proponendi sæpissime præmia ac pœnas temporales, ac vix subindicandi quod spirituale est, licet satis explicite hoc etiam edoceat aut notum supponat. (Confer e. g. Gen. XV, 1—4; Ex. XVI, 3; XVII, 2..; Num. XI, 4..; Ps. LXXXVII, 10—13; Is. XXXVIII, 18—20 aliaque innumera *duram cervicem* et *incircumcisum cor* hebræorum demonstrantia.

103. His non obstantibus non deerat morum elegantia et urbanitas, vel in longissimis ac exaggeratis salutationibus, faciei, barbæ aut manuum deosculatione, profundissima inclinatione aut capitis, aut totius corporis, aut genuflexione vel per terram completa prostratione (hæc dicuntur respective קדד, ברך כרע et השתחוה, quod postremum vocabulum aliis phrasibus commutatur, vertique solet *adorare*). Hinc phrasis illa «neminem per viam salutaveritis,» idem est ac «ne moram faciatis.» Formulæ salutationis plures erant, quibus fausta adprecabantur a Deo personæ salutatæ, fie-

bantque etiam quando dimittenda erat; unde vox *benedixit* significat etiam *salutavit*, *valedixit*, et hoc posteriori sensu *dimisit* et *oblitus est* (a). Vigebat etiam mos visitandi amicos aut eos quos hujus honoris dignos judicabant; et quidem munera ferebant cujuscumque rei utilis, vel ipsæ personæ visitatæ, vel saltem domesticis ejus. Hic mos regibus non parum lucrosus, qui pro vectigalibus munera accipiebant, ante quam proprie dicta tributa imponerent subditis. Hoc fieri debebat quoties Deus in templo invisebatur, quo nunquam *vacuis manibus* ibant (Ex XXIII, 15; Deut. XVI, 16); fiebat etiam *videntibus* seu *prophetis*, etiam si munera exigua essent (1 Reg. IX, 7, 8), qui quidem ea accepisse primum videntur, postea ob pseudoprophetarum avaritiam recusasse; munera hæc quandoque ditissima erant (ut de Salomone notum est), et magna pompa et apparatu deferebantur (4 Reg. VIII, 8, 9); quandoque vestibus constabant, quæ si essent e proprio corpore regis donatæ, magni æstimabantur et indui statim debebant, præsertim si ad convivium fuissent donatæ (conf. 1 Reg. XVIII, 4; 4 Reg. X, 22; Mat. XXII, 11, 12 et apud profanos *Ciropæd.* VIII, 3 &c). Deferebantur etiam honores publici regibus et magnatibus (3 Reg. I, 40; 1 Par. XV, 27-29; ps. LXVII, 26...), quantum conjici potest iis similes qui etiam in Ægypto et Perside deferebantur (Gen. XLI, 41...; Esther, VI, 7...). Balneis frequenter utebantur hebræi, pro conditione climatis calidi et generis vitæ, commodissimis et utilissimis; somnium post meridiem capiebant; ad confabulationem et tempus fallendum *portas civitatis* adibant, ubi plateæ species erat huic usui destinatæ, *nundinis* et *judiciis* (b). In confabulatione magna comitas et urbanus sermo, nec quemquam falsa loquentem, etiam si certo id noverint, mendacii accusabant, levia convicia adhibebant, nempe *satan* (adversarius), *rakah* (contemptibilis), *fatuus* vel *stultus* (sceleratus, atheus); si quid insanum prolatum fuit, dicebant: *sufficit*, ἱκανούσθω

(a) Ut Job. I, 5; II, 9, ubi nulla est antiphrasis, quæ communiter admittitur, sed formula huic similis *valedic Deo*, *relinque Deum*, *obliviscere Dei tui*, vel aliis quibus hispanice etiam utimur.

(b) Unde probabiliter illa Domini phrasis ad Cainum «*si male* (*egeris*) *statim in foribus peccatum aderit*? id est, eris convictus et damnatus, juxta usum loquendi ætate Moysis jam consuetum.

(Deut. III, 26; Mar. XIV, 41): rem veram fuisse dictam significabant formula: *tu dixisti*, qua etiamnunc utuntur maronitæ Lybani; exspuere coram aliquo vel in tapetibus solum tegentibus rusticum erat, permittebatur vero in angulo; in faciem autem alicujus exspuere ignominiosissimum erat, unde ad litteram intelligi debet Deut. XXV, 7-9 (quod tamen a muliere irata procedens, non erat tanti æstimandum), et alia indignationis signa non parum sæpe exaggerata, in judiciis frequentabantur (3 Reg. XXII, 24; Mat. XXVI, 67; conf. ut durioris conversationis exempla 2 Reg. VI, 20; XVI, 6, 7; Isa. LVII, 4; Ezech. II, 6; XXV, 6).

104. Circa advenas et peregrinos lex mosaica, quæ toties crudelitatis et summæ duritiei accusata est, id præcipiebat, quod in reliquis antiquis populis vix, aut ne vix quidem invenies, eos scilicet recipiendi, non exprobrandi, sed diligendi (a). Ecquidem David ac Salomon plura advenarum millia operibus templi ac publicis destinaverunt (1 Par. XXII, 2; 2 Par. II, 16-17); sed hoc imprimis ex lege vel mandato Dei non procedebat; dein mos erat universorum populorum, præsertim Ægypti, ubi ipsi israelitæ idem jugum sustinuerunt; nec denique scimus utrum inviti vel sponte hæc subierint advenæ hebræorum, neque conditiones appositas. Quid si velut mercenarii mercedem religiose accipiebant, ut vere factum credo?—Pauperum curam suscepisse legem hebraicam sexcentis locis constat, et perpetuus fuit prophetarum clamor pro eis, sicut et pro pupillis et viduis; unde sæpe abominationi traduntur munera a *judicibus*, *magnatibus et regibus* accepta contra pauperes, pupillos et viduas. Utrum *pauperes* a *mendicis* in Sacris Bibliis distinguantur non certo constat, et probabiliter negat Glaire, qui vocabulo אביון potestatem tribuit *manum extendentis*, seu mendicantis, qua tamen sæpe utitur Moyses ante men-

(a) Hæc sunt verba Lev. XIX, 33-34: «Si habitaverit advena in terra vestra, et moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei: sed sit inter vos quasi indigena: *et diligetis eum quasi vosmetipsos*»...; quæ simul commentarium esse possunt illius præcepti: *diliges proximum tuum*, quod ad ipsos peregrinos et advenas extendebatur, nec nisi per summum nefas interpretabantur judæi posteriores additione illa: *et odio habebis inimicum tuum* (Mat. V, 43, conf. Deut. X, 19; Ex. XXIII, 4-5; Prov. XXV, 21-22.

tionem certam mendicantium ps. XXXVI, 25 occurrentem. Tempore Christi sedebant ad plateas, januam templi, divitum, synagogarum, ad publicas vias, ubi accipiebant nummos ac cibos; non tamen videntur ostiatim mendicasse. Utrum ipsi cleemosynam peterent clangore buccinæ, sicut quidam muhammedani monachi, ex Mat. VI, 2 derivari posse dubito, licet verbum σαλπίσῃς in sensu *hiphil* hebræorum accipi posset, sed hic ex contextu ac communi interpretatione potius accipi non debet; vel si vertendum sit: *noli facere ut tuba canant*, dictum videtur de domesticis aut servis hypocritarum illorum, qui, ut eleemosynam darent, pauperes convocabant præcedentibus servis tuba clangentibus. Cæterum sæpe in Bibliis eleemosyna potius ut opus e justitia debitum, quam ex charitate faciendum depingitur; hocque in statu hebræorum sociali, quo omnia bona ac terra universa Dei propria erat, hebræique meri coloni et administratores, non ut mera locutio figurata accipiendum videtur. (Conf. Job. XXII, 7; XXXI, 16; Prov. III, 27-28; Eccli. IV, 1; XIV, 13-14; Mat. VI, 1 &c.)

Munditiem curasse hebræorum legem ex multis sanctionibus constat, quibus proprie dictam munditiem aut publicam salutem, aut munditiem animæ, aut omnia simul adipisci conabatur. Sic immundi erant *leprosi* (tunc frequentisimi et a reliquis segregati ne eos contaminarent) *gonorrea laborantes*, *concursum maritale habentes*, *puerperæ*, *menstruatæ*, *cadavera hominum vel animalium contrectantes*, *aut qui in habitatione morientis vel mortui fuerant*; quæ quidem immunditiæ diversis ritibus purificabantur, præsertim lotionibus ac lapsu temporis, quod ad hygienicos fines peroportunum erat.

CAPUT XXII.

De frequentibus hebræorum morbis: de dæmoniacis.

105. Ex vitæ patriarchalis genere campestris, simplicis et innocuæ, ex defectu multiplicium causarum, quæ salutem lædunt ac vitam accelerant hominum modernarum societatum, ex divina denique providentia generis humani nondum adulti curam specialem agente, factum est ut pauci omnino morbi homines illos attingerent, et longissimam vitam agerent. Hinc Jacob patriarcha, qui annum 130m attigerat

Pharaoni dicebat: Dies *peregrinationis* meæ (erat ergo illi vita peregrinatio: ac proinde patriam exspectabat, ut arguit Paulus, Hebr. XI, 13) centum triginta anni, *pauci et mali*,=quin tamen eum ægrotasse legamus; ast posteriori tempore, cum vitam civitatum hebræi viverent, dicebat psalmista (ps. LXXXIX, 17): *dies annorum nostrorum* septuaginta anni, et si robore valemus, octoginta; et quod amplius est, labor et dolor. Quod si hic psalmus Moysis est, ut verum existimo, jam edocet quantum labores servitutis ac peregrinatio deserti vitam hebræorum imminuerint. Quidquid de hoc sit, verosimile videtur eosdem fere morbos in Palæstina ac in Ægypto viguisse, qui ex testimonio Prosperi Alpini erant: ophtalmiæ, lepræ, phrenitides, articulorum dolores, herniæ, renum et vesiculæ calculi, phtyses, obstructiones hepatis lienisque, stomachi imbecillitates, febres tertianæ, ardentes, hecticæ et pestilentes.

Non solum ex generali antiquorum populorum fide, sed ex speciali Dei erga populum hebraicum providentia, sæpe res faustas et adversas ad ejus disciplinam dirigentis, vulgaris fuit inter hebræos opinio omnes ægritudines a Deo esse immissas in peccatorum punitionem ut sæpissime factum est (conf. Gen. III; XX, 3-7; XXXVIII, 7-10; Num, XII, 10; 1 Reg. V, 1-12; VI, 19; 2 Reg. VI, 7; XII, 14; XXIV, 12.... 2 Par. XXVI, 19 etc.), unde Scriptura jure ait *Dominus mortificat et vivificat* (1 Reg. II, 6 cum parall.); nusquam tamen supernaturali influxui tribuit *omnes morbos*, velut in peccati punitionem missos, sed contrarum potius tenet, ut toto libro Jobi constat, ubi id Jobus contra amicos tuetur, et omnino Christus declaravit (Joa. IX, 2-3). Nempe, quod sepæ fiebat, sæpissime aut semper contingere judicabant vulgo hebræi, etiam ætate Christi; non autem Moyses, Prophetæ, Christus aut Apostoli.

Qui in Bibliis numerantur morbi non semper certo constant, sed saltem magna probabilitate noscuntur. Sunt autem *lepra* (cujus quatuor sunt classes, et a sacerdotibus examinanda erat, ut leproso separato, saluti publicæ consuleretur, (conf. Lev. cap. XIII et XIV, ubi minutim ac magna rei peritia describitur), *tumores ani* (almorranas) (I Reg. V, 6....; Deut, XXVIII, 27), *dysenteria* (qua percussus est Joran, 2 Par. XXI, 15, 18), dolores partus (quibus sæpe comparantur calamitates publicæ ac privatæ præsertim si eas lætitia excipiat, conf. Joan. XVI 21; si vero mala malis succedant, comparantur doloribus, qui videntur partus et non sunt, sed quid inane edunt feminæ, quod dicunt *molam ventosam*, Is. XXVI, 18, vulg. spiritum: conf. etiam ps. VII, 15), *pestis*,

terribilis morbus parvæ durationis, sed innumerabilium funerum causa (nempe tribus diebus 70,000, et una nocte ex exercitu Sennacherib 185.000; quamquam verum est hanc a Deo missam fuisse, Angelo exsequente, 2 Reg. XXIV, 15; 4 Reg. XIX, 35), *atra bilis* (melancholia, cum accessibus phræneticis ac insaniæ, qua punitus est Saul, aut naturaliter, sed certe dispositione divina, aut a dæmone correptus, qui tamen prava animæ et corporis dispositione abutebatur, unde accessus graviores musica Davidis temperabantur), *insania* (licanthropia, qua Nabuchodosor a Deo etiam correptus est (Dan IV) nec in illo uno occurrere solet, qua qui afligitur, se lupum, canem, bovem, aliaque hujusmodi credit), *paralysis*, aut totalis aut partalis, (quæ, dum manum aut brachium tantum afficit, dicitur *manus arida* &c.; conf. diversas morbi hujus species 3 Reg. XIII, 4-6; Mat. XII, 10-13; Joan. V, 3; Mat. VIII, 6; Luc. VII, 2; 1 Mach. IX, 55-58), *diabolica possessio*, quæ sexcenties in N. præsertim T. occurrit talibus adjunctis, ut absque cæca incredulitate affirmare nemo possit morbum ordinarium fuisse cujusque generis; licet non sit quod inficiemur etiam operationes has diabolicas ab hebræis nimium fuisse exaggeratas et extensas. Ast pluribus locis ita Christus locutus est de dæmonibus obsidentibus ac cum ipsis, ut, aut ipsum cum vulgo errasse credas omnino, aut fuisse mentitum et superstitionem fovisse, etiam data opera, aut re vera dari has, quas tantum increduli rident, diabolicas possessiones. Conf. Perrone, *tract. de Deo creatore*, et sequentia loca quæ de energumenis necessario intelligenda sunt; Mat IV, 28; VIII, 16, 28-34; X, 8; XII, 22-29, 43-45; XVII, 14-20; Luc. IV 33-36; Act. XVI. 16-18; &c., cum l. parallelis.

CAPUT XXIII.

De fide judæorum super altera vita: de sepulturis et funeribus.

106. Mortem hebræis non fuisse ultimum hominis fatum, sed animam superstitem credidisse, etsi pro generali eorum materialistica indole summopere mortem horrescerent, multis argumentis constat. Nam ipsi, ut de Jacobo diximus, vitam ut peregrinationem habebant, mortemque

veluti exceptionem in hospitio (a) apud parentes et majores defunctos (Gen. XXV, 8; XXXV, 29; XXXVII, 35; Ps. XXXVIII, 13; Eccl. XII, 7; Is. XIV, 9; XXVI, 19; Hebr. XI, 13-15). Hinc loco verbi *mori* consuetæ phrases erant: *excipi apud populum suum* (Gen. XLIX, 29; Jud. II, 10), *venire ad patres suos* (Gen. XV, 15), a quo sensu sepulchrum aperte distinguitur (Gen. XV, 15; XXV, 8-9; XXXVII, 35; XLIX, 29; Jer. VIII, 2, &c). Immo locus subterraneus distinguebatur (Num. X, 30, 33; Deut. XXXII, 22; Ps. LXXXV, 13), ubi manebant defuncti cum Rephaim (Is. XIV, 9...; XXXVIII, 10; Job. XVII, 16; Prov. IX, 18), qui quidem designatur voce שְׁאוֹל absque articulo, quod fieri non posset si nomen esset appellativum sepulchri (קֶבֶר conf. etiam Hab. II, 5; Cant. VIII, 6, et ipsum Gesenium ad voces שְׁאוֹל et רְפָאִים). His adde prohibitionem necromantiæ (Lev. XIX, 31; XX, 6; Deut. XVIII, 11) et facinus Saulis interpellantis animam Samuelis; item traditiones religiosas omnium populorum, præsertim ægyptii circa animæ immortalitatem, quamque proinde ignarare non poterat Moyses neque populus ejus; adde verba Dei: «faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram» cum perpetua et universali interpretatione.

Cur autem Moyses non perspicue veritatem hanc declaraverit, quam sexcenties subindicat ac vulgatam supponit, nonnisi conjectura colligi potest; non erit tamen admittendum, cum judæo parisiensi Munck, Moysem «hunc articulum in statu opinionis popularis reliquisse, ne alioquin ansam daret superstitionibus transmigrationis animarum et resurrectionis corporum.» Sane cum veritas adversario fatente crederetur, jam his *superstitionibus* locum dare poterat; dogma vero resurrectionis a chaldæis acceptum juxta ipsum, semper ab hebræis admissum fuisse verosimillimum est, qnod videbimus iufra, num. 342.

107. Poëtice depingitur mors ut rex terribibilis palatium habens in orco, ubi mortuorum, omnium dominatur, cujus regni etiam flumina commemorantur, portæ, vectes, etc. Posteriori tempore, superstitione nescio, an etiam poëtica inventione, comminiscebantur angelum mortis accusatorem hominum apud Deum, a quo, cum sententiam mortis obtinuisset, ægrotis apparebat venenatum calicem offerens,

(a) Publico nempe diversorio, ubi *caravanæ* et peregrinantes noctem transigebant, et servatur adhuc inter arabes (caravan-serrallo),

quo degustato exspirabant; unde in communi sermone obtinuerunt phrases: mortem gustare, calicem mortis bibere, syris, arabibus et persis communes.

Defuncti vero cadaveris aliquis ex propinquis oculos claudebat, corpus lavabant, ad sepulturam præparabant, et, nisi statim esset sepeliendum, in cœnaculo reponebant (4 Reg. IV, 21). Condiendi cadaveris duo erant modi cum divitibus aut popularibus adhibiti: nempe corpus sindone involvebatur et caput sudario, omniaque longissimis fasciis ligabantur; divites vero aromatibus multis condiebantur, præsertim myrra et aloë, ac quandoque longo labore 30 vel 40 dierum intestina et cerebrum extrahebant, locumque replebant bitumine, myrra, casia et nitro, postquam corpus lotum fuerat aqua et vino dactylorum, quod tantum cum Jacobo et Josepho factum legitur in Ægypto degentibus, ubi hic mos obtinebat. Utrum hebræi corpora defunctorum saltem aliquoties igne cremaverint non certum est; videtur tamen factum cum Saule ejusque filiis, rege Asa, ac forte Sedecia (1 Reg. XXXI, 12; 2 Par. XVI, 14; Jer. XXXIV, 5).

Efferebantur cadavera ad sepulchrum ætate patriarchali statim post mortem; in Ægypto tamen videntur hebræi hoc officium distulisse, quod ut vitaret Moyses, immundum declaravit per septem dies illum, qui cadaver tetigerat, aut in habitatione mortui vel morientis fuerat. Quandoque servabantur defunctorum ossa ad multum tempus; sed id solum factum credo, quando non erat occasio illa debito sepulchro sepeliendi (conf. Gen. L, 24; Ex. XIII, 19; Jos. XXIV, 32). Funus et depositionem cadaveris curabant filii, propinqui et amici aut servi. Loculus (ataud) non videtur in usu fuisse, sed cadaver sindone et fasciis ligatum, ut supra, feretro imponebatur et a quatuor vel sex portabatur, præcedentibus et sequentibus his qui funus comitabantur, et in solemnioribus funeribus, etiam musicis et mulieribus conductis, quæ arte lugerent (plañideras); magnatum denique funera magno populi concursu fiebant. Sepultura carere ignominiosissimum erat ac gravissima punitio, unde tot in Scripturis prophetarum minæ, quibus prævaricantium cadavera velut asinorum relinquenda prædicant ab avibus et bestiis voranda. Semel videtur hæc punitio imposita ac cadaver postea privatim et absque pompa consueta tumulatum, nempe in Joachimo rege (conf. Jer. XXII, 19; coll. XXXVI, 30 et 4 Reg. XXIV, 5: «dormivit cum patribus suis.» nisi per *sepulturam asini* (ib.) intelligas cum Jahn *sine luctu, clan-*

destinam, vel phrasim transcriptam intelligas: mortuus est, quod rectum existimo.

109. Sepulchra extra civitates et oppida erant, ut plurimum familiarum propria, aut unius tantum individui; tamen occurrunt etiam sepulchra communia (4 Reg. XXIII, 6) aut peculiaris hominum classis (Mat. XXVII, 7). In rupibus excidebantur, aut etiam sub arboribus. Utrum sepulchra regum Juda in monte Sion fuerint, an in civitate David latiori sensu, id est, in Jerusalem, acriter disputant archæologi; 1.m communiter creditur ex 2. Par. XXI, 20; XXIV, 25; XXVIII, 27 &c, et validiori argumento Neh. II, 15 (licet obscurus adeo locus sit, ut Robinson et Saulcy nihil ejus comprehenderint, etsi per se ipsos inspexerint partes illas muri Jerusalem, de quibus hic est sermo); 2.m fundatur in *sepulchro regum* ad plagam borealem Jerusalem nunc existente, magnificentissimo, quod nullo alio nisi Salomoni tribui potest, et plura sunt quæ id suadeant ac fere demonstrent (conf. *Annal. Phil. Chr.* vol. 44, 45 ac volumina anni 1866). Sepuchra pauperum videntur in terra deffossa, sed præcipua erant in specubus naturalibus aut in petris excisa, quodam muro clausa ad similitudinem hortorum, in eaque ingressum dabat parva porta, quæ aut muro, aut saxo claudebatur. In interiori parte erat spatium satis amplum, cum sedile lapideo aut terreo (banco), ubi cadavera jacebant, vel etiam unumquodque suo loculo (nicho). Saxum, quo claudebatur porta, dealbari solebat una cum reliqua exteriori parte sepulchri, ut ab omnibus nosceretur. Cum sepulchra non ita excisa erant in petra, ut spatium habitationis ordinariæ intus esset, sed unicuique cadaveri in orizontali terra defossa, ornari solebant monumentis sepulchralibus, nempe alicubi acervo lapidum (quod hebræi cum reis lapidatis tantum servabant), lapidibus quadris, etiam incisis, (a) inscriptionibus nomen defuncti offerentibus, pyramide, ac etiam quatuor columnis fornicem sustinentibus aëri patentem, quod adhuc arabes servant cum suis sanctis (santones), quorum similia sepulchra religiosiores reparant et ornant (conf. Mat. XXIII, 29).

(a) Ut ille qui Parisiis invenitur, ac e *sepulchro regum* (qber-el-moluc) desumptus est, quem quidem Davidis loculum occupasse pluribus D. Saulcy tuetur.

110. Signa luctus erant vehementissima et exaggerata nimis, præsertim a feminis, quæ magnos ululatus emittebant temporibus consuetis, et tono vocis paulatim decrescente, aliæ conductæ mercede lugubres nænias in laudem defuncti canebant, vel tantum recitabant; musici demum quandoque adhiberi solebant (conf. Gen. L, 3-10, 11; Num. XX, 30; Deut, XXXIV, 8; 1 Reg. XXXI, 13; Eccli. XXII, 13; Judith XVI, 29; Amos V, 16; Jer. IX, 17; Mat. IX, 23; Luc. VII, 32); ex quibus aliisque locis constat etiam pluribus diebus luctum fieri consuevisse, jejuniis etiam, vestibus laceris et pulvere in caput misso, pedibus nudis, &c., nec tantum pro defunctis, sed pro qualibet alia calamitate publica aut privata, in signum poenitentiæ &. Lacerare vestem audita blasphemia, etiam summo sacerdoti licebat; cui tamen luctus pro defuncto erat interdictus; omnibus denique vetitum fuit supercillia detondere ac vultum unguibus dilaniare. Convivia etiam instituebantur ad propinquorum solatium, quod dicitur *panis dolorum*, *calix consolationis*, acceptis ad id muneribus et amicorum visitationibus (2 Reg. III, 35; X, 2; Jer. XVI, 4-7; Os. IX, 4; Eze. XXIV, 16-17).

CAPUT XXIV.

De antiquitatibus hebræorum politicis ac primum de fundamentali lege. Occupatio Palæstinæ. Jus internationale.

111. Ut hebræorum formam politicam, leges et historiam intimius comprehendere valeamus, ad specialem Dei erga eos providentiam confugere necessarium omnino est. Itaque, ob universalem populorum defectionem, fidei antiquæ oblivionem ac moralem doctrinam misere foedatam, periclitabatur finis intentus a Dei providentia res humanas moderante et universalem historiam dirigente, nisi ad præparandas vias ultimæ ac perfectissimæ educationi humani generis, populum singularem delegisset, atque ad hunc finem speciatim destinasset. Atque hæc fuit maxima sane et excelsa populi hebraici destinatio, cum fatis futuræ totius hu-

manitatis conjuncta, cuique omnis legislatio mosaica, præsentissimus Dei influxus ac tota populi historia subordinari debuit, ac plurima explicat, quæ primo intuitu videntur anomala.

Itaque Deus ipse erat hebræorum rex, solus colendus et obediendus, imperiumque exercens lege ab ipso data, ac per suos ministros executioni mandanda. Hic est articulus præcipuus et fundamentalis constitutionis politicæ: hunc populus solemniter acceptavit, usque dum magno peccato et ingrato animo alium regem sibi postulavit, et obtinuit quidem, sed manente Dei principatu, constitutione ab ipso lata, supernaturali influxu frequentissimo, qui ex tota hebræorum historia patescit (conf. Ex. XX-XXIX; Deut. XXVII-XXX; 1 Reg. VIII, 7; X, 1, 17-25; XIII, 13-14; XVI, 13). Manente itaque magna ex parte patriarchali regimine, quo paterfamilias supremam auctoritatem exercebat in uxores, filios ac domesticos; manentibus etiam cum quadam auctoritate senioribus et viris doctis cujusque tribus; (a) suprema auctoritas erat Deus, et proprio jure, et voluntaria populi acceptatione, qui etiam eos e captivitate redimens suos fecit, ac terram chanaaniticam donavit; unde illi, cum meri coloni hæreditarii essent, tributa Deo pendere, signaque supremi dominii et dominationis offerre tenebantur: palatium Dei regis erat tabernaculum, ac templum postea; tribus levitica ministri; mensa cum panibus et vino, mensa regia; idololatria crimen læsæ majestatis sicut et blasphemia; quodlibet peccatum inobedientia regi ac crimen politicum.

112. Hic Deus ac judæorum rex, optime novit necessarium fuisse populum longe duraturum, ac divinam revelationem, futuræ humanitatis lumen, servaturum, habitatione fixa et a reliquis populis independenti ac segregata indigere; ipsi proinde terram chanaaniticam concessit, quam supernaturali adjutorio populus debellavit ac propriam fecit. Sane, cum jus gentium illorum temporum terrarum occupationem non haberet ut titulum sufficiens ac firmum pro-

(a) Qui postremi appellantur שׁוֹטְרִים, forte quia in arte scribendi exerciti, genealogias texere, et rebus forensibus præesse consueverant, unde generatim vox *scriba* virum designavit auctoritate præditum.

prietatis, sed cuilibet populo nomadi facultatem concederet eam sibi terræ portionem vindicandi, quam bello obtinere posset, præsertim cum vivendi necessitas id postularet; hinc factum est, ut habitatores Palæstinæ nonnisi conditionatam, ut ita dicam, illius proprietatem obtinerent, usque dum alius fortior populus eos debellaret, legemque devictorum imponeret. Denique id fecerunt hebræi jussu Dei, rerum omnium ac terrarum domini, qui iniquitates amorræorum bello mortifero punivit, sicut olim homines corruptos diluvio mulctavit. Igitur debellatio Palæstinæ ab hebræis nec jus naturæ violavit, nec jus gentium ætatis illius; nec a nobis condemnari potest, nationum germanicarum filiis, quæ hoc jure romanum imperium occupaverunt; nisi historiæ ac diversorum temporum obliti, actiones temporis remotissimi jure gentium nunc exstante judicare velimus. Paucis: si quis non credat Deum re vera occupationem Palæstinæ hebræis imperasse vi et armis peragendam, tenebitur rem explicare jure illius ætatis consueto, quo justam et a Numine dispositam judicabant occupationem a victoria procedentem, ac populos devictos miseros quidem, sed non *injustitiæ* subditos dicebant; unde etiam servi romanorum v. g. rem ordinariam ac naturalem credebant sese feris aut circuli ludis offerre in dominorum gratum spectaculum, ac *morituri Cæsarem salutabant*. Si vero, ut par est, e Dei imperio occupationem Palæstinæ factam fuisse judices, jam nihil difficultatis remanet. Hunc autem Dei præceptum hebræi satis demonstraverunt, mirabili ac prorsus prodigioso divino adjutorio, in transitu Jordanis, destructione Jerichuntis &c.

Ex dicta populi israelitici destinatione fluebat *jus ejus internationale*, quo terræ occupandæ incolas interficere debuit, nisi antea ipsi fugerent terramque relinquerent: neque devictos subjugare aut in servitutem redigere poterant hebræi, ne fœdissimis superstitionibus illarum gentium assueti, legem relinquerent aut corrumperent, uti re ipsa evenit ob violatum non semel præceptum. Hæc autem exterminii lex omnes afficiebat citra Jordanem ac mare mortuum incolas, inclusis philisthæis, non autem phœniciis; qui quidem sejuncti erant in littore superiori maris, et ex cæteris chananæis hebræos fugientibus non parum adaucti, colonias plurimas fundaverunt in insulis mediterranei maris terrisque adjacentibus. Deus itaque præcepit terræ tantum occupationem; sed

incolarum exterminium jussum fuit ut necesaria consecutio agendi rationis incolarum terræ, qui, saltem plerique, in resistentia obstinati, nullam clementiam meruerunt, atque ita punitionis sententiam a Deo latam ipsi sibi paraverunt, ut ex libro Josue XI, 19-20 discimus. Quod attinet ad reliquas gentes, jus internationale hebraicum relationes et commercium, fœdera, aliaque ejusmodi permittebat, licet non semel prophetæ hoc reprehenderint, quatenus aut periculosum erat hebræorum destinationi, aut minorem fiduciam erga Deum arguebat, aut denique fiebat contra expressam Dei voluntatem, quatenus perniciosum et sanæ politicæ contrarium. Populi tamen vicini hebræo in reliquorum censu circa relationes internationales non veniunt; sed quidam bello interfecti sunt, ut *amorræi ultra Jordanem*, quia hebræos transitum tantum petentes bello exceperunt, et *amalecitæ*, qui infirmos et defessos hebræos in deserto adorti sunt; alii non erant necandi, sed nec foederibus admittendi, nec jus civitatis ipsis unquam concedendum, ut *moabitæ* et *ammonitæ*, ob denegatam annonam hebræis transeuntibus, et partem susceptam in maledictione a Balaam expetitæ, ac posteriori eventu (Num. XXII—XXV).

CAPUT XXV.

Forma reipublicæ. Regum auctoritas et mores.

113. Sub Deo rege summus erat reipublicæ caput Moyses, dein Josue ac demum Judices, qui tamen auctoritates normales non erant, sed fere ut romani dictatores, quando data occasione a Deo suscitabantur et populus acceptabat: omnes tamen ut primi Jehovæ ministri ejus nomine gubernabant ejusque voluntatem supernaturali ut plurimum modo notam exsequutioni mandabant. Præter patresfamilias, seniores tribuum, *viros scribas*, quos diximus, et levitas omnes, Dei hæreditarios ministros, creavit Moyses, consilio accepto a Jethro, præfectos super 10, 50, 100 aut 1000 viros, qui minores causas respective judicarent, majoresque ad Moysem deferrent; hi quidem postea, occupata Palæstina ac disjunctis tribubus, uniuscujusque regimen exercebant,

senatum constituentes cujuslibet civitatis ac conjunctim universæ tribus. Propria negotia quælibet tribus tractabat, vel cum ea quæ communem habebat rem; jus quoddam inspectionis in reliquas tribus habebat in negotiis gravioribus, ut in relationibus cum finitimis populis, aut gravibus legis violationibus; negotia communia peragebantur generalibus comitiis, coram tabernaculo ut plurimum habitis; confoederationem denique constituebant, independentem vitam agentes, et unitate nationali servata ob communem originem, destinationem, promissa, linguam, religionem, templum, constitutionem civilem et socialem. (Conf. Num. XI, 16; Deut. XVI, 18; XXXI, 28; Ex. XVIII, 13-26; Jud. VIII, 14; 1 Reg. XVI, 4; Jud. I, 1-11; XI, 5...; Jos. XXII, 9-34; Jud. XX, 1...; 2 Reg. II, 4; III, 17...; 3 Reg. XII, 1... &c.) Erat itaque vera theocratia, super religione fundata, cujus leges et institutiones conservationi religionis subordinatæ, hujus tuitionem et observantiam præcipue intendebant, una cum populi quieta pace, suavi regimine quatenus pro ætatis et populi conditione licebat, ac temporali omnigena felicitate; quod ejusdem populi historia demonstrat cum reliquis comparata. Ex qua forma regiminis theocratica necessario descendebat sacerdotum magna auctoritas, ac summi præsertim sacerdotis, ut de Eleazaro notum est, Eli, Eliacim, Abiathar &c. (a) Quod autem diximus de potestate Judicum Israëlis (שׁוֹפְטִים vel שָׁפַט) simili dictatoriali romanæ, intelligi debet quatenus non erat potestas ordinaria, nec proinde hæreditaria; sed a Deo suscitabantur, aut etiam a populo eligebantur data necessitate ut plurimum hostes populum subjugantes debellandi, quo peracto plerumque Judici remanebant perpetuus honor ac potestas judicialis suprema; sed tanquam privati absque emolumentis, insignibus regalibus, militibus, aliisque supremi imperantis prærogativis in domo sua vivebant. Fuerunt etiam qui bellum non gesserunt, sed potestatem supremam civilem, ac etiam qui alterutrum vel utrumque munus in una vel paucis tribubus obtinuerunt.

(a) Jos. XIV, 1; XXII, 13, 30...; 3 Reg. I-II; Judith IV; XV, 9 et omnia loca ubi de unctione regum, et de consulto Domino pro magnis reipublicæ negotiis sermo est, ac denique jus legem declarandi sacerdoti a lege tributum, Deut. XVII, 8; 2 Par. XIX. 8-10.

114. Cum autem reges populus desideravit, concessit quidem Deus (v. supra 111), sed ita ut suo nomine regerent, quod optimi non semel fassi sunt, demonstrat etiam electio divina prophetarum ministerio, ac necessitas regum *juxta legem Dei* gubernandi et ad *eumdem scopum* obtinendum; unde vere profluit reprobatio Saulis ab hoc scopo deficientis, atque electio Davidis, qui erat *vir juxta cor Dei*, legi nempe theocraticæ ac religioni fidelis (Conf. 1 Reg. VIII, 7...; X, 17...; XIII, 5-14; XV, 1-31; XVI, 1-14; 2 Reg. V, 1-3; 1 Par. XXVIII, 4...). Ceterum ipsi reges alium Regem exspectabant sibi longe superiorem, cujus imperium in universum orbem erat perventurum, huncque regem Jacobus prædixit veluti dominationis politicæ tribus Judæ scopum ac terminum (Conf. ps. II et CIX; Gen. XLIX, 10).

115. Inauguratio regum fiebat *unctione* a propheta vel summo sacerdote; quod tamen nonnisi cum Saule, Davide et Salomone factum legimus ac cum Joas, cujus ordinarium jus in periculum venerat. Videtur itaque unctio hæc signum fuisse electionis divinæ, quoties successio regum anormalis a Deo disponebatur, ut sæpe cum regibus Israelis factum est, etsi non pro solemni inauguratione, sed potius tanquam vaticinium symbolicum; incertum vero est num in successione ordinaria adhiberetur, quod probabilius apparet, eo quod *unctus Domini*, vel *christus Jehovæ* erat etiam nomen regis. Hæc unctio peragebatur loco publico, quo rex pervenerat solemni comitatu; dein diadema imponebatur ac sceptrum tradebatur, (a) conditiones regni jurabat ac leges mosaicas quæ in libro ei offerebantur, sponsionem obedientiæ a proceribus accipiebat et signa obsequii, solemni pompa dein reducebatur, populo acclamante: *vivat rex*, in throno sedens gratulationes excipiebat ac demum convivium proceribus faciebat (conf. ll. cc.).

116. Habebant reges more orientalium vestes magnificas, purpureas et amplissimas; diadema etiam, torques et armillas, ut videtur, omni occasione (2 Reg. I, 10), quandoque et coronam; thronus erat sella elevata, crepidine a tergo et cubitalibus instructa, scabello supposito, et sex gradibus (in throno saltem Salomonis) supra pavimentum

(a) Baculus rectus ligneus variis ornamentis et globo in extremitate præditus, præter sceptrum Saulis, quod jaculus erat.

elevata, auro et ebore ornata, ac duobus leonibus hinc inde collocatis, velut potestatis regiæ symbolum. Thronus Salomonis forma rotunda dispositus videtur in superiori et postera parte, et unumquemque gradum duo leunculi excipiebant. Mensa regia erat splendidissima tempore Salomonis (3 Reg. IV, 22-23), vasis aureis prædita, musicis et saltatricibus quandoque adhibitis, atque cibis inde in aulicorum ac totæ familiæ, quandoque et populi alimentum delatis; unde mos e mensa Dei, hebræorum regis, oblata alimenta sumendi, veluti panes præpositos, partemque sacrificiorum. Reges hebræorum non ita occlusi degebant, ut adytus ad eos non cuilibet pateret, contra aliorum orientalium morem; quia tamen non vulgaris erat hic adytus, ut symbolum prosperi eventus habebatur, unde venit potestas illius phrasis: *Deum videre*, pro magna felicitate designanda (conf. Esth. IV, 11 cum 2 Reg. XVIII, 4; XIX, 7; 3 Reg. III, 16...; Is. XXXIII, 17). Regni provincias invisurus *præcursore* nunciabatur (a); procedebat autem asinis vel mulis sedens, deinde etiam curru, quandoque duobus curribus, ut altero destructo alter adhiberi posset; milites denique prætoriani comitabantur. Veneratione prosequi reges suos hebræi solebant, præsertim in regno Judæ, imo inferiores magistratus (quos aliquando אֱלֹהִים appellatos invenimus); unde regicidium summo horrore habebatur, et quodlibet læsæ majestatis crimen morte mulctabatur; appellari denique consueverant *domini*, *reges*, *constituti a Deo*, *christi Jehovæ*, præter alias denominationes et phrases exaggerati obsequii juxta orientalium ingenium.

CAPUT XXVI.

Regia potestas ac proventus: uxores: magistratus: regimen populi in captivitate et sub extera dominatione usque ad finem reipublicæ.

117. Præter negotia religionis, quæ sacerdotii aaroni-

(a) *Metator*, Deo etiam a thalmudicis tributus, quem supremum Angelum, Deo proximum, ejusque nomine apparuisse Patriarchis tradunt, aliaque similia pro divinitate Messiæ ac trinitate divinarum Personarum ab hebræis admissa non levis ponderis.

tici propria erant, nec potestati civili relinqui debebant (nisi sub respectu protectionis), reliqua omnia rex administrabat, aut immediate, aut per diversi generis et auctoritatis ministros, quorum officia et jura non facile distingui possunt. Non erat tamen regia potestas illimitata, ut passim in Oriente, sed a *lege Moysis*, *conditionibus cum populo conventis* in inauguratione, *proceribus* etiam, ac præsertim *prophetis* coarctata; respiciebatque præcipue quidquid ad religionis tutamen opportunum videbatur, jus gerendi bellum, potestatem judicialem, jus vitæ ac mortis haudquaquam absolutum, tributa denique imponendi ac exigendi, præter alios proventus; quod ex historia schismatis Jeroboami abunde constat.

Hi proventus præcipue erant *spolia bello capta*, *tributa* populis devictis imposita, *munera* sponte oblata, *opera* bello captis, non tamen hebræis, vi imposita, *vectigalia* a mercatoribus accepta ac demum *patrimonium regium* ditissimum tempore Davidis ac Salomonis, ex armentis, gregibus, vineis, arboribus, &c. constans. Quando tamen rex bellator plures victorias super vicinos populos obtinebat, immensas divitias inde colligebat; quæ in ærario Davidis collectæ per 40 annos, atque ad ædificia sumptuosissima templumque jerosolimitanum construendum longa cura destinata, nil mirum est, si immensa pondera 100.000 talentorum auri ac 1,000.000 argenti æquare potuerunt; quod ex computatione supra data æquivalet (supposita proportione auri ad argentum ut 12 ad 1) fere 5,160.000.000 scutorum argent. hispanic. Hoc post victorias 40 annorum lucrosas eo quod dictum est modo, nemini incredibile videbitur, præsertim si consideret regulum Abd-el Kader a gallis devictum, in suo ærario reposita habuisse fere 40,000.000 scuta, quæ victores galli ceperunt anno 1847.

118. Quamvis hebraica lex regibus interdiceret *mulieres plurimas*, ii tamen, regum orientalium more, non paucas habebant in gyneconitide ab ancillis et eunuchis, ab extraneis populis emptis, custoditas; unde profluebant consuetæ discordiæ et conspirationes ad præcipuum regis favorem captandum ac successionem regiam propriæ proli vindicandam, præsertim cum nulla lex primogenito hoc jus tribueret, sed paternæ voluntati relinqueret, quæ omnia in successione Salomonis nota sunt. Hinc mater futuri regis magnam exercebat auctoritatem, ob idque sæpe in Bibliis designatur. Non tamen omnes erant proprie sponsæ seu reginæ, sed multæ pellices seu concubinæ sæpe ex mera pompa ac regia magnificentia habitæ, non

libidinis causa; quas tamen omnes rex successor ut partem patrimonii accipiebat, sed nullibi apparet lex aut consuetudo quæ filio regis vetaret concubinas patris in proprias uxores accipere, quando rem maritalem cum eo non habuerant; nec casus Abisag ab Adonia expetitæ id evincit, ut autumant Jahn et Glaire, sed Adoniæ in crimen hæc postulatio data est quia per illam sibi in regnum viam parare conabatur.

119. Magistratus regii præcipui erant 1.° consiliarii regis; 2.° prophetæ, etiam regii consiliarii præcipui dum pius erat rex, aut pseudoprophetæ vel etiam harioli et sacerdotes idolorum quando rex erat impius; 3.° cancellarius (cronista), qui omnia quæ in regno contingebant notatu digna litteris mandabat, omniaque regis dicta et gesta; 4.° summus sacerdos, ut in theocratia exspectandum erat, consiliariis accensetur (conf. pro iis omnibus 2 Reg. VIII, 16-17; XX, 24; 3 Reg. XII, 6-12; ib. XXII, 6-8; &c.).

Aulici etiam plures erant, officiis eorum non satis determinatis, ut *præfectus annonæ* (3 Reg. IV, 7; et ib. XX, 15), *principes provinciarum* (non confundendi cum exactoribus tributorum), *præfectus super thesauros sanctuario dicatos* (1 Par. XXVII, 25), *major domus* (intendente de palacio), clavem auream in humero ferens tanquam dignitatis insigne (Is. XXII, 22), *præfectus cubiculi vestium* (guardaropa), *amicus regis* (privado, confidente) inter cæteros recensitus quamdam auctoritatem habuisse videtur (3 Reg. IV, 5), *milites prætoriani* (diversis nominibus designati, ut mactatores, extirpatores (cerethi), celeres, seu cursores (phelethi). Leguntur et alii multi in Scripturis aut officium singulare aut auctoritatem habentes, ut *filii regis* (vulg. *sacerdotes* 2 Reg. VIII, 18, et *primi ad manum regis* 1 Par. XVIII, 17), *scribæ* (ex quibus alii erant notarii, alii sacrorum librorum descriptores, alii a secretis regis), *secundus a rege*, (primer ministro, gran visir), *sacerdotes et prophetæ regis*, ministri etiam ad terras, pecora, arbores, vineas, oliveta &c. regii patrimonii administrandas necessarii, *tributorum exactores* (מֵס tamen præstationem personalem potius quam verum tributum exprimit), *principes militiæ* (capitan general) ac inferiores præfecti velut tribuni, centuriones, &c., omnes denique, quos supra diximus, magistratus et judices ex institutione mosaica in posterum servati. Omnes ministri regis coram eo *stabant*, præmissa adoratione seu profundiori reverentia; unde *stare coram rege, coram Deo*, est in ejus servitio versari: ab arbitrio regis pendebant atque proprio arbitrio cum inferioribus agebant, unde tot

vexationes a prophetis sæpe reprehensæ; administratores vix unquam rationem reddebant, et si quando ab eis postulabatur, e gratia et officio, si jam non e vita cadere timebant.

120. Ex singulari familiarum hebraicarum constitutione et antiquis moribus, atque ex tolerantia victorum factum est ut etiam in captivitate sive ægyptiaca, sive babylonica, persica aut romana, quosdam magistratus haberent, qui propria eorum judicia agerent; ad quorum exemplum voluit Apostolus Paulus ut christiani lites ad judices infideles non deferrent, ne nomen christianum infamiæ traderetur, sed arbitros judices eligerent, etiam si contemptibiles essent in Ecclesia (1 Cor. VI, 1...). Post captivitatem babylonicam hebræi ut antea fere constituti sunt, excepta independentia politica et potestate regia, quæ, etsi ab Asmonæis restituta, nusquam eum splendorem, stabilitatem et vim obtinuit quæ apud posteros Davidis. Postquam vero, Herode magno defuncto, romani omnia pro arbitrio disponentes, regimen populi sibi subjecti arctioribus vinculis exercebant, *tetrarchas* constituerunt (a) ac *procuratores*, qui postremi vel æquites romani, vel liberti Cæsaris non levi tyrannide regionem subditam regebant, cum potestate suprema judiciali, et munere tumultus compescendi, tributa exigendi, aliaque hujusmodi administrandi, servatis tamen, quantum fieri poterat, regionis moribus et legibus. Procuratores Palæstinæ proconsuli Syriæ subditi erant, ac sex cohortes habebant, tum Cæsareæ ubi procurator degere solebat, tum Hierosolymis, in turri antonia et palatio Herodis, quo etiam sæpe venire ipsis erat necessarium, præsertim diebus solemnioribus. Hoc tempore vectigalia solvi coegerant romani, præsertim in civitatibus et locis ubi commercium exercebatur, quorum exactores *publicani* dicebantur, et, si jus vectigalia exigendi emerant, *principes publicanorum*, gens judæis invisa et publicis peccatoribus annumerata. Solvebatur etiam *census Cæsari* et *semisiclus templo*, quo diruto census adauctus est, et quolibet tempore summa repugnantia solvebatur.

(a) Quæ vox vel præfectum super quartam regionis partem, vel auctoritatem post *proconsulem, regem* et *ethnarcham* inferiorem designat.

CAPUT XXVII.

De tribunalibus, judiciis et poenis: de usura.

121. Post Moysem in omnibus urbibus erant judices, pagis etiam adjacentibus præpositi, qui minores et ordinarias causas judicarent, gravioribus ad rectorem reipublicæ vel ad summum sacerdotem reservatis; quod et post exilium babylonicum restitutum est, donec ætate Machabæorum supremum tribunal fuit institutum (sanhedrin), nullo modo confundendum cum septuaginta senioribus in consilium a Moyse adhibitis ad reipublicæ regimen. Hoc autem *synedrium* constituebatur septuaginta duobus viris, quorum præses fere semper erat summus sacerdos, secundus ad dexteram ejus sedebat et tertius ad sinistram. Judices erant: 1.° *principes sacerdotum*, qui aut summi sacerdotes fuerant, aut capita familiarum sacerdotalium; 2.° *Seniores*, principes nempe tribuum et capita familiarum; 3.° *scribæ* (a). Hujus tribunalis mentio nonnisi tempore Hircani 2i occurrit; quamvis nil obstat quominus ad normam consilii mosaici constitutum fuerit. Habebat suos inferiores ministros, jungebatur in templo juxta thalmudicos, (quod, si verum sit, non semper servabatur), sedebant omnes orientalium more ad dexteram et lævam præsidis in semicirculo; judicabat de causis gravissimis, præsertim num aliquis esset pseudopropheta (ex iisdem thalmudicis), habebatque potestatem etiam sententiam capitis dicendi, non tamen exsequendi sub romanis: si cum Stephano aliter factum est, hoc ideo evenit quia tumultuarie res gerebatur *judicio*, quod dicunt, *zeli*, seu potius fanatico; Jacobus vero frater Domini tumultuarie, jubente Anano, Jacobus Zebedæi ab Agrippa rege occisus est. Alia etiam erant tribunalia ætate Christi in qualibet synagoga constituta, quæ 23 judicibus constabant et res tantum religionis judicabant; denique tribunal trium judicum arbitrorum a partibus contendentibus eligebatur.

(a) (Gr. ἀρχιερεῖς, πρεσβύτεροι γραμματεῖς); in quibus seniores et scribæ aut electione aut regia nominatione deligebantur, cum omnes esse non possent.

Ad hæc tribunalia forte alludit Christus (Mat. V, 22) vocibus *judicio* (tribunal synagogæ, quod nonnisi quadraginta verbera imponere poterat), et *consilio* seu synedrio.

122. Agebantur judicia *mane*, poterat tamen nocte expleri judicium mane inchoatum; *in portis urbium* primum, dein in loco publico communiter, ut apud græcos; summarie, nempe 1.° actor et reus stabant apud judicem sedentem (forte cum notariis et ministris), actor ad dexteram rei, qui in gravioribus criminibus apparebat veste lugubri, capillis detonsis, incompositis &c., actor dicebatur *Satan* (adversarius, ps. CVIII, 6-7); 2.° agebatur causa testibus juratis, vel spontanea confessione prævio jurejurando, aut etiam aliis probationibus, ut scripto &c., testes autem duo ad minus erant, qui separatim interrogabantur, sed coram reo; 3.° quandoque res dubia, consentientibus partibus, sorti tradebatur (Prov. XVIII, 18); 4.° pronuntiabatur denique sententia statimque exsecutioni tradebatur, etiam si de sententia capitali ageretur (Jos. VII, 22....; 1 Reg. XXII, 18; 3 Reg. II, 23-25). Hæc autem omnia, sicut et aliæ judiciorum formæ a Thalmudicis traditæ, quæ minori certitudine gaudent, in causa et judicio Christi partim servata, partim neglecta fuere. In causis debitorum hæc servari consueverant: 1.° creditor in solutionis securitatem pignus, hypothecam vel sponsorem accipiebat, sed non ipse in domum debitoris ingredi poterat ut pignus eligeret, sed ante ostium exspectabat et oblatum pignus accipiebat, quod, si ex necessariis esset victui quotidiano, vel quibus debitor ægre carere poterat, ante noctem erat reddendum (Deut XXIV, 6-12; Ex. XXII, 25-26); 2.° anno sabbatico vel jubilæi debitum exigi non poterat, unde etiam huic anno nomen *dilatio*, *remissio* (Deut. XV, 1-11); 3.° debito non soluto, vendebantur agri, domus, ac ipse etiam debitor cum uxore et filiis, pro illius temporis immani duritie; quod de sponsore etiam dictum sit (conf. Prov. VI, 1-4; XI, 15; XVII, 18; XX, 16; XXII, 26-27; Math. XVIII, 25); 4.° trahebatur debitor a creditore in judicium non exspectato judicis mandato et ministri adjutorio (Math. V, 25; Luc. XII, 58; Math. XVIII, 25, 28-30), nisi forte cum aliter fieri non posset; 5.° usuram accipere ab hebræis nullus creditor poterat, sed tantum ab extraneis; commodare vero absque lucro ut opus misericordiæ commendatur.

123. Videtur primum usura erga pauperes vetita (Ex. XXII, 25; Lev. XXV, 35-37), sed ad lites removendas super quæstione quisnam esset pauper, erga omnes hebræos prohibita fuit (Deut. XXIII, 19-20). Hæc tenet Jahn. Re autem intimius perspecta et illius populi indole considerata atque vivendi ratione, certum videtur mutuum petere non consuevisse, nisi *in necessitate constitutos*, quibus proinde vix lucrum imponi poterat, quin miserior eorum status redderetur. Unde, cum lex ad id respiceret quod communiter evenit, usuram absolute vetuit, nempe quæ onerosa esset, et erga fratres in necessitate constitutos. Erga alienos vero permissa fuit, non dispensatione aliqua aut derogatione legis naturalis, quæ sine plena demonstratione admitti nequit, sed quia extranei mutuum petere solebant ad commercium exercendum et magna quantitate, ac proinde nulla erat obligatio ipsis ex charitate subveniendi. Ita fere Mastrofini. Si in re trita quid sentiam dicere velim, videtur mihi omne prorsus lucrum occasione mutui erga hebræos pauperes, aut etiam mediocri re familiari gaudentes, sed mutuo illo indigentes, vetitum fuisse *lege positiva*, ob peculiarem populi constitutionem et legis mosaicæ indolem ad id quod perfectius est dirigentem; erga extraneos vero res intacta remansit, ac proinde licitum vel illicitum hebræis erat lucrum illud quod ex rei natura licitum vel illicitum est; propterea que permissum fuit lucrum moderatum, tunc tantum exspectandum, cum charitas aliud non postularet. Id tamen a Christo adhuc majorem perfectionem accepit (Luc. VI, 32-36), qui opera misericordiæ absque humanæ retributionis spe facienda esse docet, ac proinde non cum illis tantum a quibus *eadem aut similia opera exspectare possumus*. Nulla itaque hic est de usura mentio, ut totus contextus docet (conf. etiam Math. V, 43-48; Luc. XIV, 12.....), etsi vox *foenerari* appareat, quæ sensu improprio accipi debet, ut totus locus sibi constet. Confert super hoc laudatum Mastrofini. Hinc ruunt accusationes Legi mosaicæ factæ propter usuram, et arbitrariæ judæorum interpretationes.

124. Damna semper erant reparanda, et quidem ob denegatum depositum pupillis adjiciebatur quinta pars; pro delicto talioni subjecto, taxabatur prætium a persona offensa; pro occisione hominis liberi a bove cornupeta, conscio domino et non eum custodiente, taxabatur a *vindice sangui-*

nis, si vero occisus erat servus, triginta' sicli solvi domino debebant; pro læsione aut metu incursu mulieri gravidæ, aborto sequuto, taxabatur prætium a viro illius et arbitro. Furta et fraudes duplo restituebantur re adhuc apud fraudatorem manente; si vero eam alienaret, quadruplo, quia præsumebatur voluntas non restituendi, et si de bove ageretur, quintuplo. Furtum rei sacræ morte puniebatur. Fur nocturnus occidi poterat, non vero diurnus, sed homicidium imputabatur; quia minus timendá ac facilius vitanda erat intentio occidendi, in fure nocturno domum ingrediente facile præsumenda. Læsio quælibet læsum a labore impediens reparanda erat, una cum expensis in curatione; aliunde etiam *talione* puniebatur quando deliberate facta erat. Talio etiam falso accusatori decernebatur, nempe eadem poena, quæ vero delinquenti imposita fuisset. Pro aliis damnis ac voluntarii depositi denegatione aut æqualis aut dupla reparatio fiebat. Quibusdam delictis infamia post mortem imponebatur, nempe privatio sepulturæ, cadaveris lapidatorum combustio, aut suspensio ab arbore, aut denique acervus lapidum desuper congestus. Excommunicatio in usu apparet tempore Esdræ (X, 8); ac certe tempore Christi (Luc. VI, 22; 1 Cor. V, 2-9, &c). Duplex erat, major quæ a consortio populi et judaica republica arcebat, et minor quæ tantum communionem cum synagoga vetabat, quin tamen certo constent hujus poenæ limites, quam aliunde præcedebat *censura*, seu monitio vel correctio privata (conf. Mat. XVIII, 15...). Delicta graviora bene multa morte plectebantur, quæ autem contra legem fiebant ex ignorantia, sacrificiis redimi poterant; sed tantum de quibusdam hoc est intelligendum, quæ distinguebantur in *peccata* et *delicta*, quorum discrimen obscurum est (conf. Lev. IV-V). Carcer usitatissimus erat in rei custodiam et etiam poenam. In eo autem erant foveæ et cisternæ, unde diversam poenam ibi rei sustinebant pro criminis qualitate: vinciebantur etiam catenis æreis, et aliis tormentis subjiciebantur, etiam ad confessionem extorquendam.

125. Præcipuæ poenæ corporales erant: *ictus baculi* (Lev. XIX, 20), quæ utrum a *tympano* (probabiliter fustigatio in pedibus, virgis facta) differat non liquet (conf. Hebr. XI, 35 cum 2 Mach, VI, 19 gr.). Vapulandus parvæ columnæ manibus subjectus, valde inclinatus et tunica ab

humeris ad renes exscissa, nonnisi 40 ictus sustinere cogebatur, quos unus judex numerabat, dum alius repetebat locum Deut. XXVIII, 58-59, tertiusque executorem post reum stantem monebat de suo officio (a). *Decollatio*, *vivi hominis combustio*, *lapidatio* (ab accusatoribus et testibus inchoanda), *præcipitatio* e turri vel loco alto vel in mare, *serratio*, *crucifixio*, aliæque poenæ minus usitatæ, aut a Moyse sanciuntur, aut in Bibliis commemorantur; quandoque etiam *strangulatio*, *suffocatio*, *partitio corporis* vel præcipuorum membrorum, *fossa leonum*, aliæque.

126. In iis *supplicium crucis* paulo latius explicandum. Num antiquis hebræis notum fuerit vix dubitandum videtur (ex locis Gen. XL, 19; Deut. XXI, 22-23; ps. XXI, 17-18; Zach. XII, 10); sed a tempore Asmonæorum acceptum fuit, ac dominatione romana certo vulgatum; unde non semel utitur Christus metaphora: *tollere crucem*, *accipere crucem* &c., (quin audiendus sit incredulus Renan, qui has locutiones ab evangelistis procedere autumat: Paulus quoque ad crucem sæpe alludit, sed nil mirum esset post supplicium Christi, ac proinde non bene allegatur a Glaire ad rem præsentem evincendam). A persis, phœniciis, carthaginensibus, græcis et romanis, nec non ab antiquis ægyptiis in usum adhibita crux, hac etiam ratione judæis nota necessario fuit. Erat autem hoc infame supplicium servis, latronibus, homicidis et seditiosis reservatum. Damnatus ad crucem vestibus expoliabatur et ad breviorem, quam diximus, columnam flagellis cruciabatur non determinato numero (agitur enim de crucifixione romana), ipse dein crucem portabat, quæ talis erat qualis communiter apud nos repræsentatur, octo vel decem pedibus longa, et extra urbem exibat ad locum paratum. (b) Reo ad locum supplicii pervento

(a) Hæc Thalmudici, quæ forte sero introducta sunt; sed certe Apostolus flagellationem a *virgis* distinguit, quarum primam quinquies sustinuerat, alias ter. Judæi, ne legem in numero ictuum oblivione aut æquivocatione forte transgrederentur, nonnisi 39 dabant (2 Cor. XI, 24).

(b) In Christi supplicio fuit etiam illusio et corona spinea, sed hoc militibus adscribendum est, non consuetudini: locus item ubi crucifixus est, nusquam in evangeliis dicitur *mons*, sed *locus*, τόπος; unde nihil nostra refert si ex inspectione locorum probabilis non appareret traditio communiter vulgata.

porrigi solebat vinum myrrhatum, ut imminuta sensibilitate et mente perturbata, minus dolores sentiret, quod proinde Jesus noluit bibere (a). Deinde cruce in terram defixa, rursum expoliabatur reus suis omnibus vestibus, quæ militibus crucifigentibus cedebant; elevabatur manibus, scalis aut funibus in crucem, ubi in medio fere erat clavus instar cornu, perpendiculariter affixus, cui insidens æquitabat; denique manibus et pedibus aut ligatis, aut clavibus subjectis, prout cum Jesu factum est, et causa mortis supra crucem grandioribus litteris scripta, relinquebatur reus sub custodia donec moreretur, deinde vero inter romanos donec corrumperetur et aves et bestiæ depascerentur, inter hebræos autem humari debebat eodem die (Deut. XXI, 22-23); cumque vix mori posset, præsertim si robustus esset (unde plures vivere poterant non paucis diebus), vi occidebatur, aut fumo infra posito, aut crurifractione, aut lancearum ictibus.

Sed vere erat crucifixio immanissimum supplicium, præsertim ob crudelem sitim, circuitionis sanguinis difficultatem, super vasa præcipua aglomerationem, quæ rubores faciei, dolores capitis horrendasque anxietates producebat et angores vehementissimos; quos inter ob violentos nixus viscerarum ad sanguinem expellendum contingere poterat principalioris vasis ruptura ac mors fere subitanea, ut in crucifixione J. C., qui etiam valde defatigatus, id quod validiores et robustiores sustinere nequivit. Ceterum non eum mortuum fuisse nisi apparenter nemo nunc est qui defendat, et Christi inimicis nimis intererat certitudo mortis, et ictus lanceæ eam produxisset, ut pote quæ cor transverberavit, ex quo fluxit sanguis et aqua. Hæc post systemata Paulusii aliorumque a peritissimis medicis Schenbach, Gruner aliisque prorsus demonstrata sunt ita, ut nullus remaneat dubitandi locus, ob idque et Strauss et Renan veram mortem admittunt.

127. Executioni dabantur sententiæ capitales inter hebræos communiter a militibus, aut a populo, si sermo sit de lapidatione, aut ab aliis ministris, quod non constat. Sed

(a) Hoc est quod dicitur a Math. (XXVII, 34) *felle mixtum*, id est, amarissimum, ut erat re ipsa, non tamen quia narrationem paululum immutavit, ut respiceret ad ps. LXVIII, 22, ut ait Renan, neque est confundendum cum aceto aqua mixto (posca), quod ei sitienti obtulerunt milites.

ob populi antiquos mores permissa quandoque erat vindicta privata a *vindice sanguinis* peragenda, qui erat propinquus personæ occisæ. Hoc barbarum jus deficientibus tribunalibus necessarium, mitigatum fuit a Moyse institutione *urbium asyli*, quas ingressus homicida fortuitus, aut qui furem vel injustum vitæ aggressorem occidisset, liber manebat ibi usque ad mortem summi sacerdotis tunc existentis, ac deinde in propria redire poterat. Erat tamen tribunal sacerdotum in iis civitatibus, qui causam judicabant, et profugum, si verus homicida fuisset, vindici sanguinis tradebant. Nam verum homicidium absque remissione et compensatione erat. Hæc sunt præcipua circa hebræorum systema judiciarium atque poenale.

CAPUT XXVIII.

De re militari apud hebræos.

128. Antiquitus hebræi omnes videntur fuisse milites quotquot arma gestare poterant, a viginti annis et supra, ut evincitur ex recensionibus a Moyse ad Davidem non semel factis. A tempore autem hujus regis verosimilius videtur quamdam speciem conscriptionis fuisse, ex publicis tabulis a viris illis doctis formatis (שֹׁטְרִים), qui scribendis genealogiis incumbebant; ac exercitus permanens exstitit major minorve pro necessitate temporis, regis potentia et majestate. Urgente tamen necessitate, universus populus ad arma vocabatur, quo forte spectabat David in ea populi conscriptione quæ et Deo, et Joabo duci displicuit, unde per præfectos militiæ, non per genealogos facta est, qui etiam tempore Davidis suum præfectum habebant (2 Par. XXVI, 11). Imminente prælio regredi jubebantur 1.° qui domum ædificaverant nec incoluerant, 2.° qui vineam, aut hortum olearum plantaverant nec fructus collegerant, 3.° qui uxorem duxerant anno integro nondum expleto vel tantum sponsam emerant, 4.° denique timidi, ne reliquorum animos dejicerent, cum totus exitus belli e personali vi ac valore procederet. Distribuebantur milites in manipulos 50, 100, 1000 ac

10000 hominum sub diversis præfectis, ac totus exercitus in tria agmina communiter, eodemque modo ex Ægypto populus egrediens per desertum procedebat. Divisiones per familias et tribus fiebant, ac præfecti super 100 aut 1000 jam consiliis bellicis intererant, designabanturque primo a genealogis, sed tempore regum perpetui erant, ut rem militarem melius callere ac conscriptos edocere possent. Reges et duces armigerum habebant qui arma gestaret, quandoque curru insidebant, quo a pugnantibus utriusque partis distinguebantur (3 Reg. XXII, 32-33); pugnabant et ipsi, vixque aliud erat officium post commissum prælium, donec, noto exitu, quid erat agendum præcipiebant. Usque ad tempora Salomonis nullus fuit equitatus, satis vero frequentes currus bellici falcati, præsertim inter incolas Palæstinæ ab hebræis devictos, ac populos vicinos septemtrionis. Exercitus pedestris distinguebatur in *velites* et *hastatos:* primi pugnabant eminus armati funda, jaculis, arcu, sagittis, pharetra, gladio et, recentiori saltem ætate, parma (escudo lijero); cæteri cominus, habebantque gladios, hastas et scuta. Romani milites distributi erant in legiones 6000 hominum, cohortes 600, manipulos 200 et centurias, sed numerus multis de causis variare poterat, et ætate Christi cohortes Palæstinæ numerabant 1000 viros sub præfecto tribuno. Ab iis tamen distinguendi sunt in N. T. milites Agrippæ, et levitæ vigiles templi, qui sub conspicuo sacerdote templi præsidium agebant, etiamsi (Joan. XVIII, 3, 12) sensu improprio dicantur quandoque cohors. Clypeus usitatissimus videtur fuisse, et passim ut tutelæ symbolum venit; galea et lorica (casco y coraza) minus frequentes, munimenta manus et brachii (manoplas) non apparent in Bibliis, pedum autem (escarcelas) tantum inter arma Goliath; vestis curta erat, nempe sagum, et non raro occurrit cingulum militare quo gladius gestabatur una cum *balteo* (forte cingulo prætioso aut merita bellica ostendente, 2 Reg. XVIII, 11). Præter recensita arma missilia, posteriori ætate recensentur tormenta bellica et arietes (2 Par. XXVI, 15; Eze. IV, 1-2). Munitiones erant fossa et muri, turres in muris certa distantia sitæ ubi tormenta bellica collocabantur, et tempore pacis appendebantur ex illis scuta et arma heroum, forte etiam bello capta (Cant. IV, 4): aliæ turres locis convenientibus fundatæ ad instar castellorum, quæ primum forsitan fuerunt specula pas-

torum, ac dein munitæ in vera castella conversæ sunt; denique portæ vectibus metallicis, seris, aliisque repagulis obfirmatæ. Falcatos currus et equitatum fere semper contra se habuerunt hebræi potius quam ipsi adhibuerunt, quod dicendum est etiam de elephantibus, qui et ipsi pugnabant, et castellum supra portabant 30 homines capiens, inde acriter dimicantes.

129. Discebant hebræi artem bellicam sub ducibus, tribunis et centurionibus; unde phrasis *discere bellum* et alia *bello edocti*. Non est autem mentio ludorum gymnasticorum, nisi post dominationem seleucidarum ac tempore Herodis, atque ut paganorum morem judæi invisum habebant; de illis tamen crebra apud Apostolum mentio fit (conf. 1 Cor. IX, 24-27; Phil. III, 11-14; 2 Tim. IV. 7-8), ac de theatris item, ubi etiam legatos excipiebant, et conciones populi fiebant (conf. Act. XII, 20...; XIX, 29). Castrametatio hebræorum in deserto describitur Num. I, 52 et III, 21-38; an autem servata vel imitata fuerit postea non liquet. Vexilla et alia signa militaria, præsertim buccinæ argenteæ, erant; non autem certo constat qualia fuerunt vexilla, cum tribus vocabulis designentur, דגל, אות et דם; videtur primum proprium fuisse tribuum ternario agmen unum constituenti, secundum cuilibet familiæ proprium, tertium vero stipes vel pertica terræ fixa, in altis montibus erecta ut omnes ibi congregarentur, unde verosimile est pannum undulantem habuisse, et ad illam cornu bellico clangebatur et barritus ciebatur (conf. Num. XXI, 8-9; Isa. V, 26; XIII, 2; XVIII 3, XXX, 17; LXII, 10-13: ad hoc *signum* allusio fit ps. IV vocibus *signatum est super nos* &c. ut in hermeneutica explicabitur). Ante bellum consulebantur primum *Urim* et *Thummim* summi sacerdotis, id est, sortes sacræ (Jud. I, 1; XX, 27-28), deinde Deus per sacerdotes aut prophetas, vel etiam idola et harioli, quando rex erat idololatra. Indicebatur bellum et quandoque de compositione tractabatur (4 Reg. XIV, 8; Jud. XI, 12, 28); sed frequenter inopinato irruebant in hostes, et ipsi etiam inpetebantur, qua occasione per cursores fiebat totius populi convocatio cornu bellico. Expeditiones bellicæ tempore verno plerumque fiebant, exitusque divinæ voluntati tribuebatur non ab hebræis tantum, sed ab omnibus illius ætatis nationibus, unde illis descendebant jura post victo-

riam adepta (conf. legationem Jephte Jud. XI, 12-27, præsertim v. 24). Ordo aciei non constat, ac varius fuisse videtur; allocutionem faciebant sacerdotes ac posteriori tempore ipsi belli duces, qua ad fortiter dimicandum milites hortarentur; apropinquante hoste magnos clamores edebant, qui quandoque determinati erant (Jud. VII, 20; Jos. VI, 5, 20; 1 Reg. XVII, 52); stratagema sæpe recurrens erat, non probatur autem in Bibliis dolus malus; irruebant acriter, ac terga vertebant fortibus adversariis ut rursus majori impetu irruerent; romani vero stantes hos impetus sustinebant, ad quod allusio fit 1 Cor. XVI, 13; Gal. V, 1; Eph. VI, 14; Philip. I, 27; 1 Thes. III, 8; 2 Thes. II, 14. Ante urbis obsidionem pace eam invitabant, ac cum missis ex ea deputatis pactabantur, qua non accepta, quilibet murum impetebat contra se positum; insidias tendebant, corona militum circumdabant ut nullus exire posset atque ita fame perirent, quandoque etiam, quia obsidiones longiores esse solebant, fossis, vallo aliisque munimentis castra circum posita defendebant, unde urbs alio hostili muro circumdata erat, ut in obsidione Jerusalem a Tito (et 4 Reg. XXV, 1).

130. Jura victoriæ exorbitantia inter omnes antiquos populos ab hebræis mitius agebantur, si excipias primam Palæstinæ occupationem a voluntate Dei procedentem (conf. supra): ceterum quandoque ipsi etiam crudeliores fuerunt, quod ipsis tantum est imputandum, et ex consueto jure gentium ac necessitate hostes reliquos terrendi attenuandum est. Accedit in occupatione Palæstinæ possessio antiqua patriarcharum, qui puteos foderunt, pascuis usi sunt ut propriis, accedentibus præsertim divinis promissis, ac vix quibusdam chananæis terram colentibus; denique, cum in Ægyptum descenderunt Patriarchæ, numquam intentionem habuerunt regionem desserendi, quam proinde jure armis reclamare valuerunt, ac belli consecutiones in chananæos detorquendæ sunt. Ita fere Jahn, sed confer quæ supra diximus de hoc argumento. Cum milites conducti non essent, nisi posteriori ætate, et suis expensis bellum gererent, præda ipsis concedebatur, quam summo gaudio accipiebant, et quidquid utile inveniebant sibi vindicabant, etiam homines, feminas, pueros, pecora &c. Quandoque tamen belli dux quidquid prætiosissimum erat sibi tribuebat, unde David tot divitias colligere valuit. Pars prædæ etiam manentibus do-

mi cedebat, saltem antiquitus, et levitis templo deservientibus et sacerdotibus sua pars accensebatur. Præda ab ægyptiis accepta minima fuit compensatio tot laborum in regionis utilitatem vi susceptorum; utrum vero in ea exigenda dolus malus aut mendatium ex parte populi fuerit, non ego curabo: certe Moyses id postremum non præcepit (nempe ut ægyptios fallerent a quibus commodato (Ex. XII, 36; ib. III, 21; XI, 2) vasa acceperunt, et ipsa res erat adeo manifesta, et populus ægyptius ita anxius statim hebræos expellendi, ut vix deceptos eos dicere possis). Romanorum tempore, plerumque milites erant conducti, unde tam crebra allusio ad stipendium a Paulo fit.

CAPUT XXIX.

Religionis notio: prima religio Adamo tradita: revelatio noachicha: electio Abrahami: num hæc rejectionem ceterorum populorum Deumque nationalem significaret: Ritus circumcisionis.

131. Per religionem hic intelligimus complexum eorum omnium, quæ ab homine agenda et credenda sunt ex institutione divina, ut totalem suam destinationem adimplere valeat. Neque enim rem tantum intimioris nescio cujus sensus (sentimiento religioso), aut externas cæremonias cultûs, religionem esse concedimus; licet talis sensus re vera in homine sit, et cultus etiam naturalis, et a Deo præscriptus, et necessarius. Sed sensus religiosus ab ipsa religione oritur, ab externo impulsu excitatur, cultus autem mera religionis et sensus religiosi consecutio, ac simul medium est utriusque conservandi et perfectius exsequendi. Complectitur itaque religio moralem et dogmaticam doctrinam a Deo primo homini traditam, ac aliis deinceps; qua destinationem totalem, hujus nempe et futuræ vitæ edoctus homo finem creationis adimplere possit sub omni aspectu consideratum. Ex concisa ac nimium brevi mosaica narratione primævæ hujus religionis vix discere possumus quousque sese illa extenderet, ac inductione opus est, in ipsa narratione et in rei natura fundata. Insuper, ex utroque fonte constat res morales præcipue in revelatione divina contineri, dogmaticas tantum indirecte, quatenus in illis conti-

nentur, aut ad finem hominis adimplendum necessariæ sunt. Cum enim hominis præcipuus finis sit *agere* juxta voluntatem Creatoris, cui adimplendo sufficit *relationum in rebus exsistentium cognitio*; ea quæ huic fini necessaria non sunt aut valde utilia, humani intellectus aciem superant, saltem in intimiori eorum essentia considerata. Hinc pauca omnino dogmata in prima revelatione, sicut et in noachicha, patriarchali et mosaica directe traduntur; imo desiderium illud noscendi quod scopui hominum a Deo intento non inservit, in primis parentibus damnatum est. Res proinde morales seu practicæ præcipue attendendæ sunt ad *progressum revelationis biblicæ* intimius perspiciendum; cum Dei scopus in generis humani educatione fuerit per gradus procedere, quibus doctrinæ morali semel propositæ, quæ vitæ normam hominibus præbuit per certum tempus, alia perfectior adjungeretur eam complectens et perficiens, atque ita gradatim humanum genus, à Deo impulsum et adjutum, per liberam illius voluntatis adimpletionem, id in terra præstaret quod Deus intendit, ac futuram præsertim destinationem consequeretur. Atque ita in qualibet præcipuarum revelationum, quæ in Bibliis continentur, initium et fundamentum status socialis subsequentis, et quidem perfectioris, perspicere licet et expedit, ut religioni revelatæ id tribuatur quod suum est: nempe in iis quæ revelata sunt, et sensu stricto revelationem divinam fide religiosa tenendam constituunt, continentur etiam totius vitæ hominum norma, principium et methodus historiæ explicandæ, omnis civilizationis fundamentum, lineamenta præcipua totius humanæ sapientiæ et activitatis, id est, philosophia, scientiæ, bonæ artes et tota hominum industria.

132. Itaque ex primis capitibus Geneseos, ex antiquis traditionibus non omnino spernendis, etiam si apocryphis libris contineantur, ut liber Enoch, ac narrationes Berosi, Sanchoniatonis &c., et inductione in rei natura fundata, ea omnia Deum edocuisse novimus, quæ statum socialem antediluvianum dirigere valuerunt, plura alia, quæ primum hominum parentem et institutorem decebant, illa sapientia informatum etiam in rebus naturalibus, quæ Gen. II, 19-20 subindicatur, denique plura ordinem supernaturalem spectantia. Sic, sub aspectu sociali nunc primum re considerata, cum finis primævæ institutionis esset constitutio familiæ, primæ nempe societatis, ac propagatio speciei, præscripsit Deus primis hominibus officia: se conservandi et perfectionem persequendi (Gen. I, 28); propagandæ speciei (ib.); laboris, tanquam peccati expiationis (III, 7); diligendi conju-

gem tanquam unum quid cum altero conjuge (II, 23); relinquendi parentes ad novam familiam constituendam (II, 24). Femina post peccatum subjectione mulctata est sub potestate viri (III, 16), ac jus et officium tributum possidendi filios suos (IV, 1); omnes denique a cæde hominum abstinere (IV, 15, 23), desideria carnis reprimere in præmii spem (IV, 7), illibatum matrimonium ac generationis ordinem servare (VI, 11...), sacrificia grato animo Deo offerre jubentur (IV, 3-5), aliaque forte plura in concisa Geneseos narratione non contenta. Quanta insuper Deum primos parentes edocuisse in ordine theologico, philosophico, morali, scientifico, facile erui potest ex *lingua* quam eis dedit, una cum notionibus in ea contentis, ex *historia creationis*, quæ dogma foecundissimum est et nunquam satis mirandum, ex *diversis colloquiis cum illis habitis* tum ante, tum post peccatum, ex *ipsis præceptis* supra enumeratis, denique ex libro Eclesiastici, qui ait (cap. XVII, 5-8): «consilium et linguam, et oculos, et aures, et cor dedit illis excogitandi: et disciplina intellectus replevit illos: creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, et bona et mala ostendit illis. Posuit oculum suum super corda illorum ostendere illis magnalia operum suorum, ut nomen sanctificationis collaudent: et gloriari in mirabilibus illius, et magnalia enarrent operum ejus.» Sane ex iis didicit primus homo Dei existentiam pluraque attributa, originem mundi spiritualis et materialis libera ac *vera creatione* (a), angelorum existentiam (ex tentatione, et ex Cherubim custodiente paradisum), hominis immortalitatem (etiam quoad corpus, si ipse vellet, sed certo quoad animam, ut pote ad imaginem et similitudinem Dei creatam, unde hoc dogma vulgare fuit apud hebræos præsertim posteros, ut supra diximus num. 106); hominum fraternitatem a Deo et uno parente procedentium; liberum arbitrium una cum conscientia dirigente (sed a Deo edocta);

(a) Vox בָּרָא tantum occurrit hic ter, nempe in creatione *cæli et terræ*, id est, angelorum et materiæ (Gen. I, 1), animalium (*principii* scilicet *vitalis* eorum, ib. v. 21), et hominis quoad animam (v. 27); unde etsi non omnia accurate definiantur, videtur tamen discrimen fieri inter ea quæ ex nihilo creari debuerunt, ac ea quæ formata sunt, lente fortasse, et ex materia præexistente: conf. sect. 4, num. 632 ....

peccatum originale et redemptionem per gratiam Servatoris cujus mors expiatoria sacrificiis ubique terrarum adhibitis adumbrata fuit; destinationem hominis ad laborem in hac vita etiam ante peccatum (II, 15; III, 17), unde necessario fluere debet ejus perfectio, sicut et totius speciei ac etiam terræ laborem recipientis; creationem materialem *inanimatam* ac *legibus necessariis subjectam* (ut pote quæ homini in dominium traditur, cujus proinde studio et labori respondere oportet, quod divinizationem ejus vel cujuslibet partis vetat, ac principium fundamentale est scientiarum omnium naturalium); naturam ex se bonam; institutionem hebdomadis (in historia creationis fundatam, quæ *hebdomada divina* completa fuit) aliaque bene multa, quæ ex dictis primævam religionem constituebant, cum a Deo edocta, nonnisi contemptu divinæ veracitatis et auctoritatis rejici aut oblivioni tradi possent.

Et nos hæc paulo latius persecuti sumus, tum ut tirones discant plus in Bibliis quærere, quam quod a neotericis concedi solet, tum ut rationem reddamus mirabilis sapientiæ antiquorum, quin ad inumerabilia sæcula assurgere necessum sit, etiam si pluribus erroribus, superstitionibus ac ignorantia conjuncta esset, tum ut initium panderemus humanarum traditionum, quarum vestigia cum iis concordantia ubique inveniuntur, tum denique ut ostenderemus humanum genus jam ab initio *doctrina didicisse* ea omnia fere, quæ ab humana mente *cogitando inventa fuisse* plurimi gloriantur; quod quidem factum quanti nunc temporis habendum sit, non ego satis explicare possem.

133. Hac Dei institutione non obstante, post non multum temporis homines in crimina ruere coeperunt, ac in duas classes disjuncti (a) mutua iniere conjugia, ex quibus progenies prava orta est *irruentium* (latronum? נפלים, gigantes), ac omnes denique in peccata carnis contra naturam lapsi sunt, unico excepto Noe, decimo ab Adam patriarcha. Unde, facta plurium annorum prædicatione, noluit jam Deus cum hominibus corruptis tandiu disceptare (b) ac inducias concessit centum viginti annorum (Gen. VI, 3).

(a) *Filiorum Dei*, Seth nempe descendentium, nisi intelligere velis *viros conspicuos, auctoritate* in reliquos gaudentes, et *filiorum hominum* (Gen. VI, 2).

(b) Id sibi vult phrasis: *non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.*

Quibus transactis diluvium immisit, quo omnia vastata sunt, ac genus hominum deletum, excepto Noe cum sua familia, qui proinde secundum hominum caput est, ac secundam revelationem accepit, quæ institutionis *tribuum* origo fuit, sicut et prima *familiarum*. Tunc concessa homini fuit caro animalium absque sanguine in cibum, cum antea solis vegetabilibus vesci posset, injunctum fuit præceptum se conservandi ac multiplicandi (IX, 1), vetitum suicidium ac homicidium (conf. IX, 5 hebr. cum interpretatione clariorum rabbinorum), aliæque leges impositæ, in Geneseos libro non traditæ, quæque ex judaica traditione ad hæc reducebantur: absque auctoritate quadam non vivere, a blasphemia abstinere, ab idololatria, a conjugio cum conjunctissimis personis, ab effussione sanguinis, a furto, ab essu carnis cum sanguine, suffocati animalis ac venatione capti. Quidquid de hoc sit, certo tenendum primævas veritates, dogmata ac præcepta a Noemo servata fuisse, indeque in omnes gentes diffussa, imo non absurde admitteres quædam scripto fuisse consignata scriptura hieroglyphica; unde populi scripturam hanc servantes, et antiquissimi, et sapientissimi fuere, ut ægyptii ac sinenses.

134. Noemi posteri, chamitæ præsertim, unde nigritarum familia descendere videtur, in corruptissimos mores foedamque superstitionem prolapsi sunt. Ut ergo humani generis destinatio adimpleri posset, quam abusus libertatis in periculum verterat, nova a Deo revelatio facta est, probabiliter jam ab ædificatione turris babelicæ, quæ *populorum* fundationi occasionem præbuit, ac certo Abrahamo aliisque Patriarchis. Hos elegit ut populum ex illis sibi crearet cui custodia veteris revelationis, præparatio novæ ac gloria Messiæ in lucem edendi committeretur. Hæc tamen electio rejectionem ceterorum populorum non implicat, nisi quatenus specialissimæ gratiæ illis denegatæ sunt, quas hebraicus pupulus obtinuit; et ubique in ipsis libris Moysis apparet divina Providentia neminem repudians, ac exteris etiam prospiciens. Hebræi quidem ab illo præjudicio immunes non fuere, quo quilibet antiquorum populorum se unice electum ac Deo charum, ceterosque Deo odibiles ac naturales hostes existimabat, imo ætate Christi ad furiosum fanatismum a pharisæis præjudicium istud evectum est, sed contra spiritum ipsamque literam Librorum Sacrorum. In

iis enim vocatio Abrahami ac populi israelitici fit ad *benedicendas omnes gentes* (conf. Gen. XII, 3; XVIII, 17-18; XXII, 18; XXVI, 4; XXVIII, 14). Hinc ipsa denominatio «*Deus Abraham Isaac et Jacob*,» quin quidquam exclusivum involveret, jus potius omnium gentium repræsentabat ad Dei amicitiam, redemptionem favoresque divinos (conf. etiam Ex. XIX, 5-6; Num. XIV, 12, 21; Deut. XXXIII, 3; deinde Luc. II, 32; Act. X, 35; et historiam Melchisedech, Jethro, Job, Ruth, Jonæ &c. quæ rem penitus conficiunt). Populus itaque hebraicus eligitur ut *populus sacerdotalis* in reliquorum gratiam perinde ac clerus Ecclesiæ in gratiam fidelium. Ambitio et dura mens electi, nihil intentionem eligentis pessumdat. Interea religio antiquis ac recentioribus doctrinis et institutionibus constabat, cultusque exercebatur orationibus, decimis, jurejurando, votis et sacrificiis, quæ patresfamilias, magistratus, majores natu filii verosimiliter offerebant, ut historia Patriarcharum passim ostendit; quibus demum accessit ritus circumcisionis, jam forte ob causas nescio quas, alicubi vigens antequam Abrahamo ac posteris præscriberetur in signum foederis cum Deo pacti, ut symbolum propagationis peccati per generationem, quod quidem peccatum tollendum erat a futuro Redemptore e primo parente oriundo, ob causas forsitan hygyenicas orientis proprias, ac demum ut circumcisionem cordis, docilem nempe animum, fidelem, pium repræsentaret; unde passim rebelles Deo ac infideles israelitæ dicuntur *cor incircumcisum* habere, quæ figurata locutio hunc circumcisionis significatum vulgarem apud hebræos fuisse demonstrat.

CAPUT XXX.

Revelatio mosaica: dogmata: virtutes theologicæ: alia præcepta; cultus privatus; leges de cibis et purificationibus.

135. Mosaica religio complectebatur primam, noachicham, ac patriarchalem religionem, una cum iis quæ Moyses tradidit, ac posterioribus quatuor Pentateuchi libris con-

tinentur, simul cum historia, poësi, legibus judicialibus, agricolis, politicis, aliisque, veram illam hebræorum theocratiam constituentibus, quæ totam populi vitam, mores, vicissitudines, historiam moderatur et explicat. Quod si doctrinam dogmaticam ac moralem mosaicæ legis paucis complecti velimus hæc fere habebimus: Deus est unus (passim, conf. Deut. VI. 4), spiritualis (ib. IV, 15), æternus (יהוה), immensus, perfectus in omnibus operibus (Deut XXXII, 4), omnipotens (passim, et ex historia creationis), justus (passim), misericors (Ex. XXXIV, 6...), beneficentissimus (Deut. XXXII, 11), pater (ib. v. 6), cujus mansuetudo et providentia ex toto Pentateucho constat; et quidem erga omnes gentes (conf. supra). Quod si præmiis materialibus terribilibusque poenis utitur pro durissima populi indole, id non excludit quod spirituale est, pluriesque supponitur; punitio vero parentum in filiis usque ad tertiam et quartam generationem, necessaria consecutio est poenarum generis, quas diximus, v. g. captivitatem, famem, bellum &c. et ad parentes in officiis continendos aptissima, et Deo minime indigna, cum hæc mala rationem habeant in filiis *mali physici* non *poenæ* proprie dictæ, quod inculcat Ezechiel (XVIII 20). Angelorum existentia pluribus locis Pentateuchi constat (קדשים, מלכים, angelos, sanctos, comp. Deut. XXXIII, 2 et Ex. XX cum Gal. III, 19; Hebr. II, 2...; Act. VII. 53): prædestinatio adumbratur Ex. XXXII, 32...: intercessio sanctorum apud Deum demonstratur precibus Moysis pro populo fusis et exauditis (Ex. XXXII, 11...).

Natura hominis spiritualis perspicue satis explicatur per ejus imaginem et similitudinem cum Deo, quæ etiam similitudinem aliam postulat, nempe in sanctitate (Lev. XX, 7, 26) et ubique supponitur (v. supra), libertas ex multiplicibus impositis officiis constat et perspicue traditur (Lev. XXVI; Deut. XXVII-XXVIII; XXX, 19; &c.). Hominis *origo* a Deo est, *destinatio* in hac vita Deo obedire, qui *benevolus* etiam felicitatem temporalem, et *justus* et *zelotes* gravissimas poenas pro hominum meritis concedit; post hanc vero vitam animæ hominum animabus defunctorum congregabantur usque dum in *terram promissam* inducerentur, nempe coelum, ubi Deus esset earum *merces magna nimis* et *ostenderet omne bonum*. Conf. Gen. XV, 1; Ex XXXIII, 19; quæ supra diximus

de Abrahæ sinu; Gen. XLVII, 9 coll. Hebr. XI, 13-16; item a suicidis requiritur sanguis, id est, puniuntur, quod in altera tantum vita fieri potest; v. n.° 133. Hæc autem omnia majori perspicuitate a prophetis postea evoluta sunt, Deo se paulatim ad hominum captum accommodante, imo ætate Moysis ita vulgata res erat felicitas justorum post mortem, ut ipse Balaam eam desideraret (Num. XXIII, 10), quod et de fide in Messiam divina natura gaudentem (n. 137), et de Trinitate divinarum Personarum dici pariter debet, sæpius in V. T. ipsoque Pentateucho adumbrata, quod antiqui rabbini admittebant, et demonstravit cl. Drach, et ipso nomine simbolico יהוה indicatum videtur.

In iis tamen rebus minus immorari oportebat coram populo hebræo *duræ cervicis* et superstitionibus dedito; unde illud saluberrimum consilium ac præceptum adhucdum servandum (Deut. XXIX, 29): «Abscondita Domino Deo nostro; quæ manifesta sunt, nobis et filiis nostris usque in sempiternum, *ut faciamus universa verba legis hujus*,» et (Eccli. III, 22): «altiora te ne quæsieris.» Pauca namque de Deo dogmata, ac brevis notitia originis, naturæ ac destinationis humanæ sufficiunt ad optime servandum quidquid præceptum est; et profundiores investigationes vix vitam practicam juvant, ac nocivæ sunt statim ac prudentiæ limites facile transgrediuntur; unde fit ut plures semper discentes numquam ad scientiam veritatis perveniant, ut gravisssime docuit Paulus (2 Tim. III, 7): proinde codex mosaicus *lex* appellatus semper fuit, et doctrina D. N. J. C. *lex evangelica*.

136. Quod attinet et doctrinam morum, continetur primum in decalogo, ubi præcipua capita adumbrantur; quæ in illis continentur aut ex illis facile eruuntur, silentio prætermittit hoc morale compendium, alibi tamen plus minusve docentur. Itaque præcipitur *fides* in unum Deum, et opposita peccata, idololatria, variæ populorum coævorum superstitiones, hæresis (falsus nempe propheta), morte plectuntur, ut non semel factum est, ac etiam per summum nefas ac pessimam legis interpretationem cum propheta fideli J—C. Ex fide in Deum, et quidem providum, beneficum, amantissimum, patrem populi, nascitur *amor* (Deut. VI, 5 &c.) et fiducia in Deum, seu *spes*, cujus contraria vitia *desperatio* (Deut. VII, 17) et *superbia* animi in se confidentis (Deut. VIII, 17; IX, 4...), acriter reprehenduntur. *Oratio* ex his fluit, et sæpissime a Moyse adhibetur et commenda-

tur, ac formulæ quædam precandi præscribuntur, ut sacerdoti populo benedicenti (Num. VI, 24-25), israelitæ decimas offerenti (Deut. XXVI, 13) &c.

Ex his præceptis ipsaque hominum natura profluit necessitas cultus, tum interioris, tum exterioris, et privati et publici, qui posterior sub regimine theocratico majoris necessitatis est. Cultus privatus, præter fidem, spem, amorem, orationem ac peccatorum confessionem (Num. V, 7 &c.), complectebatur 1.° puerorum religiosam institutionem, quæ simul medium servandæ religionis erat; 2.° alia media ad eumdem scopum spectantia; 3.° leges ciborum; 4.° leges purificationum. Primum passim occurrit (Deut. VI, 7 &c.). Secundum fieri debebat, aliis omissis, descriptione nonnullorum præceptorum et beneficiorum Dei, quæ dein ligabantur circa manus, frontem (phylacteria), in limine et ostiis domus (Deut VI, 6-9; XI, 18-20; Ex. XIII, 9) (a). Aliud medium in memoriam revocandi divina præcepta erat pallium illud oblongum e cujus angulis pendebant fimbriæ cum vittis hyacinthinis (Num. XV, 38-39), quibus simul addiscebant in rebus materialibus, ac proinde in cæremoniis, symbola rerum spiritualium contemplari. (Hoc vestimento in speciem scapularis converso utuntur judæi post decimum tertium ætatis annum sub vestibus; unde in synagoga pallio ad orandum, ut plurimum prætioso, caput obtegunt). Alimenta vetita erant 1.° omnia animalia immunda superius recensita, 2.° sanguis et caro cum sanguine, 3.° partes adiposæ, 4.° hædus in lacte matris decoctus, 5.° animalia suffocata, aut sponte mortua vel á feris dilaniata, 6.° quidquid idolis consecratum fuerat. Quæ leges imprimis memoriam religionis ac Dei frequenter ingerebant, puritatem mentis significabant, hygienica remedia erant calidæ regioni præstantissima, denique mansuetudinem commendabant, præsertim quæ de sanguine loquitur: «quia anima eorum (animalium) in sanguine ipsorum est» (Lev. XVII, 14; Deut XII, 23; conf. supra dicta de animalibus immundis, et Lev. XI, 43-44). Eamdem spiritualem puritatem intendebant leges purificationum (v. n.°

(a) Versiculi contenti in capsula corii vittis ligata, quas longiores pharisæi portare consueverant, desumebantur ex Deut. VI, 4-5, et adhuc judæi hæc inter precandum servant.

104 et Lev. XII-XV). Per eas discebat hebræus etiam in actis natura honestis, veluti conjugii usu, quamdam labem ex corrupta hominum natura inveniri: hoc etiam peccatum originale subindicabatur, atque populum Dei electum majori puritate explendescere debere, et eum qui ad Deum proximus accedit omnem munditiem corporis et animæ præseferre admonitum fuit.

CAPUT XXXI.

Cultus publicus, ac primum loca sacra et ritus sacrificiorum.

137. Cultus publicus complectebatur 1.° loca sacra, 2.° ritus, 3.° clerum, 4.° festa. Loca sacra antiquitus nulla erant designata, nisi quandoque per specialem revelationem (Gen. XXII, 2); quamvis ea potius eligerentur ubi quidquam memoria dignum evenerat (ib. XXXV, 7; coll. XXVIII, 12). Sed postquam Patriarcharum progenies populum constituit ab aliis diversum et separatum, cui unitas Dei ac religionis primum principium constitutionis ac totius historiæ basis esse debebat, necessarium fuit ut unus tantum locus designaretur, tamquam unitatis religiosæ et nationalis symbolum, aula summi regis, quam totus populus frequentaretur in subjectionis ac fidelitatis signum, ac simul medium esset omnia conservandi, quæ religionem et constitutionem politicam populi respiciunt. Locus hic tabernaculum fuit primum in deserto, deinde magnificentissimum Salomonis templum Hierosolymis constructum. Non erat tamen in eis Dei simulacrum, sed tantum symbolum divinæ præsentiæ ac foederis cum populo pacti in *arca*, ex lignis acaciarum constructa, auro cooperta, ac duobus aureis Cherubim ornata in utroque latere superiori, quorum alæ extentæ veluti thronum Dei constituebant, ex quo cum Moyse loquebatur, ac *propitiatorium* dictum fuit (conf. Ex. XXV, 10-12). Dei præsentia manifesta fiebat per nubeculam lucidam ac fulgen-

tem, quam posteriores hebræi dixerunt *Scheschinah* (a). Custodiebatur hæc arca in interiori Tabernaculi parte (el *Santisimo*, el *Santo de los Santos)*, quæ decem cubitos longitudinis et latitudinis habebat, et a *sancto* sejungebatur velo prætioso. In arca inclussæ sunt *tabulæ legis*, ac coram ea vas cum manna, virga Aaronis florens et exemplar legis. In loco *sancto*, viginti cubitorum longitudinis, et ejusdem latitudinis et altitudinis cum *Sanctissimo*, cujus erat continuatio, collocabatur *altare incensûs*, *candelabrum aureum* septem brachia habens, ubi septem lampades ardebant, ac denique *mensa* continens duodecim *panes propositionis:* ingressus loci sancti alio velo claudebatur. Ante Tabernaculum (b) atrium erat cum altare holocaustorum, super quod fiebant sacrificia, et magno vase æneo, seu mare æneo, ad purificationem sacerdotum. Atrium hoc absque tecto erat, sicut et aliud exterius, quod atrium gentilium dicebatur, si tamen vere exstitit ante templum secundum, quod incircumcisi ingredi poterant (c). Juxta hunc tabernaculum, sed mensuris duplicibus, aliisque aut variatis aut novis, magnificentissime extructum postea fuit *templum Solomonis*, una cum

(a) Id est, juxta antiquissimum rabbinicum librum *Zohar*, (parte III, fol. 91-93, ed. Schulzbach): habitatio, sedes, præsentia, imago, aspectus, sonus, verbum Dei; ideoque idem cum Angelo Dei, Domini, imo vero Deo et Domino (Jehovah, Elohim, Adonai), Angelo faciei ejus, Angelo Testamenti, uno verbo: Christo, Messia, Verbo divino, quod postea carnem assumpsit. Confer has voces, quæ veram hebraicam doctrinam ac conceptum traditionale Verbi seu Christi exprimunt, ab evangelista Joanne clarius depictum: Gen. XVI, 7 coll. 10-11 cum 13; XIX, 2 cum XVIII, 1; XIX, 18, 21-24; XXI, 17 cum 19; XXII, 1, 11 cum 12, 14; XXXI, 11 cum 13 coll. XXVIII, 13-22; XXXII, 24-30 cum Osea XII, 4-6 hebr.; Ex. III, 2 hebr. cum 4-6; XIV, 19 cum Num. XX, 16; XXXIII, 2 coll. Ex. XXIII, 20-23; Is. LXIII, 9; Jud. II, 1-4 (nota idem nomen ex hebraica consuetudine eamdem essentiam designare velle); Ex. XXIII, 14; Malach. III, 1 coll. I, 1..... Quæ omnia in Proverbiis, Sapientia et Ecclesiastico clarius exprimuntur. Ghiringhello, *Vita di Jesù*, pág. 384...

(b) Tentorium nempe Regis hebræorum, Dei, in medio populi habitantis, et a reliquis tentoriis vix aliter quam amplidutine et magnificentia ornatûs diversum.

(c) Conf. plenam descriptionem Ex. XXV-XXVII, una cum vasis aliisque ad cultum, et ad omnia commode adsportanda necesariis, ib. cap. XXX; XXXVI. 8 ad XXXVIII inclusive.

pluribus aliis habitationibus, muris &c., ex quibus vera *arx regia* hebræorum constabat (conf. 3 Reg. VI et 2 Par. III). Tabernaculum fixum ut plurimum mansit, ingressa Palæstina, in parva civitate Silo, quo omnis Israel ad orandum et sacrificandum ibat; arca vero in prælia quandoque adsportabatur, captaque semel a philisthæis, sedem mutavit usque dum in arcem Sion ac demum in templum perlata est. Ob peculiaria adjuncta etiam alibi fiebant sacrificia, aut per legis infractionem; unde tot prophetarum querelæ adversus sacrificantes in *locis elevatis*, etiam si aliunde pii essent ac Jehovæ sacrificarent, quæ quidem loca vix unus e piis regibus Juda tollere aussus est. Hinc etiam odium exacerbatum est inter hebræos et samaritanos propter templum Garizim, ac species schismæ ob erectum in Ægypto templum ab Onia, quod a palæstinensibus numquam probatum fuit, quamvis locus Isaiæ XIX, 19 in ejus favorem verteretur. Cum omnia in erectione tabernaculi, vestium sacerdotalium confectione (v. n. 87—92) ac rituum ordine a Deo minutim ordinata fuerint, planum est admittere symbolica ea fuisse et spirituale quid designasse, quod interpretes sua probabilitate persequuntur; et ad animum elevandum sensumque religiosum excitandum omnia certo conspirabant.

138. Præcipuus cultus publici ritus, ut in omni fere religione, erat sacrificium: universalis omnium populorum et temporum institutio, quæ confessionem exprimebat offensi Dei ac per sanguinis effussionem placabilis; ast sanguinis non delinquentis proprii, sed cujusdam animalis, quod peccatori substituebatur, ut hic *expiaretur*, seu a merito anathemate liberaretur. Quam quidem institutionem cum recta ratio explicare nequeat (frustra enim hoc sæpe tentatum est), neque ex veritate qualibet bene vel male intellecta, nec ab errore communi, nec a quorumcumque hominum dolo, verbo: cum *nec ratio nec dementia eam invenire potuerit*, ut energice inquit De Maistre in admirabili sua adnotatione super sacrificiis; recte a Deo primum ordinatam fuisse concludimus, ut symbolum esset redemptionis humani generis per substitutionem sanguinis Christi, «qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum... cujus livore sanati esti.» (1 Pet. II, 24).

Offerebantur quidem fruges, libamina, aliaque incruenta sacrificia, sed hæc spectari non possunt nisi tamquam sacrificiorum, in

quibus *sanguis* fundebatur, extensio, ritus secundarius, imitatio veri sacrificii, ad sensus exprimendos gratitudinis, orationis, &c. Ecquidem ii sensus, et pro criminibus poenitentia, ac melioris vitæ propositum sacrificia mosaica omnia comitari debebant, ut jam libro 1 Reg. XIII, 13; XV, 22, ac passim apud prophetas legimus, ac noscimus proinde talem fuisse mentem legislatoris; sed quod præcipuum hic et in omnibus populis a remotissimis temporibus erat, expiatio peccati fuit ac Dei placatio, summi omnium Domini, sed humano generi ob peccatum ac maledictionem generalem incursam infensi (sæpissime namque offerebantur absque conscientia peccati personalis, ut omnis historia docet). Quare institutio universalis sacrificiorum præcipua dogmata nostræ religionis ita confirmat, ut sine illis explicatione careat. Sed conferantur hæc apud laudatum De Maistre, ad calcem operis: *Soirées de Saint Petersbourg*, quia nihil melius ac profundius unquam super iis scriptum fuisse censeo.

139. Distinguebantur apud hebræos sacrificia in propria et impropria seu incruenta (a). Propria seu cruenta erant aut *holocausta*, cum tota cremabatur victima, aut sacrificia *eucharistica*, aut victima *expiatoria* aut *propitiatoria*. In holocaustis aspergebatur sanguine altare holocaustorum, et super illud caro tota cremabatur, nisi extra castra aut muros esset cremanda, quod fiebat in sacrificiis pro delicto sacerdotis, totius populi, ac cum hirco diei solemnis expiationis, quorum sanguine etiam aspergebatur velum *Sanctissimi* et in die expiationis etiam propitiatorium (Lev. XVI, 14) ac liniebantur cornua altaris incensi. In hostiis eucharisticis seu pacificis aspergebatur sanguine altare holocaustorum, cremabanturque tantum partes adiposæ, cauda et renes (b). Victimæ expiatoriæ in holocaustum offerebantur, ideoque igni tradebantur. In sacrificiis propitiatoriis cremabatur *memoriale*, carnes vero edebant sacerdotes; sicut in hostiis eucharisticis edebant pectusculum et armum dextrum, reliqua vero ipsi offerentes. Sacrificia impropria, seu oblationes, aut partes erant cruenti sacrificii,

(a) Quæ nusquam appellantur in Bibliis nomine זבח sacrificium ex parte cremandum, nec עולה holocaustum, sed מנחה donum.

(b) Pars hostiæ vel oblationis quæ semper cremanda erat, appellabatur *ascarah*, אזכרה, id est, *memoriale*, quod nempe in fumum ac suavem odorem ascendens, Deo personam offerentem commendabat.

aut etiam sola offerri poterant. Nempe erat sacrificium sine oblatione, ut expiatorium et pro peccato, sacrificium cum oblatione ut reliqua holocausta et victimæ pacificæ seu eucharisticæ, ac denique oblatio sine sacrificio cruento in iis casibus: 1.° in oblatione pontificis die consecrationis suæ (Lev. VI, 20), 2.° in farina et oleo a sacerdote quotidie oblato (ib. v. 23), 3.° panes propositionis cum incenso, quod cremabatur (Lev. XXIV, 7), 4.° oblationes a fidelibus sponte oblatæ (Lev. II), 5.° panes primitiarum in die Pentecostes (ib. XXIII, 17...), 6.° oblatio sponsi de fidelitate conjugis suspicantis (Num. V, 15-26), 7.° oblatio leprosi pauperis mundati (Lev. V, 1...), 8.° incensum. In iis fere omnibus ut conditio præcipua postulatur oratio et mundum cor, quod multis significatur, rerum nempe oblatarum lotione et delectu, offerentis ac sacerdotis ritibus, vestibus, lotionibus, &c. Res offerendæ erant quæ prætiosissimæ ac mundissimæ habebantur; non quia ægyptii has colebant, sed quia Deo Opt. Max. erant offerendæ, nempe boves, oves, capreæ, turtures ac pulli columbarum ex animalibus, deinde thymiamata (a), res ex farina compositæ aut ipsa farina, spicæ tritici vel hordei, oleum olivarum et vinum. Quidquid facile corrumpitur, aut principium vel signum corruptionis est, exprese excluditur, ut fermentum ac mel. Impositio manuum supra caput victimæ, elevatio rerum offerendarum, (b) ordo manducationis, aliaque plura id quod diximus demostrant: in sacrificiis nempe non rem materialem, sed spiritualem fuisse a Deo intentam, omniaque symbolica et spiritualia fuisse, etsi vulgus populi non ita semper intellexerit. Accedit magnus ministrorum numerus, qui omnia ordinata, munda ac decentia servabat (c). (Ritus et ordo sacrificiorum traditur præcipue Lev. I-VII; XII; XIV-XVI; XXII-XXIII).

(a) Omnia ex regno vegetabili, excepto שְׁחֵלֶת, vulg. *onycha*, et est *testa conchylii* in lacubus indicis existens, suavi odore prædita.

(b) Qui ritus in signum crucis, sicut et sacerdotales beneditiones fiebat, hebr. נוף.

(c) Unde corruit repetita objectio Voltairii hæc omnia damnantis eo quod «no se veian en los templos mas que *tenazas, parrillas, asadores, cuchillos de cocina, largos tenedores de hierro, cucharas y cucharones, artesas para poner la grasa* y *todo cuanto puede inspirar disgusto y horror.*» Quæ imprimis non erant *in templo* sed extra, nem-

CAPUT XXXII.

Clerus: proventus clero et cultui destinati: præcipua festa, officia religionis hypothetica: officia hominis erga reliquos.

140. Universa hebræorum natio, ex dictis, erat veluti totius humani generis sacerdotalis coetus; in ipsa vero peculiariter divino cultui destinata fuit tribus Levi, in primogenitorum locum suffecta, qui et Deo speciatim consecrandi, redemptione liberabantur, et antea jure et officio sacerdotali gaudebant (conf. Num. III, 5-13). Ii cum aliis pie oblatis vel huic officio mancipatis, ut gabaonitæ (Jos. IX), qui tamen inferioribus ministeriis mancipabantur v. g. ad ligna in sylvis excidenda, aquam adsportandam &c., sub sacerdotibus tabernaculo et templo ministrabant distributis officiis in familias ac tempora, ut omnes ministrarent ac requiescerent resque suas in propriis civitatibus et domibus curare possent. Tempore vero Davidis omnia hæc officia et majori amplitudine et solemnitate ordinata sunt, atque ex 38.000 levitis destinati sunt ad ministerium sacerdotibus exhibendum 24.000, portis custodiendis 4.000, totidemque musicis instrumentis ac psalmis decantandis in varios choros distributi, denique 6.000 positi sunt in civitatibus regni tamquam judices ac genealogi. Tres levitarum familiæ principales Gerson, Caaht et Merari suis pricipibus erant subjectæ, sicut etiam probabiliter familiæ subalternæ in iis contentæ ac certe chori cantorum ac musicorum. Initiabantur levitæ ritu religioso antequam in templo servire inciperent (Num. VIII, 5-22. Comp. Act. XIII 2-3). Sacerdotes ex familia Aaronis delecti sunt per Eleazar et Ithamar; Nadab enim et Abiud, etiam Aaronis filii, igne consumpti sunt a Deo, eo quod ignem in ministerio altaris

pe in atrio; deinde non erant nude accipienda ex dictis, nec immunda confusione hæc videbantur, denique duritiem morum ac sacrificia humana non pepererunt, sicut in nostris coquinis non docent feminas coquinarias duritiem animi vel propriarum filiarum occisionem. Maistre, loc. cit.

holocaustorum adhibuerunt profanum, cum tamen ignis ille e coelo missus, qui in primo Aaronis sacrificio holocaustum consumpsit (conf. Lev. IX, 24; X, 1-2), perpetuo servari debuisset aliusque nusquam adhibendus. Initiati primum fuere ab ipso Moyse solemni ritu (Lev. VIII), qui fiebat holocaustis, benedictionibus et unctionibus capitis ac vestium, elevatione rerum cremandarum per manus initiati facta, unde descendit phrasis *implere manus*, significans: aliquem in sacerdotem consecrare (3 Reg. XIII, 33). Posteriori ætate ab aliis sacerdotibus initiatos fuisse videtur, etiamsi quandoque tantum id appareat. Summum sacerdotium ordine hæreditario stricto nonnisi post exilium obtentum fuit a filiis Ithamar; deinde pecunia divenditum ab Antiocho Epiphane, postea ab Asmonæis principatui civili conjunctum, ac denique ab Herode et romanis rursum divenditum ei qui plus offerebat, et a possessore ablatum et alteri traditum, unde omnia perturbata erant. Omnis sacerdotum turba ætate Davidis in viginti quatuor classes distributa est, quorum principes seu capita dicuntur sæpe in N. T. *principes sacerdotum*, quæque in unaquaque hebdomada sese excipiebant, ac sorte eligebatur qui incensum ponere, et sacrificium juge offerre debebat (Conf. Luc. I, 5-9). Utebantur in ministerio specialibus vestibus (v. n. 87-93), summusque sacerdos portabat in fronte laminam auream in qua scriptum erat; *sanctitas Jehovæ* vel *Sanctum Domino* (ita vulg. Ex. XXVIII, 36; hebr. קֹדֶשׁ לַיהוָה; conf. Ex. XXVIII-XXIX; Lev. VIII). Qui quidem ritus, vestes, officia imposita, abstinentiæ, lotiones, orationes, aliaque hujusmodi satis indicant sanctitatem, qua sacerdotes gaudere debebant, atque inter filios Israel ab ipsis curandam et propagandam una cum legis notitia et explicatione (conf. Malach. II. 7).

141. Universa tribus Levi divino cultui mancipata hæreditatem cum reliquis non recepit post expugnatam Palæstinam, sed tantum civitates 48 cum suburbanis suis juxta mandatum Domini *per manum Moysi*, ut ipsi locuti sunt, cum eas a Josue et principibus peterent (Jos. XXI coll. Num. XXXV, 2...); extendebanturque suburbana per mille passus in circuitu, ad alenda pecora et jumenta, atque inter civitates leviticas comprehendebantur sex civitates refugii. In levitarum sustentationem solvebantur *decimæ* omnium quæ reliquæ tribus singulis annis obtinebant de agris et pecori-

bus suis; ita tamen ut levitæ ex iis decimis decimam solvere sacerdotibus tenerentur. (a) Sacerdotes alebantur *decimis* quas levitæ persolvebant; *parte sacrificiorum ipsis destinata*, (b) *primitiis* omnium omnino rerum a filiis ad pecora et fruges, quæ quidem vel solvi debebant in specie, vel redimi poterant prætio a sacerdote taxando, quod pro primogenito hominis quinque siclos excedere non poterat, denique *oblationibus spontaneis* omnium filiorum Israel. Cultus autem publicus sustentabatur eleemosynis, et illo hemisiclo qui a quolibet israelita solvebatur (Mat. XVII, 23), sed tamen sufficientissimi erant ii proventus ut templum divitiis affluueret. Idem fere quod de decimis, et de primitiis dicere possumus; atque ex illis etiam duæ vel tres classes distinguuntur easdem destinationes habentes (Deut. XXVI, 1...; Num. XVIII, 16; Ex. XIII, 13; Deut. XV, 21. 22).

142. In omni religione positiva dies quidam speciatim divino cultui destinantur, quibus homines a mundanis et terrenis rebus assurgentes ad divinas et supernas, gratum animum Deo exhibeant, qui omnia tempora ipsis concedit, ad spirituales animæ necessitates attendant, principia religiosa ac moralia in memoriam revocent, solamen denique sibi et domesticis ac requiem a laboribus quærant, quod humana infirmitas postulat. Itaque populo hebraico hæc deesse non potuerunt, sed festi quidam dies observabantur partim ex more ante Moysem, partim a Moyse statuti ad memoriam, ut plurimum, beneficiorum insignium a Deo acceptorum, partim denique posterioribus temporibus consecrati. Præ-

(a) Num. XVIII, 20-30; Lev. XXVII, 32-33; Deut XIV, 22-29; Tob. I, 7. Quibus in locis tres decimarum species distinguuntur: 1.ª integra levitis solvenda erat, 2.ª in templum adsportanda, ubi post sacrum ritum epulabantur offerentes una cum levitis; 3.ª ex remanentibus separabatur singulo triennio, ut convivium instituereturlevitis, advenis, pupillis, viduis etc. in singulis civitatibus ac propriis offerentium domibus. Ceterum ex ipsis locis (conf. Deut. XII, 11; Gen. XIV, 20; XXVIII, 22; XLVII, 24, 26 ubi non decimam, sed quintam partem Pharaoni solutam legitur, Herod. I, 5. 77; Pausan. I, 10; Diod. XX, 14; etc.) satis constat decimas vulgatas et in usu communi fuisse antequam lex mosaica eas Deo ejusque ministris consecraret, nempe, regi, regiæ domui ac exercitui.

(b) Nempe pectusculum et armum dextrum, vel totum animal excepto *memoriale*, et pars oblationum incruentarum.

cipuum erat *sabbatum*, in memoriam creationis institutum, quo Deo vacandum erat et ab omni opere servili prorsus abstinendum. Hoc sabbati institutum in usu apud veteres hebræos fuisse videtur, eo quod in præscriptione mosaica tamquam de re nota agitur, tantumque *modus* præscribitur *sabbati sanctificandi*, (a) ide mque constat ex universali fere usu antiquorum populorum. Unde institutio primæ traditionis videtur, potius quam fortuita hominum inventio ex lunæ phasibus deducta.

Nam certum est etiam eos populos, qui periodum vel cyclum hebdomadarium in distributione temporum non habebant, illud etiam religioso ritu observasse, vel saltem septenario numero vim symbolicam et quidem religiosam tribuisse, quod pluribus ostendi posset. Ex confessione astronomi celeberrimi Arago opinio nunc probabilior ac communior tenet cyclum hedomadarium certo in usu fuisse apud *sinenses judæos*, *ægyptios*, *chaldæos* et *arabes;* non vero apud *persas*, *græcos*, *romanos*, *carthaginenses* etc; inter quos tamen symbolicum fuisse numerum septenarium notissimum est quoad persas ex libro Estheris, quoad græcos vero et romanos ex numero ac nominibus planetarum ab indis etiam derivatis (vel e contra), aliisque superstitiosis ritibus constat. (Conf. *Annal.* t. 59 et Varro apud A. Gelium l. 3 cap. 10). Accedit quosdam populos anno solari utentes, etiam hebdomadarium cyclum adhibuisse, etsi numerus dierum hujus anni per septem non sit divisibilis; quod accidit sinensibus, quorum monumenta historica et antiquissima et auctoritate præstantia sunt.

Juxta hunc sabbatum dierum hebræis præscriptum fuit *annus subbaticus*, quo terra non serenda erat nec spontanei fructus colligendi, sed pauperibus, peregrinis &c. relinquendi; quod ut a duro populo facilius obtineri posset, promisit Deus per Moysem extraordinariam abundantiam quolibet anno sexto (Conf. Lev. XXV speciatim vv. 20-21); unde sponte fluit sinceritas Moysis a Deo præceptum hoc et promissionem accipientis, nisi ipsum sensu communi destitutum dicas. In hoc anno præterea debita hebræorum originis exigi non poterant, bene vero peregrinorum aut alienorum (Deut. XV, 1...), emancipabantur juxta plures servi hebræi (ib. 12-18), legebatur lex populo in festo taberna-

(a) Sabbatum significat *requiem*, atque hoc nomine appellabatur, cum reliqui hebdomadæ dies ordine numerico designarentur (Ex. XX, 8...; XXXI, 13-17).

culorum (Deut. XXXI, 10-12). Denique *annus jubilæi* erat quilibet quinquagesimus, post septem nempe annos sabbaticos, quo dimittebantur omnia etiam mancipia hebraicæ originis, possessiones divenditæ ad primitivum possessorem revertebantur, ex singulari illa lege agraria, qua omnia Dei erant, judæi coloni hæreditarii, certis regulis ac restrictionibus subjecti; unde numquam familiæ permixtæ sunt omnino, nec proprietates cumulabantur sub paucis divitibus, multis familiis nihil possidentibus (Lev. XXV).

Hic præter scopum harum legum religiosum, attendere præstat ad antiquam vivendi rationem, qua nullus fere totus occupabatur singulari professione; sed omnes agris colendis et pecoribus dediti erant, ac simul ad ea omnia peragenda quibus agricultores vitam simplicem agentes indigent, domibus, vestitu, aratris, &c. Nonnulli censent servos hebræos non præcise anno sabbatico, sed anno septimo servitutis emancipari debuisse; quod mihi vero similius videtur ex Ex. XXI, 2; Deut. XV, 12; Jer. XXXIV, 14, et ex anno jubilæi, quando nempe ex lege nullus servus esse poterat, præcedenti namque anno emancipati omnes fuissent in opposita sententia, qui tamen emancipari jubentur. Item quoad debita censent communiter abolenda esse debuisse quolibet anno sabbatico, quod videtur probare nomen *anni remissionis*, sed ex Deut. XV, 9, non de abolitione, sed de mera suspensione agi videtur.

143. Primus dies mensis singulari festo colebatur sacris ritibus et conviviis (Num. X, 10; XXVIII, 11-15; 1 Reg. XX, 5; græce et in vulg. vocantur *neomeniæ* et *calendæ*). Primus dies mensis Tischri solemnior erat, et opera servilia interdicta: dicitur hoc *festum tubarum*, quia buccinarum clangore annuntiabatur populo. Celeberrima festa fuerunt: *Pascha* in memoriam libertatis ex Ægypto, dictum etiam *festum azimorum*, quia panis fermentatus servari non poterat, per octo dies celebrabatur, et *agnus* prandebatur assus eo ritu qui Ex. XII describitur; unde plurimæ in Bibliis allusiones ac figuratæ locutiones descendunt: *Pentecostes* seu *hebdomadarum*, in memoriam legis super Sinai latæ; offerebantur in eo primitiæ frugum, nempe manipuli hordeacei, panes ex novarum frugum farina ac varia sacrificia (Deut. XVI, 10; Num. XXVIII, 26; Lev. XXIII, 15-20; Ex. XXIII, 16): *Festum Tabernaculorum*, seu *Scenopegia*, in memoriam itineris per desertum, per octo dies celebrandum a 15 ad 23 mensis Tischri, quibus hebræi

sub tentoriis habitabant, etiam super tecta domorum pellibus et ramis arborum constructis; in iis diebus plura sacrificia offerebantur, et lætitia generalis populum occupabat (conf. Lev. XXIII, 34-44; Num. XXIX, 12..; Deut. XVI, 14-15); anno vero sabbatico lex populo publice erat legenda (Deut. XXXI, 10-13): Dies poenitentiæ, seu *festum expiationis*, singulari attentione dignus est, ob ea quæ de hirco emissario præscribuntur, qui omnibus populi peccatis symbolice onustus liber dimittebatur, altero in holocaustum extra castra cremato (Lev. XVI): præstantissimum symbolum passionis J. C. ac redemptionis nostræ (Hebr. XIII, 12): *Festum Phurim*, seu *sortium*, in memoriam liberationis hebræorum sub rege persarum degentium a furoribus Aman (Esth. IX); vocabatur etiam festum Mardochæi (2 Mach. XV, 37), ac per longum tempus celebratus fuit a judæis, postea abolitus: Festum denique *Encæniorum*, nempe dedicationis templi, a Salomone, Zorobabele, Herode et Juda Machabæo procedens, nam duo priores illud fundaverunt ac solemniter dedicaverunt, tertius restauravit ac fere de novo erexit, quartus mundavit post profanationem Antiochi Epiphanis: memoria hujus restitutionis per octo dies celebrabatur.

144. Hæc præcipua sunt circa cultum religiosum ab hebræis servata, exceptis aliis hypotheticis officiis quæ sponte suscipiebantur, suntque *juramenta* (conf. hermen. n.° 718), *vota*, ac præsertim votum *nazaræatus*. Nempe juramenta rebus religiosis accensebantur atque et sponte emitti et juridice exigi consueverant; quorum proinde profanatio graviter arguitur a prophetis, ac dein a Christo, cum sub casuisticis formulis pharisæi ea solverent. Vota et absoluta et conditionata in Scripturis sæpe veniunt, eorumque adimplendorum obligatio præscribitur, sive de re Domino dicanda ageretur, sive de abstinentia, sive de hostibus vel civitatibus diris vovendis (Gen. XXVIII, 20-22; Lev. XXVII, 1-25; Num. XXX, 2-17; comp. factum Jephte Jud. XI, 29-40, et conf. dicenda infra, n.° 284). Nazaræatus, vel potius naziræatus voto obstrictus, specialiter Deo consecratus erat, et ab omni potu inebriandi capaci abstinere debebat, ab omni vinearum fructu, a tonsione capillorum ac barbæ, a funeribus; nempe plura habebat cum sacerdote communia, qui etiam a vino aliisque similibus abstinebat

quando Deo erat ministraturus. Absolvebatur votum nazaræatus, si temporale esset, quod non raro contigebat (conf. Act. XXI, 23...), variis sacrificiis et capillorum tonsione (Num. VI; Act. XVIII, 18); suscipiebatur autem vel propria devotione, vel parentum voluntate, ut de Samsone et Samuele notum est. Simile quid servabat familia rechabitarum circa abstinentiam a vino ac simili potu; insuper absque domibus et habitationibus fixis degebant in tentoriis, curam gregum agentes, et separatim a reliquis hebræis vitæ asceticæ speciem adumbrabant (4 Reg. X, 15...; Jer. XXXV, 2...).

145. Officia denique hominis erga reliquos continentur præcipue in præceptis decalogi, juxta mandatum hoc exponendis (a) «diliges *amicum tuum* sicut te ipsum.» (b). Itaque non solum injuria vetatur circa vitam, corporis integritatem, libertatem (c), bona animi, fidem, famam, divitias reliquorum hominum; sed beneficentiæ opera passim commendantur et præcipiuntur, præsertim erga pauperes ac miserabiles, etiam alienigenas. Præcipitur sanctitas matrimonii ac thorus immaculatus, quo etiam tendebant nonnullæ observantiæ rituales, ut alibi attigimus; ipsa denique prava desideria prohibentur. Parentes jubentur honorari, honore nempe, et obedientia et subsidiis, ubi opus fuerit (conf. Ex. XX, 12; Lev. XX, 9; Deut. XXI, 18-21; Mat. XXV, 4-6), sacerdotes et magistratus honorari item et obediri, aliaque morum officia systema completum constituentia, cui nullum ex antiquis populis aut philosophis comparari potest, ac christiano tantum inferius; quod quidem legem de dilectione Dei et proximi ita declaravit, ut falsæ interpretationi vix subjecta sit, mediante præcepto *abnegationis*, et illius *charitatis* quæ *animam suam dat pro amicis suis* (Joa. XV, 13); quod cum Deus pro nobis fecerit, «*et nos debemus pro fratribus animas ponere.*» (1 Joa. III, 16).

(a) Lev. XIX, 18; pessime quidem a pharisæis intellectum, Mat. V, 43, sed conf. etiam ib XXII, 39.

(b) Hebr. *proximum tuum*, nempe quemlibet hominem; conf. Ex. XX, 16-17; XXII, 26; LXX πλησίον, *proximum:* v. n. 103.

(c) Hic tamen præ oculis habenda, quæ supra circa servitutem diximus.

CAPUT XXXIII.

Ulterior doctrinæ mosaicæ evolutio; nihil exoticum ei accessit ex aliis religionibus: neque ex philosophorum placitis: neque demum hebraicæ sectæ aut Philonis doctrina in Christi et Apostolorum prædicationem novi quidquam intulerunt, sed ab ea longe distant. Synagogarum mores et extensio judaismi ætate Christi.

146. Post Moysem universa ab eo promulgata religio majorem perfectionem accepit eo sensu, quod clarius in multis evoluta est ab auctoribus theopneustis, præsertim a prophetis, ita Deo paulatim cum hominibus agente, ut preparatio viarum Servatoris fieret libera ac meritoria hominum cooperatione, ac Dei ipsius providentia. Hinc ipsa populorum, ac hebraici præsertim historia politica et calamitates toleratæ, ipsa desperatio quæ præstantissimos philosophos occupavit veram doctrinam inveniendi, quæ salutem populis afferret, ut de Socrate et Platone notum est; optimam præparationem produxit, desiderium nempe a Deo obtinendi, quod alio modo obtineri non poterat; unde expectatio universalis manavit ac vehemens desiderium illius Servatoris qui a principio promissus fuerat, quique clarius in dies a prophetis fuit depictus.

147. Hæc tamen doctrinæ mosaicæ evolutio in perfectiorem statum, viris sanctis a Deo edoctis, ac naturali effectui longioris meditationis adscribi debet; minime vero exoticis doctrinis, sive philosophicis, sive religiosis; quod plurimi inter rationalistas præsertim contendunt, cum contrarium potius admittere deberent, ob longe antiquiorem existentiam doctrinæ in libris mosaicis contentæ, ac ejusdem per plurimas regiones propagationem. Quod ut magis pateat, ac simul falsa illorum opinio demonstretur, qui doctrinam Christi meram compilationem, aut evolutionem profanorum systematum fuisse docent, vel etiam a sectis et scholis hebræorum rabbinicis ortam; breviter omnia hæc pertractare cogimur,

quibus et finem Archæologiæ imponemus, et religionis mosaicæ statum ætate Chisti clarius exponere tentabimus.

148. Et hoc quidem de philosophia græca facillimum est concludere, si res absque præjudiciis consideretur; quæ nempe in hebræorum ideas religiosas nonnisi post Alexandri tempora influxum quoddam exercere valuit; scilicet, quando ideæ judæorum messianicæ (de quibus præcipue agitur; doctrina namque de Deo et spiritualitate animi, a principio eadem fuit, ut sæpe indicavimus) jam in illum sensum nationale et materialisticum converti coeperant, præsertim propter commercium cum græcis et oppressionem ex eis toleratam. Nempe quandiu Israel solus mansit, foedera cum reliquis populis, eorumque ritus et mores adamavit; quando vero hæc omnia in subjectione et captivitate intimius cognovit, per quamdam veluti reactionem suæ legi ac ritibus ita adhæsit, ut unum quid ipsi foret religio, libertas, patria, prosperitas ac ex omnibus gentibus suscipienda vindicta. Tum igitur dogmata gentium admisisse hebræos supponitur, cum magis ab illis abhorrebant; et quidem non intimius perspecta sectarum græcarum cum doctrina hebraica ac præsertim Christi, longissima distantia. Imprimis enim græcæ doctrinæ impotentes prorsus fuerunt, nec quidquam solidi in populo fundaverunt, ac solis philosophorum scholis continebantur. Deinde longe antequam ipsæ evolverentur, hebræorum præstantiores notiones in totam Asiam transmissæ fuerant, mediante præsertim captivitate assyria et babylonica, ac plurimis coloniis ab hebræis fundatis a sæculo 8.° et 7.° ante Christum, cum tamen Socrates sæculo 5.° vixerit. Id ipsum constat inspecta profundius græcarum sectarum natura et indole cum prædicatione Christi comparata, sive rem dogmaticam, sive moralem consideres. Id de epicuræorum secta (a), ac peripateticorum per se patet; stoicorum autem pantheismus ac fatalismus in ordine dogmatico, superbia et maximus egoismus in re morali (quod licet pauci fateantur, ex ipso Seneca ac præsertim Epicteto abunde constat), unde manavit prædicationis christianæ despectio, ita ut nullus fere stoicus philosophus eam amplexus fuerit;

(a) Quæ quidem plures adeptos habuit, quam reliquæ; quod ad ruborem humanæ rationis dictum sit, verum namque esse historia docet.

nihil commune cum doctrina Christi habuit maximumque impedimentum ejus propagationi fuit. Idem fere dicas de platonismo, non obstante indole ejus spiritualistica, quæ majorem affinitatem cum doctrina Christi præseferebat; propter infinitas propemodum discrepantias ac radicales contradictiones, inter doctrinam quæ hominis destinationem, perfectionem et felicitatem collocat in sterili *essentiarum contemplatione* (a), ac doctrinam quæ tota practica est et in humilitate fundata, ac *meritis Redemptoris* adscribit hominum salutem, quod præcipue pitagoræismo repugnat. Unum denique observo: platonismum et pitagoræismum præcipue in eo versari, quod notionibus religiosis ex antiqua traditione derivatis, systema quoddam addiderint propriæ inventionis, seu, quod notas ideas ac in populo vulgatas aliquo modo explicare et tueri laboraverint (conf. *Phedonis* dialogum ut præstantissimum exemplum); unde nihil mirum si in ipsis, perinde ac in antiquis poëtis, non pauca occurrant doctrinæ mosaicæ ac christianæ similia. Atque ob id irridentur ab Aristotele sub nomine *theologorum philosophis* contraposito. Deinde philosophia græca systematibus orientalibus mixta in schola alexandrina, aut totis viribus christianismum persecuta est, aut innumeris *gnosticorum* sectis foedare tentavit; quod quidem obtinuisset, nisi Apostoli, Dei legati ac ministri, sæpissime fideles et episcopos munierint contra *philosophiam et inanem fallaciam* (Colos. II, 8; conf. etiam ib. II, 3-4; 1 Cor. VIII, 1; 1 Tim. I, 4; IV, 7; 2 Tim. II, 23; Prov. II, 6; Sap. XIII, 1; ubi *scientia Dei* nihil aliud est quam doctrina biblica). Factum hoc præ oculis semper habendum est, quando christianæ religionis doctrina et propagatio per evolutionem naturalem rerum tunc existentium explicari solet, nempe: a civili auctoritate et a philosophia præcipue persecutam fuisse, quippe quæ et statum socialem, prout tunc erat constitutus, et opiniones philosophorum receptas destruere ac prorsus innovare venit; unde antiquæ Patrum apologiæ fere omnes nihil aliud faciunt quam *Sapientiam* gentium cum *Sapientia* Christi comparare, ac philosophiam energice damnare. Utique

(a) Conf. *Epinomis*, qui si non Platonis est, nihil nostra refert: certe platonicus est, et ex eo Leroux argumenta petit pro origine doctrinæ Trinitatis: ibi etiam polytheismus et astrolatria docetur.

ex populorum revolutionibus ac philosophorum pugnis, ex diversæ originis hominum confusione et generali miseria in rebus præsertim religiosis et socialibus, aliquantum aperta fuit via christianismo; sed hoc nihil aliud evincit quam supereminentem ejus originem et virtutem, cum id fecerit quod nullum systema facere valuit, et omnia composuerit quæ hominibus incompossibilia erant; voluit nempe Deus eum fundare tempore et modo, quo vera antithesis esset omnium tunc exstantium; et eligere *humilia, et contemptibilia, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret;* et cum *judæi signa peterent et græci sapientiam quærerent, Apostoli nil aliud prædicabant nisi Christum, et hunc crucifixum* (1 Cor. I, 28; et ib. I, 23). Si quis in prædicatione christiana systema philosophicum græcorum primo vidisset, statim ab errore liber manere debuit, cum edoctus fuisset illam *unitatem Dei vivi ac personalis, creatoris omnium, in res hominum immediate agentis, in tribus personis existentis, vere distinctis et ejusdem simplicissimæ ac inseparabilis naturæ*, non per metaphoras aut abstractiones conceptis, *ideam concretam peccati ac redemptionis*, aliaque id genus plurima, quæ *judæis erant scandalum, græcis autem stultitia.* Hæ quæstiones *ex facto* dilucidandæ sunt, non præconceptis hypothesibus, utut ingenio præstantibus; ac plus Paulo fidendum, qui statum judaismi et hellenismi certe optime noverat, quam hodiernis rationalistis, qui diversum statum fingunt, easque consecutiones ex antiquis doctrinis deducunt, quas ipsi profitentes et adepti non deducebant.

149. Idem fere de spiritu judaico tunc dominante dicendum est, nempe ætate Chisti. Religio hebraica basis quidem fuit doctrinæ christianæ, illiusque præparatio et typus; sed plura addidit Christus aut omnino nova, aut melius explicata, et omnia *novo spiritu* animavit a *spiritu judaico* longe diverso, imo contrario. Hic judaicus illius temporis spiritus paulatim ortus fuit et ex pluribus causis, sed præcipue a captivitate babylonica, ac subsequenti subjectione perpetua persis primum, deinde syris seleucidis, ac demum romanis, ex qua totius populi animum unus tantum sensus occupabat: odium erga gentes ac spiritus vindictæ. Tunc coepit Israel propriam legem diligere, ac sub regimine theocratico plenius constitutus est post reditum e captivitate; ast non post multum temporis, defunctis præsertim sanctis

illis viris, qui restaurationem procurarunt, ac deficientibus prophetis, æstimatio illa legis in speciem idololatriæ conversa est, qua etiam nudæ litteræ adhærebant, oblito paulatim spiritu; unde, fundatis synagogis, et in Palæstina propter defectum vivæ prophetarum vocis, et in coloniis, ubi ritus sacri maxima ex parte adimpleri nequibant; scribæ seu rabbini ac legis doctores supremam auctoritatem nacti sunt maximaque vanitate infatuati, quod ex Thalmude colligitur, quatenus in eo vere status animorum et opinionum illius ætatis depingitur. Ecquidem majori observantia *formam* legis prosecuti sunt, neque jam idololatriæ atque abominandis criminibus locum dederunt; sed legis formalistica observatione nimis contenti, spiritum illum humilitatis ac compunctionis perdiderunt, qui sub terribili prophetarum voce, parentes coëgerat toties pectus percutere, gemitus et lacrimas cordis fundere, et veniam et auxilium plena ingenuitate ac sincero corde a Deo petere. Ceterum hæc omnia, quæ pharisæis præsertim conveniunt, non ab influxu doctrinali externo prodierunt, sed ex eventibus ac indole hebræorum sponte nata sunt.

150. Sane articuli omnes doctrinales, qui influxui persico tribui solent, multo anteriores inter hebræos fuerunt; præsertim cum in Persia sint valde probabiliter Cyro posteriores, quod non plane liquet: id sane de Theopompo certum est, cujus fragmentis nititur Mr. Nicolas (de Montauban), de Messia (persis Soschioch), de Angelis, de resurrectione &c.; et liber eorum sacer *Bundehesch*, certe demonstrat antiquum mazdæismum mutationes in sensu judaico et christiano passum fuisse. Si igitur excipias pauca nova symbola, nonnullas descriptiones e propria chaldæorum vel persarum civilizatione desumptas, quædam fortasse Angelorum nomina; nihil aliud ab illis acceperunt prophetæ posteriores, nec spiritum aut doctrinam mosaicam in minimis immutaverunt. Resurrectio semper habita fuit veluti secundæ vitæ complementum; et, si hebræis expresse revelata non fuisset, facile eam deduxissent e vita Enochi et Eliæ (qui vulgo ut adhuc viventes semper habiti sunt), ex mortuis non semel suscitatis, ex Job (XIX, 25, si tamen de resurrectione intellectus fuit: conf. infra dicenda num. 335); ac vix concipitur rudem hebræorum mentem aliter intelligere potuisse dogma immortalitatis animæ, apud ipsos vul-

gare; quod aliunde demonstratur ex argumentatione Christi adversus saducæos, qui negantes *resurrectionem corporum*, argumentum audierunt pro *immortalitate animæ*, utraque enim apud hebræos identica fere erant (Math. XXII, 31-33), quo quidem argumento *silentium imposuit Chistus saducæis* (ib. v. 34).

151. Ex civitatis hebraicæ miserabili statu post tempora præsertim Alexandri, triplex fuit spirituum directio inter hebræos: alii enim, cum mala vitare non possent, *beatam vitam* in hoc mundo, quantum assequibilis erat curarunt, ut saducæi; alii de omnibus desperantes, et externæ theosophiæ influxum subeuntes, populum fugerunt et legem, ac in deserta se receperunt, ut essenii; alii denique, populi sensus religiosos et patrioticos participantes, immo usque ad fanatismum exaggerantes, illam hominum classem constituerunt, qui verum judaismi statum repræsentabat, et a populo summopere existimati, omnia vere dirigebant, etiam si suprema potestas civilis et sacerdotalis eos fugeret: tales erant pharisæi (nempe sancti, separati, perfecti). Josephus comparat saducæos epicuræis, pharisæos stoicis, et essenios pitagoricis; sed multæ sunt inter eos discrepantiæ; ac pictura, quæ a Josepho et Philone fit, præsertim de esseniis, eorumque similibus *therapeutis*, in Ægypto degentibus, non pauca ab imaginatione pictorum habet; quod etiam christianos scriptores aliquando fefellit, qui aut christianos jam, aut hebræos sanctissimos et perfectionem christianam adumbrantes eos habuerunt.

152. Ceterum saducæi a R. Tsadoc oriundi, discipulo Antigoni de Soccho, (a) Deum quidem admittebant, nullam autem providentiam, immortalitatem animorum ac resurrectionem inficiabantur et traditiones pharisaicas; licet illis in specie se accommodare cogerentur, quando imperio, summo sacerdotio aliisque publicis muneribus fungebantur, quod communiter fiebat: tales fuerunt summi sacerdotes et principes, qui Jesum et Apostolos persecuti sunt. Sub respectu religioso fere increduli et epicuræi, sub politico contenti erant extranea dominatione; et laxo egoismo sub-

(a) Qui tamen dicebat ex *Pirke Aboth:* «ne sis tamquam famulus, qui domino servit pro mercede, sed sicut illi qui absque mercedis spe deserviunt, et timor coeli sit super te.»

diti, et magistri apotegma sequentes: «*majorem partem sequere*», nempe, «*victori cede*», odibili Herodum familiæ sese accommodaruut, nullam existimationem a Christo obtinuerunt, nec aliam *generositatem* et *apertum animum* ostenderunt, quam quæ ab illis ostendi solet, qui ceteros tantum prout sibi utiles considerant.

153. Essenismum e theosophia orientali, sicut et pitagoræismus, ortum fuisse (quamvis quis eum fundáverit, et quos libros perlegerit ignoremus) constat: ex ejus ritibus pitagoræis; oblivione religionis nationalis, cum templum, sacerdotium et sacrificia desseruissent; ex trium graduum initiatione; abolitione absoluta totius inæqualitatis; ineptitudine, cui se subjecerunt, ad mundi reformationem, contra spiritum religionis Christi, cum desertum non considerarent veluti præparationem ab bellum, sed tamquam refugium ad illud vitandum; ex communitate bonorum tamquam regula perpetua, non ut signum fervoris neophytorum, qui omnia pro apostolatu derelinquunt; ex damnatione absoluta matrimonii ac repetitis purificationibus, quasi e pravæ materiæ contactu nascerentur animæ immunditiæ; ex adoratione solis, forte tamquam divinitatis symboli; ex rejectione omnium librorum post Pentateuchum; denique ex cura propriæ salutis contemplatione et purificationibus obtinendæ, oblitó aut rejecto redemptionis dogmate per Messiam. Hinc nulla eorum in N. T. mentio fit; et dum Hierosolymis sors humanitatis jactabatur, essenii in deserto occidentali maris mortui somniis solitariis indulgebant.

154 Pharisæi, hæredes directi illius judaismi dominantis et fervore pleni tempore Nehemiæ ac priorum Machabæorum, dogmata quidem omnia saltem præcipua legis servabant, quibus tamen populares nonnullas superstitiones videntur addidisse; sed antiquo fervori calculum substituebant, veræ pietati devotionem theatralem. Sanctitas erat illis medium crescendi, hypocrisi et ostentatione foedata: non erat in anima, dum in vestimentis, phylacteriis, fimbriis, orationibus publice factis et eleemosynis, jejunio duplici in hebdomada, lotione manuum, calicum ac paropdum, excollatione culicum, dum camelum glutiebant (quod Christus eis objecit), decimatione menthæ, anethi et cymini, ornatu sepulchrorum prophetarum, aliisque similibus

voluntarie ostendebatur. Nonnulli quidem pharisaismo bona fide nomen dederunt, quod de populo etiam intelligi debet, nisi in odio erga omnes exteras nationes et in spiritu vindictæ sub duce Messia pessime concepto obtinendæ, in quo pharisæi optime nationis desideria participabant; sed generatim considerata eorum secta, nihil aliud quam litteram legis sapiebat, formam externam, ceremonias; religionem cum utilitate propria confundebant, hancque illa mediante quærebant, quæ pessima profanationum est. En nonnulla eorum apotegmata: «vallo legem circumda (nempe infinitis additionibus et ceremoniis, quæ legis transgresionem magis impedirent) et discipulos multos fac»; «Traditio frænum legis est»; «tres sunt coronæ: legis, pontificis ac regis; illa vero doctoris superior est corona regis»; «Thalmud duplo quam Thorah legi debet»; «accipe magistrum ut ducem, ne in dubitationem incidas: qui uniusdoctrinæ puncti obliviscitur, in ruinam currit»; «quilibet israelita plus coram Deo valet, quam populi omnes præteriti et futuri»; Moysem fere divinizabant; «Lex, israelitis creata, manebit in sæculum sæculi: nullus propheta jus habet eam in minimis immuntandi». Quæ quam aliena sint ab adoratione *in spiritu et veritate*, et voluntate salvandi omnes gentes, et spiritu illius qui *non venit vocare justos sed peccatores*, quis que videt. Doctrina eorum moralis ex dictis partim jam constat, circa abjectum præsertim finem, quem in bonis actibus intendebant, mercedem scilicet temporalem ad quam jus sibi blandiebantur quasi pacto cum Deo inito, qui propter illud et propter foedus quod olim cum Abrahamo pepigerat, obligatus erga judæos maneret (Mat. III, 9). Hac de causa nimis extollebant valorem ritus externi, contra spiritum legis; ridicule urgebant observantiam sabbati; casuisticam fundaverant putidam, cujus nonnulla exempla ocurrunt Mat. XXIII, 16-22; fidem mere speculativam curabant, cujus præcipuum meritum erat nihil oblivisci, scilicet aridam ortodoxiam et mortuum formalismum. Si quæ sunt pharisæorum præstantiores sententiæ, præcipue Hillelis; hoc nihil mutat generalem sectæ characterem, *præsertim cum nulla earum sit, quæ expressa aut implicita in libris V. T. non inveniatur*. Unde constat ea quæ pharisæi communiter et legis doctores docebant, ortodoxa ut plurimum fuisse et legem materialiter non violas-

se; spiritum vero legis fuisse oblitos, ac pessimos animi sensus aluisse, et vitam practicam superbia præsertim et hypocrisi nimium foedasse (Mat. XXIII, 2...). Certe si quis distantiam velit dimetiri inter spiritum pharisaismi et spiritum et doctrinam christianam intercedentem, legat attente in capite 23 Matthæi objurgationes Christi, quæ pharisaismum in perpetum opprobrium damnarunt, comparet Thalmudi Evangelium, denique ad crucem attendat, quæ utramque doctrinam et spiritum separat. Hæc omnia docent Christum nonnisi apertam oppositionem in judaismo sui temporis invenire debuisse (etsi non pauci essent homines vere pii ac bonæ voluntatis, Luc. II, 14); eo præsertim influxu quem, ut diximus, pharisæi et scribæ, seu legis doctores et rabbini maximum sane exercebant: qui quidem, id est, scholam frequentantes, si nunc despectui habentur et *pædagogi* audiunt, ut quidam adversarius ait, certe ætate Christi non ita erat; unde ejus character laicus et popularis, stylusque simplex et defectus educationis rabbinicæ, non parum lædere debuerunt illius ætatis habitus et præjudicia (Joan. VII, 15), quin ipsi adjumento forent.

155. Restat ut pauca de Philone loquamur, *fratre Christi natu majori*, ut quidam dicit, et ex quo non pauca Christum, vel saltem primos christianos derivasse plurimi contendunt. Alexandrinus judaismus ab extraneis minus oppressus, influxum eorum adjunctorum, quæ palæstinensi spiritum et characterem depictum tribuerunt, multo minus subiit; sed aliunde majorem transformationem a syncretismo alexandrino, tunc dominante. Ecquidem ante tempora Christi observari potest major tendentia ad studium legis theoricum ac metaphysicum in libro præsertim Sapientiæ; sed nihil hic est, quod legi contradicat et ulteriori ejus propheticæ evolutioni et sinceræ traditioni: contrariæ accusationes platonismi exaggerationes protestantium sunt (a). Ast in Philone absolutum platonismum invenimus verbis et formulis ac symbolis e libris judæorum desumptis expressum. Deus est illi ens abstractum, super *unum*, *verum* et *bonum* elevatum (*Vit. contempl.* I; *Leg. Alex.* II, 1), ipse mundum nec libere creavit, nec a productione cessare potest

(a) Facile id advertes si conferas loca præcipue objecta, nempe Sap. VIII, 6, 20; III, 13; IX, 15; VII, 27-30.

(Leg. Alex. I, 3), materia ab eo non provenit, cum sit æterna, et a Deo ordinata *mediantibus Angelis, et ipse contactum illius refugiat*; ii vero Angeli personificatio sunt *idearum*, quarum complexus *Verbum* est *(De Sacr.* XIII; *de mund. opific.* VI) (a). Locus divinus plenus est verbis incorporalibus (b); unde cum hæc verba angeli sint, personificationes idearum, nullum est verbum personale, nihilque hic commune invenitur cum doctrina Joannis. Malum a voluntate non procedit, juxta Philonem, sed intrinsecum materiæ est, ac proinde creaturæ quatenus illam participat; quare homo non a Deo immediate creatus est, sed ab ejus *Potentia*, alia nempe Dei emanatione *(de præm. et poen.)*; bonum denique homo sibi curare debet mediante lucta cum materia, per continuam contemplationem &c., nempe omnia hic orientalia et neoplatonica sunt. Quod ut obtineat, legem interpretatur ut immensum fere mythum, numquam metaphysicam relinquit; ipsas sacerdotales vestes ut typum creationis imterpretatur, sicut totam hebræorum historiam; omnia torturæ subjicit, omnia torquet, etiam nomina, numeros, litteras. Philo itaque moralem inficiari cogitur; evangelium totum est in reformatione morali hominum: ille redemptionem nec vult nec potest admittere; hoc absque idea redemptionis nihil est: ille negat Deum materiæ quolibet modo adhærere posse; hoc incipit... «et *Verbum caro factum est*»: juxta illum verbum est generalizatio quædam idearum; juxta hoc «*Verbum erat apud Deum, et erat Deus*»; ex doctrina Philonis oriri potuissent *therapeutæ* (vix in minimis ab *esseniis* seu *esseis* distincti); ex evangelio orti sunt illi christiani, per quos Spiritus Sanctus renovavit faciem terræ.

156. Intra Palæstinam ergo dominium in religione exercebat angusta mens, litera spiritui præposita, odium erga reliquas nationes, idea Messiæ, tamquam viri bellatoris qui omnes populos judæo subjiceret, ac tributa et dona ipsi et templo offerre cogeret, unde israelitæ divitiis afluere pos-

(a) Οὐδὲν ἄν ἕτερον τὸν νοητὸν εἶναι κόσμον ἢ θεοῦ λόγον κοσμοποιοῦντος; nihil aliud esse mundum intellectuale quam Dei Verbum creatorem mundi.

(b) Πλήρης ἀσωμάτων ἐστὶ λόγων, de somniis I, 2.

sent (a). Extra Palæstinam influxum platonismi accepit e schola præsertim alexandrina, unde tota illa gnosticorum aliorumque hæreticorum caterva qui primis Ecclesiæ sæculis floruerunt, prodiit. Fuerunt nonnulli qui moderatum patriotismum laudantes, accommodationem cum romanis quærebant, ut Josephus, rebus tamen religionis minus attendentes; fuerunt alii qui suum *messiam* et libertatem populi in Herodum familia forte videre sibi visi sunt, et *herodiani et zelotes* in evangeliis dicuntur (probabilia hæc sunt, non certa), ex quibus fuit Judas ille gaulonita, de quo Act. V, 37, aliique plures similia tentaverunt, usque ad celeberrimum Barcoqueba; omnes tamen Christi inimici fuerunt et communi consilio eum perdere nisi sunt (Mat. XXII, 15...). Hæc omnia explicant satis quare judæorum primores, ut plurimum, natioque judaica, ut talis, Jesum non agnovit: præjudicia ac suprema vi pollentes passiones id impedire valuerunt.

157. Ceterum lex explicabatur, nonnullæque cæremoniæ religiosæ locum habebant in synagogis, locis nempe ad id destinatis, ubi post legis et prophetarum lectionem aliqua fiebat expositio vel pia hortatio, vel a præside, vel ab alio facultatem habente, quod munus fratribus peregrinis ex obsequio offerri consueverat; quæ omnia Apostolis adjumento fuere, suo præsertim systemate considerato, prædicandi primum judæis, deinde etiam ethnicis, ubicumque judæi degebant. Hæ *synagogarum* consuetudines normæ fuerunt primis christianorum *ecclesiis*, quarum forma, et abusus brevi dilapsi, videri possunt 1 Cor. XI-XIV. Ob harum synagogarum et pharisæorum præsertim proselytismum, non pauci hebraicam religionem amplexi erant inter græcos et romanos: unde erant *judæi originis* et lingua aramaica loquentes, *hellenistæ*, qui in coloniis degentes græce loquebantur, ac demum *proselyti*, qui in duas etiam classes distinguebantur pro eorum culturæ religiosæ ac fidei gradu.

158. Propagati vero fuerant a captivitate assyria et

(a) Ita depinguntur judæorum sensus et aspirationes in tertio carminum sibillinorum libro judaico, in libro Enoch, Psalterio Salomonis, aliisque apocryphis, in Thalmude, et ubicumque Spiriritus judaicus illius ætatis depictus est.

deinceps per Mediam et Persiam, Indiam et imperium sinense; religionem mosaicam acceperant idumæi, ituræi et moabitæ; seculo ante C. secundo eam profitebatur rex meridionalis Arabiæ; Ægyptus, Asia minor, insulæ mediterranei, Africa, Europa, plenæ judæis erant commercium exercentibus, præsertim in præcipuis civitatibus, ita ut a Brotier supra quatuor milliones hebræorum extra Palæstinam tunc degentium admittantur. Ita nempe divina Providentia res disposuerat, ut gentes paratæ essent felici nuntio recipiendo, atque hospitia et prædicationis loca invenirent Apostoli illius qui in terris commoratus est, et *pertransiit benefaciendo* (Act. X, 38).

SECTIO II.

DE CANONE, TEXTU ET VERSIONIBUS S. S.

CAPUT I.

Notio canonis: liber canonicus et divinus: unde id constabat in V. et N. Lege: libri proto et deuterocanonici: alia divisio: doctrina Ecclesiæ. Libri apocryphi.

169. Canon (κανών) primis Ecclesiæ sæculis dicebatur catalogus librorum, qui *tamquam divinitus conscripti* in publicis christianorum conventibus legebantur. More enim judæorum qui in synagogis quamdam Scripturæ partem per singula sabbata legebant *(parascha)*, primi christiani primum psalmis, prophetiis, cæterisque Scripturis in suis conventibus utebantur; deinde etiam, imo præcipue, libris ab Apostolis conscriptis vel approbatis, ad cultum, ædificationem et instructionem usi sunt. Horum autem librorum catalogus seu index dicebatur *canon*, quia *regula* erat christianis ad discernendos sacros libros ab aliis qui, quamvis ob sanam et piam doctrinam in ecclesiis legerentur, non ut inspirati divinitus judicio Ecclesiæ fuerant declarati, vel etiam ab illis qui legi vetabantur, ut spurii vel hæretici. Cum vero libri in *canone* inclusi etiam *norma* seu *regula* fidei et morum *authentica* essent; deprehenditur varius vocis *canon* sensus ab auctoribus adhibitus ejusque sensus ratio; tum eo quod liber aliquis esset in *indice* librorum, qui inter sacram liturgiam legi deberent; tum inter eos qu

legi quidem possent, sed non ut divinitus conscripti vel saltem non ut tales declarati; tum demum eo quod liber aliquis *fidem faceret* ac esset propterea credendorum et agendorum regula. Hæc probe tenenda ne confusio dicendis obveniat; certum siquidem est non prorsus idem significare in re nostra vocem *canonicum* vel *divinum*.

170. Cum enim, juxta Synagogæ et Ecclesiæ fidem, libri multi afflatu Dei fuissent conscripti, prout jam fatentur ipsi rationalistæ tali revelationi vel inspirationi non credentes, cumque inspiratio jure crederetur *factum intimum* auctori theopneusto et *supernaturale*, quod probari debebat exterius, ut scopum suum attingeret; factum est, ut libri non pauci crederentur divinitus inspirati, quin id *authentice* constaret, ante declarationem legitimam.

171. Hæc vero declaratio in V. T. ab homine divinam missionem habente, veris miraculis aut prophetiis agnitam fiebat, vel a synagoga sacerdotum, quæ rem examini mandare et judicium authenticum ferre poterat; in N. vero Foedere ab Ecclesia docente. Prius itaque quam hoc judicium ferretur, nullus audebat librum quemlibet ut *canonicum* laudare, ne sibi jus alienum arrogaret. Ita plura conciliorum et Patrum loca optime comprehenduntur et conciliantur quæ prima fronte videntur difficilia, ut postea explicabitur.

172. Ex hac distinctione manat distributio librorum totius Scripturæ in *protocanonicos* et *deuterocanonicos*. Primi sunt illi quibus in V. T. judicium authenticum prædictum suffragavit; in N. T. illi, quorum genuinitas et divina inspiratio ita mature constavit, ut a nullo hominum in Ecclesia in dubium vocaretur; alteri vero illi quibus dictæ conditiones defuerunt. Ab Eusebio vocari solent protocanonici ὁμολογούμενα, *ab omnibus admissi*, deuterocanonici vero ἀντιλεγόμενα, *controversi* (a). Libri protocanonici sunt omnes utriusque testamenti præter eos vel eorum partes, qui deuterocanonici sunt, et a nobis in omnium enumeratione obelo notabuntur. Distribui etiam solent libri sacri in legales, historicos, sapientales et propheticos; nunc autem communius et melius in historicos, poëticos et propheticos: aut

(a) Qui ab eo iterum distribuuntur in sic dictos *controversos*, quorum origo apostolica valde ipsi probabilis videtur, et νόθους, *spurios*, qui suo judicio improbabiliter prorsus Apostolis tribuuntur.

in historicos, didacticos et propheticos, quod N. T. libris melius quadrat.

173. Doctrina catholica circa numerum naturamque librorum, queis *divina Scriptura* constat, hoc continetur concilii tridentini canone (Sess. IV): «Sunt vero infra scripti, Testamenti Veteris, quinque Moysis, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Exdræ primus et secundus qui dicitur Nehemias, (Tobias, Judith), Esther, Job, Psalterium davidicum centum et quinquaginta Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, (Sapientia, Ecclesiasticus), Isaias, Jeremias cum (Baruch), Ezechiel, Daniel, duodecim prophetæ minores, id est, Oseas, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, (duo Machabæorum, primus et secundus). Testamenti Novi, quatuor Evangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam et Joannem, Actus Apostolorum a Luca evangelista conscripti: quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, (ad Hebræos); Petri Apostoli duæ, Joannis Apostoli tres, (Jacobi Apostoli una, Judæ Apostoli una) et (Apocalypsis Joannis Apostoli). Si quis autem libros ipsos *integros cum omnibus suis partibus*, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et *in veteri Vulgata editione* habentur, pro *sacris et canonicis non susceperit*.... anathema sit.»

Præter libros obelo inclusos sunt etiam inter deuterocanonicos adnumerandi secunda epistola Petri, secunda et tertia Joannis; insuper ex libro Estheris cap. X, 4-XVI, 24; ex Daniele cap. III, 24-90; XIII, et XVI; ex Marco XVI, 9-20; ex Luca XXII, 43-44; ex Joanne VIII, 2-12. Nunc etiam nonnulla alia fragmenta controvertuntur, alibi pertractanda. Sunt itaque deuterocanonici V. T. septem libri et quatuor fragmenta; N. T. item septem cum tribus fragmentis, ad quæ alludit Concilium trident. verbis illis: *integros cum omnibus suis partibus.*

174. Præter canonicos libros etiam alii sunt de quibus nonnulla explicare oportet, ut omni perspicuitate in re tam gravi procedamus. Plures nempe ab auctoribus non divinitus afflatis conscripti, in censum et auctoritatem Sacrorum Bibliorum, vel ignoranter vel mala fide, a privatis homini-

bus recepti sunt, quos communi vocabulo *apocryphos* dicimus, sed non semper huic voci idem sensus adjunctus est; cum enim proprie significet *quod occultum est*, aliquoties apocryphi dicti fuerunt libri deuterocanonici, quorum divina auctoritas, ut diximus, αὐθεντικῶς nondum constabat. Proprius *apocryphi* nominari merentur, qui ab auctoribus non theopneustis scribebantur proprio nomine, vel denominatione ad fallendum non supposita v. g. *Pastor* Hermæ, *evangelium infantiæ*, *liber tertius Machabæorum; pseudoepigraphi* vero, qui aut pia fraude aut impio sectariorum ausu alicui ex Apostolis vel apostolicis viris tribuebantur, ad fidem melius inter fideles obtinendam, v. g. *evangelium Petri*, *Matthiæ*, *revelatio Pauli* &c. Alii dicunt pseudoepigraphos eos omnes qui piam et ortodoxam doctrinam continent, non sunt tamen in canone ex defectu inspirationis; apocryphos vero eos qui a judæis vel hæreticis conscripti, erroribus aut impietatibus scatent. Has duas librorum classes, qui ut divini apparuerunt nec sunt, *spurios*, *apocryphos* apellabimus, communi jam voce utentes; qui vero in canone catholicorum inveniuntur, simpliciter *canonicos* dicemus, admissa tantum distinctione inter protocanonicos et deuterocanonicos pro necessitate discussionis.

Sed cum ejusmodi vocabulis diversimode et Patres et scriptores hodierni, præsertim protestantes et rationalistæ utantur; nemo jam ob vocabula falli debet, non cognito prius auctoris sensu. Nunc autem nostrum est doctrinam concilii tridentini circa librorum sacrorum canonem seu catalogum tueri; non eo quidem modo quo theologi dogmatici id præstant, quibus competit systema catholicum enucleare et defendere, secundum quod solius Ecclesiæ est canonem Scripturarum *authentice* proponere: sed hoc a nobis jam supposito, ea monumenta perlustrabimus, quibus hæc *res facti* dilucidanda est et ab omnibus dilucidatur scientifice; seu id tantum investigare pergimus quid nempe scientia historico-critica concludat circa numerum librorum quibus Biblia christianorum constare debent.

CAPUT II.

Historia canonis hebræorum: num ipsi ut divinos admiserint libros deuterocanonicos V. T: doctrina Christi et Apostolorum hac de re.

175. Hebræi jam a temporibus Moysis suum canonem habuerunt sacrorum librorum, Pentateuchi nempe, juxta arcam Domini repositi. Quod si solum Deuteronomium ibi jussum fuisse collocari existimes, hoc jam satis est, cum liber iste cum præcedentibus sit intime connexus, nec sine illis intelligi possit (conf. num. 243); unde recte eruitur quinque libros Moysis omni dein tempore in censum et auctoritatem sacrorum librorum ab hebræis habitos fuisse; quod deinde confirmatur sexcentis allusionibus ad *legem* seu *thorah*, quo nomine Pentateuchum designant, in posterioribus libris occurrentibus. Qui deinde ad tempora esdrina conscripti sunt libri sacri, in uno cum *thorah* volumine transcriptos fuisse non constat, immo improbabile est; alioquin Samaritani non unum Pentateuchum habuissent, sed cæteros etiam libros, qui saltem schismatis ætate jam editi erant, et frequentiori usui apti, v. g. psalmi a Davide compositi. Id tamen minime demonstrat hos libros non ut divinitus conscriptos ab hebræis agnitos fuisse; ad hoc enim apta erat auctoritas prophetarum, qui eos ediderant vel probaverant saltem; et est prorsus incredibile hos libros publici juris factos non fuisse, aut, ubi editi sunt, a sacerdotibus non summa diligentia custoditos; præsertim cum in hujusmodi libris hebraica theocratia non parvum munimentum inveniret, et non spernenda indicia supersint hoc comprobantia (Jos. XXIV, 26; 1 Reg. X, 25; 4 Reg. XXII, 8; Dan. IX, 2). Accedit solemne fuisse omnibus antiquis populis, libros symbolicos, nationales historias, sacra carmina in templis custodire, ut pote quæ a sacerdotibus plerumque conscribebantur; unde idem usus apud hebræos fuisse verosimillimum fieret, etiam si aliunde non constaret.

176. In templo igitur jerosolymitano servata fuisse credimus, etsi non uno volumine, nec prorsus eadem veneratione

cum *thorah*, historica, et didactica et prophetica opera a tempore Moysis ad captivitatem babylonicam conscripta; quæ proinde nullo alio indigebant testimonio ut ab omnibus honorarentur. Ast templo diruto, et populo in Assyriam et Babyloniam disperso, etiam libri in templo servati deperditi fuerunt, tantumque remanserunt ea exemplaria quæ a sacerdotibus, prophetis, aliisque piis hominibus servata secumque adsportata sunt. Cum autem post edictum Cyri, populus iterum redire et sub pristina theocratica forma sese constituere inciperet, maxime intererat omnium librorum, quos ut sacros hebræi venerabantur, collectionem adornare, ut norma esset totius vitæ illius populi et fundamentum religionis. Hoc Esdras præstitit, *scriba velox in lege Domini*, qui sparsos libros collegit quos invenire potuit, aliquos ipse scripsit, omnium recensionem fecit, menda fortuito dilapsa sustulit, characteres babylonicos (assyrios) loco antiquorum, et plerique existimant, adhibuit, ac forte nonnulla regionum aut locorum obsoleta nomina aliis recentioribus substituit. Opus esdrinum dein Nehemias ac coævi prophetæ Aggæus, Zacharias et Malachias perfecerunt et addiderunt propriis lucubrationibus.

177. Hæc communis est opinio, tota antiquitate comprobata, frustraque et gratis, imo contra jus et fas, in dubium ab aliquibus revocata. Atque hoc sensu verum est canonem hebraicum temporibus Esdræ fuisse *clausum*; non quasi Spiritui Sancto vetitum fuisset alios libros præter canonicos in posterum dictare, aut etiam, si conscriberentur, non possent præcedentibus adjungi: *clausus est canon*, quia alius liber sacro volumini adjunctus fuit a nemine *potestaten habente*, auctore nempe theopneusto suam missionem divinam comprobante. De iis testimonium habemus apud Josephum, præter alia multa non spernenda indicia, quæ statim indicabimus. Scribit itaque Josephus (contra Apion. I, 8). «Apud nos nequaquam innumerabilis est librorum multitudo dissentientium atque inter se pugnantium; sed duo dumtaxat et viginti (ita ipse eos numerabat pro numero litterarum hebraicarum) libri, totius præteriti temporis historiam complectentes, *qui merito creduntur divini*. Ex iis quinque quidem sunt Moysis, qui et leges continent, et seriem rerum gestarum a conditu generis humani usque ad ipsius Moysis interitum. Atque hoc

spatium temporis tria fere annorum millia comprehendit. A Moysi interitu ad imperium usque Artaxerxis, qui post Xerxem regnavit apud Persas, Prophetæ qui Moysi successere, res sua ætate gestas tredecim libris complexi sunt. Quatuor vero reliqui hymnos in Dei laudem, et præcepta vitæ hominum exhibent utilissima. Cæterum ab imperio Artaxerxis ad nostram usque memoriam, sunt quidem singula litteris mandata, sè nequaquam tantam fidem et auctoritatem meruerunt, quantam superiores ii libri, *propterea quod minus explorata fuit successio prophetarum.*»

178. Quæ perspicua sunt ad rem nostram, et eam librorum sacrorum distinctionem subindicant, quæ a Jesu filio Sirah in Ecclesiastici prologo, a talmudistis, ab existentibus bibliis hebraicis, a J. C. sæpe in Evangeliis designatur, in *Legem*, scilicet, *Prophetas* et *Hagiographa*. Quæ quidem designationes et canonem constitutum, et in tres classes distributum demonstrant; unde etiam noscimus quare libri canonici hebræorum omnes in alexandrina versione contineantur; nec non laudandi rationem quam tenet Ecclesiasticus (XLIX), ubi Isaia, Jeremia et Ezechiele laudatis, postea subjiciuntur *duodecim prophetæ*, quasi unum librum scripserint.

Jam igitur ante tempora Christi solida inveniuntur fundamenta hujus traditionis, quæ primis Ecclesiæ Patribus communis fuit, canonis ab Esdra collecti; solaque hac antiquissima traditione admissa intelligitur fabula illa, de qua in IV Esdræ fit mentio, de universis nempe Bibliis in excidio templi deperditis, et ab Esdra quadraginta dierum spatio per miraculum restauratis; quæ dum ab aliquibus Patribus una cum libro apocrypho admissa est, aliquod in traditione fundamentum habuisse concludimus. Cæterum librorum sacrorum deperditio in captivitate babilonica, nec probabilis, nec vero possibilis fuit, et a doctioribus omnibus, sive catholicis, sive hæreticis et rationalistis nunc plane exploditur.

179. Ordo numerandi sacros libros a talmudicis servatus, hic est: Quinque Moysis (quos vocant *legem*, התורה); *prophætarum* (נביאים) tum priorum septem libri, nempe Josue, Judices, Samuel, Reges, Jeremias, Ezequiel, Isaias, tum posteriorum duodecim uno libro contenti; demum *hagiographi* (כתובים) undecim, Ruth, Psalmi, Job, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Threni, Daniel, Esther,

Esdras et Nehemias ac demum Chronica seu Paralipomena. In hebraicis bibliis paulisper ordo differt, et a Josepho probabiliter ut ab aliis liber Ruth adjungebatur libro Judicum, et Threni Jeremiæ; alii denique libri aut conjungebantur aut dissociabantur, ut numero litterarum responderent, quæ aut 22, aut 24, aut demum 27 erant, secundum variam computandi rationem. An vero ab hellenistis et alexandrinensibus alius canon adornatus fuerit, quo libri post tempora esdrina detecti, ut Tobias, Judith, et Baruch, vel conscripti, ut Sapientia, Ecclesiasticus ac duo Machabæorum, inclusi demum fuerint judicio synagogæ authentico, non certo constat; valde autem probabile fit ex biblia alexandrina, quæ eos accepit, et ex agendi ratione Ecclesiæ christianæ, quæ ab hebræis V. T. recipiens, ut canonicos demum hoc libros venerata est.

180. Adversus ea quæ diximus de canone temporibus Esdræ confecto nihil evincunt: 1.° psalmi, sic dicti, machabaici, qui nulli demum sunt, ut jam a doctissimis rationalistis conceditur; 2.° diversitas antiquorum judæorum et nonnullorum Patrum, ut Melito Sardensis et Origenes, in libris protocanonicis V. T. numerandis, quæ ex duorum librorum conjunctione aut separatione ut plurimum manat; 3.° disputationes judæorum eruditorum circa aliquem librum, quæ ex privata illorum ignoratia aut indocili ingenio procedere potuerunt; aut etiam ob figuratum loquendi modum errori ansam præbuerunt, ut si de Cantico Canticorum dicerent *eum manus foedare*; 4.° denique admissio nonnullorum deuterocanonicorum, quæ ex certitudine oriebatur eos divinitus fuisse conscriptos, quamvis non ut tales ab aliquo propheta vel a synagogæ solemni declaratione admissos. Ex citato enim Josephi loco et aliis, in quibus aliquos horum librorum ut divinos laudat, ex canone judæorum alexandrinorum, ex fide Ecsiæ chistianæ, ac demum ex talmudistarum fide, constat libros deuterocanonicos V. T. (quos protestantes apocryphos appellare affectant) *ut divinitus conscriptos* semper habitos fuisse. Talmudici enim eos laudant, et sacram auctoritatem tribuunt, licet auctoritate protocanonicorum minorem; contendunt enim, suo ingenio servientes, libros in suis bibliis contentos a *Spiritu Sancto* רוח הקדש, (quasi venti alicujus directo impetu) inspiratos fuisse, hagiographos vero secundi ordinis (deuterocanonicos) a *filia vocis*, בת קול (quasi nempe vi venti reflexa). Quædam etiam objiciuntur adversus canonem judæorum alexandrinorum, quæ vel in sola verborum intelligentia con-

sistunt, vel facili labore solvuntur. Objicitur enim diversitatem in canone librorum sacrorum schismati locum dare debuisse, cum tamen constet judæos palæstinenses et ægyptios fraternis relationibus fuisse conjunctos. Ad quæ reponimus, imprimis non tam distare utriusque synagogæ judicium circa *rem*, quam circa *formam*, cum, ex dictis, etiam judæi palæstinenses libros deuterocanonicos summo in prætio habuissent, licet non cum reliquis adnumerassent; deinde major schismatis et odii religiosi causa erat in templo leontopolitano, quod judæi alexandrini fundaverant, et tamen palæstinenses fraterna benevolentia cum illis agunt, ut epistola demonstrat quæ 2 Mach. invenitur. Aiunt etiam Philonem horum librorum mentionem non facere; quod sane nihil evincit, cum pariter non laudet septem ex protocanonicis nisi semel, unum vero et viginti nullo modo. Demum ipse Berthold, qui hunc alexandrinum canonem inficiatur, re nobiscum consentit, dum libros deuterocanonicos in bibliis alexandrinis includi solitos et magni primum prætii, dein religiosa veneratione dignos habitos fuisse fatetur.

Multi etiam inter catholicos hæc, quæ de *clauso* canone hebræorum *temporibus esdrinis* diximus, gratis in dubium revocant, imo, si quid sapio, imprudenter. Dandum id erat rationalistis, librum Danielis secundo ante Christum sæculo scriptum fuisse pugnantibus, *eo quod clarissimæ in eo sint prophetiæ ad hæc usque tempora;* sed hoc ipso nobis nimium utilis est traditionalis sententia, a Fl. Josepho perspicue et confidenter adserta, nullum nempe librum a tempore Artaxerxis in canonem fuisse inclusum. Sive enim hic Artaxerxes sit *Longimanus* (425—375) quod plurimis jure placet, sive Artaxerxes Mnemon (404—369), ad illum usque protrahimus ad rem nostram *tempora esdrina*, quia scilicet canoni ab Esdra confecto ac cesserunt libri a prophetis conscripti Aggæo, Zacharia et Malachia, una cum libro Nehemiæ ad ipso confecto. His positis, nulla sunt argumenta sententiam communem oppugnantia. Nam *psalmi machabaici* ab aliquibus criticis nuper admissi, jam passim ab omnibus, ipsoque Ewaldo, ut antiqui habentur, sero ante tempora machabaica conscripti, ita ut hæc sit jam res judicata. Quod autem nonnulli rabbini dubii vel pugnantes sint, etiam post Christum natum circa unius alteriusve libri cononicitatem, nihil evincit, contra antiquiorum, imo totius gentis judicium, in quorum bibliis omnes protocanonici libri admituntur (conf. etiam dicta supra). In libro vero Nehemiæ mentionem fieri sacerdotum Alexando Magno æqualium gratis omnino adseritur. Nullus enim probare potest Jeddoa illum de quo Nehem. XII, 11, 22 mentio fit, ipsum fuisse Jaddo, qui ex Fl. Joseph. Alexandro occurrit Hie-

molymas ingredienti. Hoc non evincitur ex nomine, plures enim homonimi in Bibliis passim occurrunt; nec ex numero generationum, quæ Neh. XII, 10-11 recensentur. Si enim admittas Josue jam grandævum fuisse, quando ex captivitate venit cum Zorobabele circa annum 536 quo exiit edictum Cyri regis, quod omnia suadent quæ de ipso leguntur, nihil obstat quominus cum nepote Eliasib venerit, a quo usque ad Jeddoa tres sunt generationes, Joiada et Jonathan tantum interpositis. Tres autem generationes ab 530 ad 430 (vel si agatur de Artaxerxe Mnemon 380) ante expletam Nehemiæ vitam librumque conscriptum optime præterire potuerunt. Nullo igitur modo ad tempora Alexandri pervenire cogimur nec possumus. Librum vero Nehemiæ ab alio posteriorem redactionem et nonnullas additiones recepisse, quæ et opinio D. Haneberg, gratis prorsus asseritur, cum illius præcipuum argumentum nihil ponderis habeat, ut ex dictis patet. In capite vero XII, 26 de Nehemia ut jam defuncto sermonem esse non evincitur; ibi enim recensentur sacerdotes et levitæ qui *in diebus* Joachim, Nehemiæ et Esdræ erant, et quidem absque ordine chronologico, et ex tabulis publicis probabiliter hic transcribuntur ter factis, nempe tempore Esdræ, Joachim et Nehemiæ, quod vocabulo *in diebus* subindicatur.

181. Christum et Apostolos ut Scripturæ Sacræ partem habuisse deuterocanonicos V. T. libros (de quibus tantummodo sermo est, cum de aliis omnes conveniant), ex ipso N. T. verosimile fit et ex traditione satis constat. Nam quoad 1.m: auctores N. T., dum Scripturam laudant sæpe non textum hebraicum, sed versionem alexandrinam laudant, etiam in locis quibus ab originali discrepat, (v. g. Mat. XV, 8-9: Act. II, 25-28; Rom. XV, 10-12; Hebr. II, 7; X, 5-7; XI, 21); quod demonstrat eos velut authenticam hanc versionem habuisse, ac proinde eos omnes libros ut canonicos admisisse, quibus ipsa constabat (a). Deinde, si libri deuterocanonici V. T. in N. ad litteram non laudantur (quod non paucis protocanonicis pariter evenit, ut l. Reg., Ecclesiastes, Cant. Canticorum), saltem manifeste satis alluduntur; quod demonstrat eos ab Apostolis cognitos et in usum adhibitos fuisse. (Conf. Luc. VI, 31;—Tob. IV, 16; Mat. XXVII, 40, 43—Sap. II, 17...; Rom. I, 20...—Sap. XIII, 1, 15; Rom. IX, 22-23—Sap. XII, 20-21; Rom. XIII, 1—Sap. VI, 4;

(a) Hoc tamen nihil evincit circa libros apocryphos Esdræ, Enochi &c., qui ibi non erant, si forte pauca exemplaria excipias.

Hebr. I, 3—Sap. VII, 26 &c. Conf. plura pro libro Sapientiæ num. 363.

CAPUT III.

Ecclesiæ traditio circa libros V. T. deuterocanonicos: expenduntur obscuriora Patrum loca: de canone protestantium: deuterocanonici N. T. Unde venerit Patrum et sapientum oscitantia circa rem hanc.

182. Quod autem ex N. T. libris non plena certitudine evincitur, universa traditione solidatur. Nam 1.°, græci scriptores ecclesiastici versione alexandrina, latini vero itala communiter utebantur, quæ ambæ libros nostros continebant. 2.° In scriptis PP. trium priorum sæculorum non solum plurimæ allusiones, sed veræ allegationes horum librorum inveniuntur, formula ad Sacras Scripturas invocandas consueta v. g. *Spiritus Sanctus ait*; *sicut scriptum est*; *ait Scriptura* &c. Equidem eodem modo allegantur etiam libri apocryphi; sed hujusmodi allegationes rarissimæ sunt si cum illis comparentur, et tantum demonstrant quosdam apocryphos a quibusdam Patribus, ante plenam rei dilucidationem, ut sacros et canonicos habitos fuisse, quod a nemine in dubium revocatur. Quin immo, ii privatorum hominum lapsus et oscitantia necessitatem demonstrat certæ auctoritatis ad sacros libros ab spuriis secernendos. Inter alia Patrum loca rem nostram demonstrant sequentia: Clem. Rom. 1 Cor. III, 27, 55; Polyc. epist. c. 10; Athenag. *Leg.* 69; Iren. *adv. hær.* IV, 5, 2; V, 35 &c.; Hyppol. *c. Jud.* 9 &c.; Dion. Alex. *de mart.* c. 2 &.; Tertul. *de Præscrip*, c. 7 &c.; Commod. *Carmen ap.* v. 366; Clem. Alex., Orig., Ciprian. sæpissime. 3.° Picturæ in Catacumbis multas exhibent iis libris desumptas historias et imagines, ut Tobiæ, Susannæ &c. 4.° Quamvis non aliæ enumerationes sacrorum librorum primis sæculis inveniantur, præter eas Melitonis et Origenis, qui libros tantum in hebraicis bibliis contentos comprehendere voluerunt; id tamen ceterorum repudiationem non significat; quod ipse Origenes ostendit. Nam (*In Mat. comm.* 61) inquit: «Aussi sumus uti in hoc

loco Danielis exemplo, non ignorantes quod in hebræo positum non est, sed *quoniam in ecclesiis tenetur*»; et alibi (Opp. I. 12) cap. 13 Danielis utitur (a). 5.° In controversiis cum hæreticis sæpe loca ex deuterocanonicis utrinque allegantur, quin earum canonica auctoritas in dubium sive a catholicis sive ab hæreticis revocetur. Sic Hyppol. (*Cont. Noëtum* II et V) non auctoritatem, sed interpretationem refellit a noëtianis datam in Baruch III, 36; sicut Euseb. (*Cont. Marc.* II, 1) et Optat. (*Schism. donat.* 4). Contra arianos sæpe allegant Patres citat. Baruch III. 36; (conf. Aug. II, 1047; VIII, 686, 726, 791, 813; IX, 55, 63, ed. Migne). Cum semipelagiani primi omnium librum Sap. repudiarent, respondebat S. Aug. (*Præd. sanctor.* XIV.) «Non debuit repudiari Sapientiæ liber, qui meruit in Ecclesia Christi de gradu lectorum tam longa annositate recitari atque ab omnibus christianis ab episcopis usque ad extremos laicos... cum veneratione divinæ auctoritatis audiri» (conf. ep. LXIV, alias 235, 3). 6.° Sicut in antiquissima latina versione, ita in posterioribus ii libri reperiebantur, ex græca desumpti; ita ut, quamvis Hieronymus duos tantum verterit, cæteri suæ versioni adjungerentur ex præcedentibus interpretibus in ecclesia latina, ut in cod. Amiatino sæc. 6.i videre est. 7.° Sicut Patres trium priorum sæculorum, ita posteriorum maxima pars inter græcos latinosque hos libros allegant, velut protocanonicos; immo August. omnium indicem texuit tridentino similem (*de doctr. christ.* II, 8. Conf. has allegationes apud Welte, qui laudat Ephremum syrum, græcos Didimum, Bas., Greg. Nisen., Chrisost., Cyril., &c., latinos Lact., Firmicum Maternum, Ambr., Orosium, Zenonem, Paulinum &c.): Eusebius libros enumerat sicut hebræi et protocanonicos laudat. Nonnulli quidem ex celeberrimis sæculi 4.i Patribus aliter loquuntur de duplici librorum classe, ut Athan., Cyril. hieros., Greg. naz., Hilar., Ruf. et Hieronymus. Aut enim solos protocanonicos recensent, aut a deuterocanonicis distinguunt vocabulo *canonici*, dum hos ἀναγινωσκόμενους, *publice lectos*, *ecclesiasticos*, quandoque *apocryphos* appellant. Verum iidem hos libros in suis ope-

(a) Similiter Melito laudat ut Scripturam divinam Baruch, Tobiam, Esther et Sapientiam (*Clavis*, liber nuperrime editus a Pitra in Spicilegio Solesmensi, t. 2.)

ribus allegant sicut et protocanonicos, et quidem ad litteram, veluti verba Sacræ Scripturæ; pares igitur habent ambas librorum classes, saltem *in praxi*. Huic vero praxi potius attendendum est in fide Ecclesiæ illius temporis investiganda, quam solitariis unius alteriusve scriptoris declarationibus, sibi contrariis et vacillantibus. Id probe tenendum, ut verum illius discriminis sensum intelligere possimus; quo facto, facile concludendum restat, nihil Ecclesiæ fidei et praxi, ex hac a Patribus data distinctione inter libros proto—et deuterocanonicos, detractum iri. (Conf. testimonia apud Reusch, vel apud Malou, t. 2 ed. Barcin.) 8.° Diversæ hæ sententiæ circa numerum sacrorum librorum V. T., quorum nutationi similes fuerunt, quæ libros N. T. respiciebant, occasionem præbuerunt conciliis rem difiniendi circa finem quarti et initium quinti sæculi; horum vero catalogi tridentinum confirmant. Talia fuerunt, hyponense (393), tertium et quartum conc. provinc. cartag. (397 et 419); similiter Innocentius 1.us ad Exuperium (405), et in oriente concilium trullanum (692), quod decreta conciliorum africanorum confirmavit. 9.° In posterum communiter recepti sunt in Ecclesia deuterocanonici, etsi non defuerint theologi, præsertim latini, qui vacillantes Patrum quorumdam sententias repetere consueverunt, ducti ut plurimum prologorum Hieronymi auctoritate. Ii namque prologi noti satis fuerunt ex consuetudine eos præmittendi bibliorum codicibus, ob doctrinam in illis contentam, quæ ad Scripturæ intelligentiam utilis est; minus tamen cognita erat ejusdem Hieronymi apologia adv. Rufinum, unde verum Hieronymi sensum dignoscere potuissent. Cæterum in oriente et occidente in usu erant communi versiones libros controversos comprehendentes, item in schismaticis orientalibus ecclesiis, ac demum in Florentina synodo libri omnes a tridentina designati, recepti fuerant.

183. Protestantes dubii semper fuerunt circa librorum V. T. deuterocanonicorum auctoritatem; licet enim *apocryphos* eos passim dicerent, suis tamen bibliis inserebant et versionibus, ut Luterus, Calvinus, synodus dordrechtana, ac ipsæ demum societates biblicæ usque ad annum 1826 ita se gesserunt. Tunc vero, ope præsertim puritanorum Scotiæ, decretum ediderunt, ut a suis editionibus prorsus ablegarentur; reclamantibus undique protestantibus et societatibus biblicis londinensis succursalibus, quas inter eminuit berolinensis, quæ

contra hunc decretum reclamavit «quoniam ab ipsa reformatione semper libri *apocryphi* sparsi et in *usum adhibiti* fuerant in Germania, Helvetia, Suecia et Dania *eadem ac libri canonici auctoritate*,» argumentaque addidit ex fidelium utilitate, jure ecclesiarum, vi consuetudinis, præscriptione ac principio *liberi examinis* deducta, quæ tamen contra *aurum britannicum* prævalere nequiverunt, sed a bibliis protestantibus libri deuterocanonici V. T. nunc prorsus exulare coguntur (a). Ex quibus omnibus constat jure se gessisse concilium tridentinum, quum canonem probavit a Jesu-Christo et Apostolis acceptum, prout tota traditione ecclesiastica constat; optimamque solutionem dedisse quæstioni, maximi quidem momenti, sed nonnisi *auctoritate* definiendæ, ob defectum datæ perspicuæ declarationis hac de re a synagoga judæorum, a C-J., ab Apostolis, a libris N. T., a scriptoribus antiquissimis ea fide dignis, quæ ad plenam certitudinem creandam in re tam gravi necessaria erat.

Libri deuterocanonici N. T., a nemine protestantium nunc demum in dubium vocantur; quæ autem a quibusdam difficultates contra eos moveri solent, vel adversus quasdam eorum partes, tunc pertractabimus, cum de singulis eorum sermo erit.

184. Quod si quis quærat unde procedere potuerit Sapientium incertitudo, et Patrum ecclesiarumque particularium oscitantia in determinando sacrorum librorum numero; in modo quo christiana religio propagata fuit, et in eorumdem librorum ad revelatam doctrinam et Ecclesiam relatione perspicue, ni fallor, inveniet. Inprimis enim ad evangelii prædicationem, ad ecclesias particulares constituendas, ad salutem fidelium procurandam, absolute necessarium non erat sacrorum librorum codicem ubique relinquere; sed, fide *ex auditu* recepta, aptior exspectanda erat occasio ut ecclesiæ particulares sacr. Bibl. thesaurum obtinere possent. Hic vero thesaurus vel integer, vel ex parte tantum obtineri poterat, statimque in usu liturgico adhibebatur. Cum autem crescentibus diversarum ecclesiarum relationibus, ortis controversiis, natis viris eruditis, qui rem e fonte haurire vellent, nec, qui libri sacri prius accepti essent, noverant; antequam temere eos admitterent et miscerent sacra profanis, auctoritatem quærebant, qua illos partem sacri codicis esse constaret. Hinc eruditorum labor ad distinguendos libros canonicos ab apo-

(a) Conf. de hoc argumento *Malou*: La lectura de la Biblia en lengua vulgar, Barcelona, Libreria religiosa; et Reuss, Histoire du canon des Saintes-écritures, Strasbourg, 1864).

cryphis; hinc consultationes judæis factæ ad eorum canonem cognoscendum; hinc codicum comparationes; hinc bibliorum hebraicorum cum græcis collationes, aliique similes labores ad rem plenius determinandam; quin tamen hoc ipsos eruditos viros impediret, quominus omnibus libris uterentur, qui vulgo in usum adhibebantur, ac eodem quo adhibebantur modo, ut dictum est. Id ipsum de libris N. T. a fortiori admittendum est, qui prius ibi propagabantur ubi scripti erant, vel in ecclesiis ad quos erant directi; unde labente tempore et data occasione ad reliquas ecclesias post brevius aut longius temporis spatium ferebantur, donec universum christianum orbem impleverunt. Cum vero res ipsa non pateretur decretorium judicium a quolibet privato, utut erudito, sed totius communitatis traditio, et illius præsertim quæ maximam super omnes ecclesias auctoritatem habebat, romanæ nempe, expectanda esset, factum est ut qui catalogum texuerunt sacrorum librorum, eos qui ab omnibus admittebantur recenserent, in reliquis prudenter dubitarent, aut usum propriæ ecclesiæ traderent, quin rem definire intenderent; immo ipsum conc. cartag. anni 419 judicium *transmarinæ ecclesiæ* exspectandum esse dixit, ad proprii canonis plenam confirmationem. Hoc autem judicium authentice nobis præstat trid. concilium.

CAPUT IV.

Canon sacrorum Librorum nemini privato certo constare potest absque Ecclesiæ authentico judicio: canones varii: libri apocryphi ac deperditi.

185. Ex iis quæ circa judæorum canonem disputavimus temporibus esdrinis sensu exposito *clausum*, ex veneratione qua libros deuterocanonicos veteres hebræi palæstinenses, teste Josepho, suscipiebant, et alexandrini præsertim, qui illos, cæteris adjunxerunt in græca versione ab Apostolis et Evangelistis nec non ab Ecclesia christiana communiter in usum adhibita, ex solemnis tamen declarationis defectu authentice probatæ sive a magna synagoga, sive a Christo et Apostolis, sive demum ab Ecclesia primitiva, ex nutatione demum doctorum, presertim tertii et quarti sæculi, quibus offendiculum fuit canon hebraicus in bibliis collectus, quem constanti et antiquissimo ecclesiarum usui contrarium noverant;

recte, inquam, ex iis omnibus adversus protestantes arguitur: fieri non posse ut numerus sacrorum librorum, præsertim V. T., cuipiam privato, licet doctissimo, et in monumentis antiquitatis versatissimo, ea certitudine constet, qua opus est in re tam gravi, imo protestantibus gravissima, quibus Sacra Biblia unicum sunt totius fidei fundamentum. Ast id non obstat catholicis, qui Ecclesiam habent Sacrorum Bibliorum depositariam, testem et interpretem; quibus proinde satis sunt allata antiquioris traditionis monumenta, ad ostendendum jure merito concilium tridentinum definitivum tulisse judicium, omni traditione fundatum circa numerum sacrorum librorum. Monumenta enim et privatæ opiniones divergentes ab *auctoritate* demum erant conciliandæ; quod dum fecit trid. concilium, sapientissime quorumdam eruditorum nutanti judicio anteposuit usum et fidem totius antiquitatis, juxta regulam a divo Thoma traditam, pluris nempe usum Ecclesiæ habendum esse quam auctoritatem Ambrosii vel Augustini. Atque eo potiori jure divergentia passim quorumdam Patrum judicia parvipendit, quod aut certum est non aliam ipsis mentem fuisse, quam canonem hebræorum tradere, aut eorum librorum qui ab omnibus prorsus accepti erant in canone, aut demum agendi rationem servabant suis catalogis contrariam, ut antea dictum fuit.

Quapropter non ego probare auderem sententiam D. Malou et Glaire, qui catalogos 131 ex omnibus christianis sæculis, præsertim antiquioribus, exhibent, ut uno intuitu videri ac recenseri possint monumenta ecclesiastica *pro* vel *contra* libros V. T. deuterocanonicos probantia: si enim excipias posteriora hæreticorum monumenta, nullum revera est in tota antiquitate ex Patribus vel conciliis desumptum monumentum, quod, si cum doctrina et agendi ratione eorumdem comparetur, vere quidquam demonstret *contra* prædictos deuterocanonicos libros, prout ipsi Malou et Glaire demonstrant. Forte excipiendus esset S. Hieronymus, qui multis in locis canonem hebræorum probare videtur, librosque in eo non contentos *prorsus repudiare* cum eos *apocryphos* dicit, dum alibi contra *apocryphos* insurgit, illud psalmistæ usurpans: «*sedet in insidiis cum divitibus in* APOCRYPHIS *ut* INTERFICIAT *innocentem*» (In Isaiam LXIV, 4). Si venia tanti viri id dicere possum, credo ipsum secum pugnasse dum libros *apocryphos* ut scripturam divinam sæpe allegat, et sibi ob eorum saltem apparentem repudiationem, *oblatrantes canes* acrius, more suo, aggredi-

tur. Pretio sane digna illius confessio est, plurima undique maledicta sustinere coactum fuisse eo quod solos protocanonicos libros interpretatus est; quid enim factum fuisset si libros ob omnibus veneratos aperte repudiasset? Cæterum quidquid de hoc sit, en compendium laboris a Malou et Glaire suscepti in colligendis suis, sic dictis, *canonibus*. In ecclesia latina ex 95 monumentis, stant (sensu nuper exposito ac n.° 172, ideoque absque ullo valore) contra canonictatem libri Tobiæ 6, Judith 6, Sap. 7, Eccli. 7, Baruch 14, Mach. 7. partium Dan. 2, id. Esther 2; cætera aut incerta sunt, aut inter *ecclesiasticos* hos libros recipiunt, aut a protocanonicis non discernunt; hæc sunt valde maxima pars.

In ecclesia græca, ex 28 monumentis libros nostros excludunt modo jam explicato: Tobiam 11, Judith 10, Sap. 10, Ecclum. 8, Baruch 1, Mach. 11, part. Dan. 0, part. Esth. 5. Denique in ecclesiis orientalibus nullum est ex 8 monumentis iis libris contrarium.

186. Libri apocryphi, ex quibus multi sunt etiam pseudoepigraphi, seu falso tributi homini cuilibet celebriori, sunt ex V. T. præcipui sequentes: Tertium et quartum Esdræ (conf. apud Du Hamel) 3^m^ et 4^m^ Machabæorum, oratio Manasses (item in biblia Du Hamel), Liber Enoch (ætiopice demum inventus et anglice, germ., gallice interpretatus, in quo re vera invenitur locus similis Judæ v. 14), plures psalmi, ut ps. CLI Davidi, et alii XVIII Salomoni tributi, parva Genesis &. In N. T. longe diversa est conditio eorum operum quæ pius aliquis Pater edidit, et ad ædificationem plebis in ecclesiis legebantur, sub proprio auctoris nomine; ac illorum quæ vel falsa pietate, vel fraudulenta machinatione, attributa fuere Apostolis et viris conspicuis, aut etiam proprio nomine vel absque auctoris designatione edita sunt ad sitim illam extinguendam minutissimas circumstantias vitæ Jesu, ejusque Matris ac Josephi cognoscendi, ad dogmata quædam sive vera sive falsa constabilienda. Igitur prioris classis libri improprie apocryphi dicti fuerunt, ut significaretur non fuisse a Deo inspiratos v. g. *epistola Barnabæ*, *liber Pastoris*, *epistolæ Clementis* &c. Reliqui omnes optimo jure apocryphi appellantur, sive errores contineant, sive tantum narrationes non authenticas, quæ proinde, ut plurimum, sunt legendariæ; nihil tamen obstat, imo valde simile verum est, plura historica facta in eis inveniri, præsertim quæ orali traditione consolidata sunt. Horum apocryphorum præcipui sunt: *epistola Christi ad Abgarum et hujus ad Christum* (juxta communiorem et firmiorem criticorum sententiam), *plura evangelia*, aliquoties sub diverso nomine eadem aut paulo mutata, v. g. *evangelium Pauli*, *Andreæ*, *Philippi*, *Nicodemi* &c. Plura item acta apostolica, ut *Periodi Petri*, *acta Andreæ*

Matthæi, Philippi, Thomæ, Joannis, Matthiæ; plures demum *apocalypses*, ut *Pauli, Thomæ, Stephani* &c. Aliquando etiam nomen auctoris sectarii servabant, ut *evangelium Marcionis, Bassilidis, Tatiani, Valentini* &c. Plura de apocryphis in decreto Gelasii (apud Grat. D. 15 c. 3), a cujus allegatione abstinuimus, quia a pluribus non authenticus habetur (ut Hefele), plurima apud Fabricium (*codex pseudepigr. et codex apocry. V. et N. T.*), apud Migne (*dictionnaire des apocryphes*) ac demum apud Tischendorf, qui tribus voluminibus comprehendit *evangelia, acta* et *apocalypses* apocryphas, plurium manuscriptorum græc. et latinor. facta collatione. Inter apocrypha etiam racenseri debent *epistolæ Pauli ad Senecam* et *ad Laodicenses*. Utrum vero Paulus cum Seneca de rebus religionis egerit scripto vel viva voce non constat, nihil tamen est quod impedierit. Sane cum Paulus Romam venit, ibi Seneca degebat, amicus erat Burri, præfecti prætorii, cum quo forte Paulus causam suam egit, vel cum suis delegatis; nihil igitur mirum si, illo mediante, et novam illam doctrinam cognoscendi desiderio impulsus, non semel forte Seneca cum Paulo collocutus est, de quo etiam forsitan aliquid a fratre suo Gallione Achaiæ proconsule acceperat, apud quem a judæis corinthiis Paulus fuerat accusatus. Certe superbus animus et in sua scientia nimis confidens obstaculum erat Senecæ, ut humilitatem et stultitiam crucis sequeretur; plura tamen in eo inveniuntur ex christianismo jamdiu Romæ predicato certo manantia. Usus apocryphorum, qui nunc fieri potest, constat partim ex iis quæ ipsi vera narrant et pictura temporum illorum; partim apparebit, dum ex illis argumenta valida pro evangeliis genuinis hauriemus.

187. Plurium librorum mentio in Sacris Litteris fit, de quibus num fuerint canonici aut divinitus inspirati quæritur. Sane, etiam qui a prophetis compositi sunt, absque speciali inspiratione optime scribi potuerunt; licet auctorum sanctitas argumentum sit narrationis omnino veræ. Simile igitur vero est libros istos in Scriptura sæpe allegatos, nihil aliud fuisse, quam fasti publici, annales, sive memoriæ in quibus populi israelitici historia, genealogiæ, res gestæ adnotabantur, in publicis archiviis custodiendæ. Ex illis monumentis coævis et, ut nunc dicimus, *officialibus*, libri canonici historias continentes postea a viris Dei Spiritu afflatis compositi sunt; quapropter ipsi fontes narrationis aliquoties allegare consueverunt. Sic. Exod. XXIV, 7 allegatur *liber fœderis*; Num. XXI, 14 *liber bellorum Domini*; Jos. X, 13 et 2 Reg. I, 18 *liber justorum;* Isa. XXXIV, 16 *liber Domini;* 1 Par. XXIX, 29 et 2 Par. IX, 29-30 cum XII, 15.... *libri Samuelis, Nathani et Gad; libri dierum Israel et Juda*, sæpe; 2 Par. XXXIII, 19 *Sermones Ozaï*; ib.

XXVI, 22 *gesta Osiæ ob Isaia descripta*; 3. Reg. IV, *3000 parabolæ et 1005 cantici cum libris de naturali historia Salomonis*; 2 Par. XXI, 12 *epistola Eliæ ad Joram*; 1 Mach. XVI, 24 *liber Hircani*; 2 Mach. II, 1 *Descriptiones Jeremiæ*, ib. v. 24 *libri Jasonis*. Aliquos ex iis libris integre vel partim in Bibliis fuisse transcriptos perquam probabile est, ex aliis desumptæ sunt rerum gestarum notitiæ, alii demum in compendium redacti sunt, ut ultimo loco enumerati. Qui eruditorum controversiis majorem locum præbuit, est *liber justorum* (Jos. X, 13 et 2 Reg. I, 18), et creditur existens a nonnullis, saltem additionibus legendariis interpolatus. Talis est opinio cl. Drach in prologo versionem præcedente *Iaschar*, ab eo ex hebræo gallice interpretati et a Migne in *Dictionnaire des Apochryphes* editi. Hic enim liber Iaschar סֵפֶר הַיָּשָׁר se ipsum appellat *librum generationis Adam*, et liber *justi* dicitur, vel *liber justorum*, quia omnia ordine in eo narrata veniunt, vel quia fiunt historiæ Patriarcharum, et a Drach convertitur *commentarii, annales, memoriæ exactæ vel sinceræ*. Magna deinde eruditione ostendit similia opera in usu semper fuisse apud hebræos, in publicis archiviis fuisse servata, præsertim in templo, ut de isto libro præcise narrat Josephus.Exemplar autem ab eo editum, a judeo hispano non post sæc. 14 adornatum fuisse credit pluribus additionibus, locorum et nominum mutationibus, fabulis, erroribus chronologicis, quæ satis adhuc discerni possunt a parte ex sincero libro Iaschar descripta, ob stylum biblico prorsus similem in partibus sinceris, et omnino rabbinicum in additamentis. Cæterum res de qua Jos. X, 13 sermo est, ibi narratur, sed non modo poëtico; neque enim vere *cantici partem* liber Josue transcribit, neque liber erat canticorum collectio, prout a multis gratis omnino asseritur. Locus 2 Reg. I, 18 non invenitur in libro Iaschar, quia mutilus est, et ante historiam Samuelis desinit. (Conf. Annales de Philosophie... t. 56).

CAPUT V.

Textus originalis Librorum Sacrorum: Pentateuchi usus publicus: autographus repertus anno 622 ante C.: usus reliquorum librorum: recensio esdrina.

188. Libri omnes V. T. hebraice scripti sunt, præter Sapientiam et 2.m Machabæorum qui græce fuerunt exarati,

Tobiam et Judith, qui verosimilius chaldaici fuerunt, una cum partibus quibusdam libri Esdræ, Danielis et Jeremiæ; sunt denique libri vel partes librorum qui initio hebraice scripti, nonnisi græce permanent, ut 7 posteriora capita Esther, Ecclesiasticus, Baruch et primus Machabæorum, cum parte deuterocanica libri Danielis. Libri omnes N. T. græce scripti sunt, exceptis, juxta communem nostramque sententiam, evangelio Matthæi et epistola ad Hebræos, aramaice, vel potius idiomate syro-chaldaico, tunc in Palæstina vulgari, exaratis, quorum tamen textus originalis ab ipsa fere origine evanuit.

189. Custodiebantur certo (saltem quoad Pentateuchum) libri sacri juxta arcam in tabernaculo primum, deinde vero in templo; unde non raro transcribebantur ad peculiarem usum regum, prophetarum, sacerdotum, seniorum qui judicis officium sustinere debebant, aliorumque piorum hominum. Sane, cum universa hebræorum vita religiosa, politica, civilis, domestica, iis libris fulciretur ac regeretur, impossibile videbitur cuilibet rem consideranti, libros istos in sanctuario ita fuisse reconditos, ut publici juris non vere essent. Hinc factum est, ut nusquam, saltem a Samuelis ætate, defuerint prophetæ populum ad observantiam *legis* hortantes, defectiones reprehendentes, ad *thorah* sæpissime in suis scriptis alludentes; quæ omnia absque Pentateucho inter omnes vulgato intelligi nequeunt. Quare *liber* ille *legis* qui tempore Josiæ repertus est loco templi recondito (4 Reg. XXII; 2 Par. XXXIV), sive integer Pentateuchus fuerit, ut eum Moyses relinquere potuit, sive tantum Deuteronomium; ipsum Moysis autographum fuisse credo, quamvis hoc non plane demonstrent verba illa בְּיַד מֹשֶׁה *per manum Moysi*. Licet enim longa religionis perturbatio sub Manasse sufficiens sit ad rationem reddendam magnæ illius commotionis, quam rex et populus experti sunt ad libri lectionem, cui certo non erant assueti; tamen vix concipitur quare cujusdam exemplaris legis inventio, ut factum extraordinarium spectata fuerit et bis litteris consignata; eo magis, quod lex ut nota supponitur tum hoc ipso loco, tum ab Jeremia, jam ab anno 15 Josiæ propheta, cum hoc factum anno 18 acciderit (622 ante J. C.). Hic namque legimus Josiam consuluisse prophetisam Holdam

eo quod: «magna enim ira Domini succensa est contra nos, quia *non audierunt* (id est, non adimplerunt) *patres nostri verba libri hujus*, ut facerent omne quod scriptum est nobis». Jeremias vero pro legis observantia tota sua vita clamavit, atque qualibet fere pagina ad Pentateuchum alludit; num ipse etiam fraude Helciæ sacerdotis seductus fuit, quasi hic non librum invenerit, sed ipse conscripserit, ut quidam gratis asserunt? Igitur Pentateuchus, vulgo antea cognitus, talem consternationem, qualis hic narratur ideo produxit, quia maxima religione lectus erat in ipso Moysis codice. Quod de libris Moysis, de cæteris pariter dicendum est, qui in publicis templi archiviis, ut monumenta nationalia et religiosa servabantur; atque ibi transcribebantur ad prophetarum usum, reliquorumque piorum hominum. Vix sane unus est posterior propheta, qui priores, præsertim præstantiores non imitatus fuerit; quod in Jeremia frequentissimum est. Igitur veteres prophetias, una cum lege et psalmis in manibus habebant, ac proinde in Solymorum templique excidio perire non potuerunt. Tamen captivitas babylonica necessariam fecit novam librorum collectionem et Esdræ labores criticos, de quibus alias diximus.

190. Utrum vero characteres hebræorum veteres cum chaldaicis commutaverit, non constat inter eruditos. Ita quidem fert communis sententia, auctoritate Hieronymi et Talmudis suffulta, non tamen rem demonstrans. Sane Hieronymus *certum* esse asserit Esdram novos characteres *assyrios reperiisse*, nullum vero testimonium profert; unde probabile fit a judæis rem accepisse; isti vero forte decepti fuerunt ex vulgari scripturæ denominatione, אשורית *assyriæ*, quæ forte significat *rectam*, *recte dispositam*, et vulgari usu alterius scripturæ samaritanæ proximæ in rebus profanis. Notum deinde est quantum ipsi labores esdrinos exaggeraverint. Contraria autem sententia fulciri potest 1.° in defectu antiquiorum monumentorum istam mutationem testantium, de qua nihil apud Flavium Josephum legitur, sed tantum sæculo 3.° apud Africanum et Origenem; 2.° in usu apud veteres populos solemni duplicem scribendi rationem pro rebus sacris et profanis adhibentes, ut de ægyptiis, chaldæis, phoeniciis, ethiopibus, græcis, &c. constat, et ipsis hebræis, saltem post captivitatem; 3.° ex agendi ratione Esdræ et Nehemiæ, veteres populi mores, religionem, le-

gem, cultum restaurare volentium, ut ex ipsorum libris constat; unde inverosimile est in hac re contrariam tenuisse viam; 4.° saltem in sacris sacerdotum vestibus quidquam vel minimum mutasse Esdram, nonnisi ægerrime admittam; nec proinde ipsum ausum fuisse credam nomen *Jehovah* digito Dei scriptum in tabulis lapideis, et a Moyse in lamina aurea summi sacerdotis positum, aliter scribere. Hoc vero nomen litteris quadratis post Esdram scribi solitum fuisse constat ex eo, quod græci illud legerent ΠΠΠΠ, atque ita servarent in bibliis græcis ad marginem, ob istius nominis religionem; hunc autem erroneum legendi modum ex similitudine litterarum quadratæ formæ (יהוה) cum adductis græcis characteribus acceperuut; 5.° denique Abraham ex Chaldæa oriundus chaldaicos characteres facile adhibuit, quos Moyses ut scripturam nationalem non inverosimiliter adoptavit, quod characteribus monumentorum assyriorum confirmari potest inter quadratos et samaritanos medios. Conf. n.° 197.

CAPUT VI.

Antiquus scribendi modus: textus divisiones et interpunctiones: textus masoreticus: manuscripta hebraica nunc exstantia: recensiones, celebriores editiones, apparatus critici: integritas textus hebraici.

191. Initio libri sacri V. T. continua serie, absque periodorum vocabulorumque separatione scripti fuerunt, unde non parva lectionum diversitas manavit, cum consueta nunc divisio et ortographia admissa est; putant tamen libros poëticos et propheticos per hemistichia scriptos fuisse juxta parallelismi formam. Judæi postea totam Scripturam versiculis distribuerunt per signum *silluk [finis]* hujus formæ ׀, semper cum duobus punctis conjunctum, quæ appellantur *soph pasuk*, id est *versuum distinctor* v. g. : יום אחד, *dies unus*. Hi tamen versiculi nostris non respondent, sed multo grandiores sunt. Alias præterea divisiones habent ad designanda loca per singula sabbata in synagogis legenda, quas

paraschah vocant, si ad Pentateuchum referantur, et iis indicant signis פפפ vel סמס; quæ vero ad prophetas referuntur, vocantur *haphtaræ*, parvo dumtaxat spatio vacuo notatæ, sed in margine vel infra textum perspicue indicatæ. Haphtaræ omnes sunt 81, paraschæ vero majores 54; (sunt enim plures aliæ minores simplici ב vel ס notatæ, secundum quod initio vel medio linearum positæ sunt). Signa vocalia, quæ nunc legimus in bibliis hebraicis, a 7 ad 9 seculum inventa fuere, incognita enim erant Hieronymo et auctoribus talmudistis, ac tantum seculo 10 indicata inveniuntur; separatio autem vocabulorum multo anterior est. Eadem ac signorum vocalium ætas est etiam accentuum; quorum tamen aliqua antiquissima indicia in inscriptionibus assyriis ab eruditis inventa videntur; nec inverosimilis est Hanebergii sententia, juxta quam in locis difficilibus quædam signa erant, multo ante quam signa vocalia cæteræque orthographicæ notæ in bibliis reciperentur. Antiqui vero interpretes non raro legerunt diverso modo ab interpunctione nunc recepta. Sic LXX interpretes legebant (Gen. XLVII, 31); *matteh* pro *mittah*, nempe *virgam* pro *lectum*, (ps. IV, 2) *aanani* pro *aaneni* (ענני pro ענני) &c.; alibi verba aliter disjunxerunt, ut (ps. IV, 3) כבודי לב למה, pro עד־מה כבודי לכלמה, nempe: usque quo *gravi corde*, *ut quid*... pro: usque quo *inclyti mei*.

192. Jam a sæculo 13 Hugo Card. distinctionem per capita et horum varia fragmenta in vulg. lat. induxit ad suas concordantias efformandas, quam demum sæculo 15 Isaac Nathan in textum hebraicum ad eumdem finem recepit. Capita vero distinguebantur litteris A. B. C. &c. æqualibus fere distantiis appositis, donec Robertus Stephanus versus numeravit anno 1548, quæ quidem numeratio etiam in hebraico textu recepta fuit. Antiquitus fiebant citationes generatim formula *scriptum est*, *Scriptura loquitur*, *Lex præcipit*, *prædixit Isaias* &c.; vel etiam determinata historiæ parte, unde verba alleganda erant v. g. (Marc. XII, 26) «*Non legistis in libro Moysi* super rubum..?,» item (Rom. XI, 2)» In Elia *quid dicit Scriptura.*»

193. A sæculo 6.° ad 10m, magna facta est a rabbinis Tiberiadis et Babyloniæ bibliorum hebraicorum cura critica, quam dicunt Masora *[traditio]*, textusque ab eis dis-

positus *masoreticus* appellatur. Est autem minutissimus labor adnotationes et multiplices indicationes complectens circa proprietatem orthographicam et grammaticalem vocabulorum ac versuum (utrum nempe proprie scriptæ sint litteræ, suis vocalibus et accentibus, propria significatione et verborum connexione, scriptione plena aut defectiva &c.), vel etiam circa numerum versuum, vocabulorum ac litterarum uniuscujusque libri, et partim etiam circa textus emmendationem. Hæc ultima pars servatur in editionibus communibus, vocaturque *querib* et *quetib*, id est, *lectum* (quomodo oporteat legere verbum) et *scriptum* (quomodo scriptum sit). Ea enim fuit hominum istorum sacri textus reverentia, ut lectiones, quas mendosas judicabant, servarent, adnotata in margine tantum propria ac vera lectione. Hinc fit ut puncta vocalia, accentus, ac correctiones bibliorum hodiernorum, non alia auctoritate gaudeant, quam quæ ex sapientibus quidem et eruditis rabbinis oritur, quæque proinde, omnibus perpensis, *recipienda est ut plurimum, aliquoties rejicienda*, cum scilicet rationes criticæ sufficientes id suadeant. Saltem id boni habemus ex laboribus masoreticis ut nempe lectionem textuum manuscriptorum illius temporis cognoscamus, legendi modus antiquus fere maneat, textus denique stabilitatem quamdam etiam in minimis obtinuerit, etsi non prorsus perfectus.

194. Textus manuscripti bibliorum hebraicorum vel partis eorum hodie subsistentes nonum sæculum non præcedunt; ex quibus alii sunt magna cura ad usum synagogarum descripti, charateribus quadratis, absque punctis vocalibus; alii vero ad usum privatum vel cum quadratis characteribus et punctis, vel etiam scriptura rabbinica. Antiquissimum exemplar Pentateuchi est anni 843, absque punctis; et prophetarum posteriorum exemplar punctatum anni 916. Cætera quæ exstant cum adnotatione anni sunt 5 vel 6 seculi 12, 50 fere sæc. 13 &c. Antiquissima exemplaria ideo non servantur, quia ea destruere et comburere judæis mos est, postquam in deteriorem statum venerint. Exemplaria synagogarum in pergamenis esse solent, formamque veterum *voluminum* servant; privata vero vel in pergamenis vel in communi papyro juxta formam modernis libris consuetam.

195. Sæculo 11 exstiterunt duo rabbini celebres, Ben-Ascher Tiberiadis et Ben-Nephtali Babylonis, qui summa cura textum descripsere. Ex recensione Ben-Ascher, ab altera paulum discrepante, originem ducunt exemplaria quæ in usu apud occidentales sunt. Juxta rabbinicas recensiones typis mandatus est hebraicus textus integer primo Soncini (1488, et repet. Brixiis an. 1494) cum punctis vocalibus et accentibus absque notis aliis masoreticis. Polyglottæ complutenses exhibent textum hebraicum ex manuscriptis desumptum cum vocalibus et sine accentibus. Editio Danielis Bomberg, cura doctissimi R. Jacob-Ben-Chaiim (Venetiis 1518 et sæpe postea repetita) continet magnam parvamque masoram, lectiones variantes Ben-Ascher et Ben-Nephtali, Orientalium et Occidentalium, et libellum de accentibus. Ex iis editionibus reliquæ prodierunt in quibus eminent editio Buxtorf (Basileæ 1611 et 1618), Jos. Athiæ (Amstelodami 1661), Van der Hoogt (ib. 1705) et Opitz (1709 et 41). Novissima ac præcipua editio est stereotypica A. Hahn (Lipsiæ 1832 et ult. 1859) et Theile (ib. 1849). Apparatus critici præstantiores sunt Ben. Kennicott (*V. T. hebraicum cum variis lectionibus*, Oxford 1776-80) et J. B. Rossi (*Variæ lectiones V. T...*, Parmæ 1784-88).

196. Jam si conferantur biblia hebraica vulgata cum antiquissimis versionibus et recensionibus ante et post Christum factis, cum doctorum ex judæis et christianis citationibus, cum ipso contextu aliisque adminiculis in re critica adhibendis, præsertim laudatis variantibus, patebit nullam factam in illis fuisse corruptionem substantialem; quod de temporibus Christum præcedentibus affirmant Origenes, Hieronymus et Augustinus, nec a J. C. aut Apostolis unquam judæi hujus corruptionis accusati fuere. Nonnullæ vero lectiones a versione græca et vulgata latina discrepantes, quas ut corruptiones certa scientia factas a judæis in odium religionis christianæ aliqui traducunt, ut Serarius, Bomfrerius, Mariana aliique; potius ut meræ variantes spectandæ sunt, et legibus criticis definiendum quæ sit optima lectio. Præcipuæ sunt, ob non leve pondus notandæ: Ps. XXI, 17 *foderunt* manus meas.., hebr. כארי, *sicut leo* (conf. n. 694); Zach. IX, 9 veniet tibi justus et *salvator*, hebr. נושע, *victor;* Ps. XV. 10 *sanctum tuum*,

hebr. חסידיך, sanctos tuos; Is. LIII, 8 *percussi eum*, hebr. probabiliter נגע למות, *morte percussi*, ut legerunt LXX, pro hodierna נגע למו. Si quæ sane res explorata ac prorsus demonstrata manet, est quidem veneratio qua hebræi nullo non tempore, sed præcipue post captivitatem, suas Scripturas ut *sacras et divinas* prosequuti sunt. «Quanta porro veneratione, inquit Josephus, libros nostros prosequamur, re ipsa apparet. Cum enim tot jam secula effluxerint, nemo adhuc adjicere quidquam illis, nec demere, nec mutare ausus fuit. Sed omnibus nobis, statim ab ipso nascendi exordio, hoc insitum atque innatum est, Dei ut hæc esse præcepta credamus, iisdemque constanter adhærescamus, et eorum causa, si opus fuerit, libentissime mortem perferamus.» *(Cont. Apion.* I, 8). Sana autem ratio rectusque sensus adulterationes, additiones vel substractiones eorum documentorum, quæ religiosa veneratione digna habentur, admittere prohibet, nisi demonstratione omnino ineluctabili fulciantur; quæ quidem a nemine prorsus facta est nec fiet inter christianos nec inter incredulos. (Conf. alibi dicenda de authentia Pentateuchi, librorumque histor. V. T.). Ex quibus constat hebraicum textum hodiernum adhuc textum originalem esse, ac proinde consulendum, quoties latina, aliæque versiones implicatum aut obscurum sensum dare videntur; ea tamen lege, ut hebraica lectio non coeco impetu præferatur, sed juxta sanæ criticæ regulas, cum leviores errores librariorum causa in textum non irrepsisse paradoxum sit. Quæ pro adulteratione textus hebraici afferuntur a nonnullis Patribus, vel falsis notitiis nituntur, vel ad lectiones variantes, vel demum ad versiones Symmachi, Aquilæ et Theodotionis græcas, cum septuagintavirali non plene cohærentes, referri debent.

CAPUT VII.

Historia, valor et usus textus samaritani.

197. Præter hebraicum textum alius est etiam originalis, samaritanus dictus, codex nempe Pentateuchi hebrai-

cus, characteribus samaritanis descriptus, in Europa sæpe jam typis mandatus, et a Samaritanis adhuc Neapoli Syriæ, (Naplusa) omni diligentia ac veneratione custoditus. Sunt autem hi samaritani residui eorum populorum, qui cuthæi et etiam samaritani dicti sunt, paulo post captivitatem decem tribuum Israelis ab Assaradone missi ad terram illam pene desertam habitandam; qui cum antiquis incolis pauperibus ibi relictis unum populum constituentes, judæis ex captivitate reducibus adjungere se tentarunt, quin votum explere possent; unde magnum odium et perpetuæ inimicitiæ utrumque populum semper in posterum separarunt. Cum etiam Manasses, summi pontificis Jaddi frater, qui uxorem dimittere noluit Sanaballat Horonitis filiam, sacerdotio exspoliatus fuisset, in Samariam se recepit, templumque construxit in monte Garizim, duobus sæculis permanens, usque ad Hircani tempora, ubi mosaica sacrificia peragebantur. Hinc disputant eruditi quo præcise tempore samaritani populi suum Pentateuchum obtinuerint, duplexque datur sententia, paulo latius discutienda, ob non levem utilitatem pro vel contra Pentateuchi mosaici antiquitatem, genuinitatem et integritatem ex illa proveniente. Quidam enim, cum Gesenio, nonnisi ab hoc Manasse Pentateuchum obtinuisse populos samaritanos tempore Alexandri Magni putant; alii vero communiter apud decem tribus post roaboamicum schisma semper librum hunc mansisse cogitant a temporibus Salomonis, ac proinde apud plebem a Salmanassare relictam, vel saltem a sacerdote illo, quem misit Assaradon, ex captivitate adsportatum Pentateuchum fuisse, non vero ex judæis receptum. Prima opinio iis momentis fulcitur: 1.° Liber Moysis a judæis ad samaritanos a Manasse adsportari *potuit* (nullum enim monumentum id reapse factum fuisse demonstrat); 2.° decem tribus nullum ordinatum cultum habuerunt ante et post captivitatem assyriam, nisi post ædificatum templum Garizim; 3.° in ipso Pentateucho samaritano mons *Garizim* pro monte *Hebal* ponitur, quod post Manassem sacerdotem confectum fuisse evincit; 4.° demum id ipsum probat analogia historica. Ast 1.° possibilitas alicujus eventus nihil aliud quam possibilitatem evincit, non realitatem; 2.° nullum Jehovæ cultum *ordinatum* decem tribubus fuisse, fatemur quidem; nullum vero cultum Jehovæ, *non ordinatum*, pluribus su-

perstionibus et idololatria foedatum, nullam item legis mosaicæ cognitionem apud Israel post Salomonem exstitisse prorsus inficiamur, ipsa historia biblica suffulti, ut statim videbimus; 3.° si lectio *Garizim* genuina non esset, quod non pauci contradicunt, falsatum esse codicem in quacumque sententia admittere cogimur; hæc vero interpollatio locum habuit post templum Garizim fundatum, eodemque modo fierit potuit sive samaritani Pentateuchum habuissent ante Mannassis adventum, sive non habuissent; 4.° *analogia historica* vox quædam est, non demonstratio; *monumenta* vero *historica*, si non prorsus evincunt contrariam sententiam, valde probabilem saltem et omnino admittendam suadent. Nam α) post scissionem regni opera Jeroboami factam, odium et simultas nationalis numquam non utrumque populum disjunxit, nec nisi inter aulas regias utriusque populi ad tempus concordia facta est, a prophetis acriter improbata (conf. 2 Par. XIX, 2; XX, 37). Odium istud vehementissime inceptum (3 Reg. XII, 16, 18), frequentibus bellis fotum, schismate religioso præsertim a regibus Israelis quæsitum fuit (3 Reg. XII, 26-33); ita ut quicumque ex regno Israelis legem servare vellet, in regnum Juda transire, aut occulte Hierosolymam petere cogeretur (Tob I, 5-6). Post reditum vero e captivitate babylonica, notum est quantum simultas creverit inter utrumque populum; cujus rei innumera documenta suppeditant libri Esdræ et Nehemiæ, nec non Ecclesiasticus, qui ait (L, 27, 28): «Duas gentes odit anima mea, tertia autem non est gens, quam oderim: qui sedent in monte Seir et Philisthiim, *et stultus populus qui habitat in Sichimis*»; ac demum ad Christi tempora perdurasse constat ex Joan. IV, 9. Verum quidem est partem populi, qui a Salmanassare residuus fuerat, prædicationem audiisse eorum qui ab Ezechia et Josia missi sunt, ut has populi reliquias patriæ religioni adjungerent; sed id factum fuit «illis irridentibus et subsanantibus eos», nec nisi «*quidam viri* ex Asser et Manasse et Zabulon, acquiescentes consilio, venerunt Jerusalem» (2 Par. XXX, 10-11); viri autem Israel qui fecerunt magnum pascha cum Josia, non alii fuerunt quam «qui reperti fuerant ibi» (2 Par. XXXV, 17), nempe ex paucis illis qui in regnum Juda se receperant Salmanassarem fugientes, vel postea cohortante Ezechia. Istud vero odium

tam acerbum, tamque diuturnum, samaritanum populum impedivit quominus a judæis acciperet codicem religiosum, atque ut divinum opus veneraretur et custodiret; eo vel magis, quod populus jam ante Manassis adventum Deum coleret ejusque religionem cognosceret et custodiret, etsi non absque superstitionis idololatricæ admixtione; quod ex ejusdem conatu se adjungendi judæis templum reædificantibus constat, nec aliter explicari potest cur iste Manasses religionem mosaicam ipsis obtrudere tentavit ac perfecit. β.) Deinde, si Alexandri temporibus samaritani Pentateuchum receperunt ¿cur non etiam cæteras Scripturas, psalmos in solemnitatibus religionis decantandos, libros historicos, prophetas, omnes denique libros hebraicum canonem constituentes pariter acceperunt et venerati sunt? Nulla igitur probabilitate id asseritur, plura vero indicia docent Pentateuchum, aut semper apud plebem relictam ab assyriis mansisse, etiam durante captivitate, aut a sacerdote illo, quem misit Assaradon, ex israelitis captivis adsportatum fuisse. Equidem apud pauperem plebeculam a Salmanassare relictam librum legis mansisse non ego contendam; præsertim, quia cuthæi populi ex eo discere potuissent *legitima Dei illius regionis*, nec opus fuisset Assaradoni præcipere, «*dicens: ducite illuc unum de sacerdotibus quos inde captivos adduxistis*, et vadat, et habitet cum eis, et doceat eos legitima Dei terræ» (4 Reg. XVII, 27). Sed tunc adsportatum fuisse Pentateuchum constat ex eo quod non aliter sacerdos ille docere potuit *cultum et legitima Jehovæ*, quod tamen fecit, quamvis superstitiones idololatricas abolere nequivit (conf. 4 Reg. XVII, 28-41; Esdr. IV, 2). Ad id vero perficiendum a judæis librum legis emendicasse et gratis assereretur, et improbabiliter ob inveteratum odium prædictum, et nulla necessitate, cum Pentateuchum apud decem tribus fuisse constet, nec ratio appareat quare non aliquos saltem psalmos a judæis pariter non acceperit, ad *legitima Dei* rite peragenda, populumque samariticum cultui religioso facilius dandum valde opportunos. γ) Quod autem decem tribus Pentateuchum habuerint a schismatis tempore ad captivitatem assyriam, exinde patet, quod 1.° eamdem fere cum populo judaico constitutionem socialem, politicam, easdem leges, consuetudines, mores, easdem religiosas cæremonias servarent, iis tantùm exceptis quæ a

regibus mutata sunt, ad politicam utriusque populi separationem fovendam; 2.° quod plurimi fuerint prophetæ Israelem objurgantes ob legem non *undequaque rite adimpletam*, nusquam vero ob mosaismum prorsus desertum; 3.° quod multi semper fuerint inter israelitas homines pii, qui *non curvaverunt genua sua ante Baal*; 4.° quod tempore pessimorum regum, v. g. Achab, cultus Jehovæ cum idolorum cultu mixtus servaretur, quod luculentissime constat ex historia Eliæ (3 Reg. XVIII, præsertim vv. 21-22); 5.° quod plures essent sacerdotes locorum excelsorum, ubi, etsi non rite, vero tamen Deo cultus fiebat; nec Jeroboamum objurgant in hoc libri sacri, nisi *quia non erant de genere levitico*, sed quisquis ex infima plebe in sacerdotem initiabatur manuum unctione; 6.° demum ex Elisæi historia discimus Jehovam Deum Israel fuisse (4 Reg. V, 11, 16-18), scholas prophetarum extitisse (ib. 6), aliaque hujusmodi sexcenta in decem tribuum historia leguntur, cultum et religionem mosaicam servatam fuisse demonstrantia, licet idololatria, superstitione et neglectu plurium rituum adulteratam a populo, non tamen a prophetis veris et piis hominibus. Hæc autem omnia qui fieri poterant absque libro legis? ¿Quomodo *filii prophetarum* instruebantur nisi lectione et meditatione Pentateuchi? Ergo apud ipsos mansit, et in Assyriam adsportatus fuit indeque revertit in patriam, ope sacerdotis illius ab Assaradone missi. Hinc novimus cur solum Pentateuchum samaritani servent, quia nempe antecessores sui in religione, populus nempe Israel, nullum posteriorem librum receperat, nonnisi a Davide, Salomone, aliisque viris ex Juda scriptum aut vulgatum, vel etiam a Samuele, Davidis parti addictissimo, ob idque decem tribubus inviso. Pentateuchus igitur samaritanus originalis textus est, quemadmodum et hebraicus, nec alter ex altero desumptus est; quod non impedit quominus aliquando textus alicujus collatio juxta alterum facta sit, atque ita explicari possent lectiones illæ variantes, quæ ex una littera hebraica pro alia simili accepta (ח pro ה) procedere dicuntur. Quæ quidem lectiones paucissimæ sunt, pluresque aliæ differentiæ inveniuntur, vix explicandæ, si textus samaritanus ex hebraico demum circa Alexandri tempora desumptus fuisset. Quamvis ut propriam sententiam candide aperiam, id teneo: Pentateuchum nempe sa-

maritanum ipsum veterem hebraicum esse, in quo tamen forma litterarum antiqua, quadratæ similis, qualis in inscriptionibus assyriis et babylonicis reperta nostris temporibus est, et characteribus siclorum machabæorum valde affinis, eum *typum fixum*, quem characteres a judæis post Esdram in Bibliis adhiberi consueti, numquam obtinuit, sed mutationes subiit scripturæ cursivæ proprias, donec formam accepit, quam dicunt, samaritanam. Nempe scriptura quadrata a tempore esdrino *fixa* mansit, quasi sacra apud judæos atque tantum in Bibliis conscribendis, non autem apud samaritanos, nec apud judæos in scriptis profanis; proinde scripturam quadratam antiquæ propinquiorem quam samaritanam credo, utrumque vero textum hac sola ratione, et lectionibus variantibus inter se diferre. Quod si hæc sententia de litteris quadratis semper adhibis ab hebræis in rebus sacris, et ab Esdra quadam fixa forma calligraphica donatis, quæ postea religiosa veneratione servata est, non placeat (conf. *Annales Phil. christ*, a. 1864), pronum erit has variantes lectiones explicare affinitate pronuntiationis unius alteriusque litteræ, aliisque rationibus et causis, unde variantes lectiones in libros antiquos nunquam non irrepere solent. Quod si textus samaritanus ab hebraico in chronologia differt et versioni alexandrinæ magis concordat, ideo est quia veriorem lectionem retinet antiquam, ut jam apud plurimos convenit, vixque sententia opposita cum historia profana genuina concordat. Cum vero aliunde constet hunc textum integrum perseverare (ex citationibus Orig., Euseb., Hier., Cir. alex., aliisque), nec nisi eas lectiones variantes præseferre, quæ naturaliter in antiquissimum librum irrepere necessum est; patet magnam esse hujus textus auctoritatem, ac rationibus criticis decernendum quæ optima sit, inter lectiones ab hebraico textu, græco et latino discrepantes.

Præter dictum Pentateuchum habent samaritani versionem ejusdem proprio idiomate aliamque arabicam; alia item scripta, ut chronicon a Josue, ut ipsi dicunt, conscriptum, longe tamen a libro Josue diversum. Anno 1853 numerabantur 40 familiæ et 130 personæ legi mosaicæ addictissimæ, sub summo sacerdote Salaméh, cujus genealogia (juxta ipsum) *ad ipsissimum Aaron assurgit* per 111 generationes (conf. ejusdem supplicationem, *Annales*... t. 47).

CAPUT VIII.

Character linguæ et styli librorum N. T.: autographa: modus quo scribebantur: codices unciales, stichometrici, minusculi, &c.: divisiones textus, interpunctiones: capita et versus.

198. Libri omnes N. T. græca lingua scripti sunt, exceptis Evangelio Matthæi et Epistola ad hæbreos (de quibus suis locis), quorum tamen textus originalis deperditus est, græcusque pro originali habetur. Græca N. T. lingua dialecto alexandrinæ magis quam puro græcorum idiomati similis est; aramaismis permultis referta, ut pote a viris judæis et judæorum libris assuetis, adhibita; demum popularis simplexque, a fuco et elegantia styli græcorum culti longe aliena. Neque hoc reprehendendum est a quopiam prudenti; viri enim illiterati (Act. IV, 13) religionem christianam prædicaverunt, librosque N. T. ediderunt, populo et omnis generis et conditionis hominibus accommodandos. Cum populus edocendus et suadendus est, lingua populi necessario utendum; cum autem id, quod docetur, religio nova et supernaturalis est, ita populo assimilatur, illumque ita agit, ut omnia nova faciat, linguam, ingenium, mores, statum politicum et socialem. Aliunde Dei consilio factum est ut Apostoli in suis prædicationibus et scriptis humana adminicula ut plurimum negligerent, *ne crux Christi evacuaretur*, ut loquitur Paulus, id est, ut religionis propagatio uni gratiæ divinæ adscriberetur, non eloquentiæ aut philosophiæ meritis. Dicam plane: res in N. T. comprehensæ profundissimæ, sublimissimæ, prorsusque divinæ, simplicibus et popularibus verbis, stylo candoris pleno, ab omni rethorum arte abhorente, scribendæ erant; quod, dum factum est, lectorem rapi, miraque et coelesti vi intimius agi experimur; nec nisi sciolis, qui sensum æstheticum garrulis scholarum præceptis et stupida profanorum admiratione foedarunt, displicere potest. Ea igitur lingua, qua populus post Alexandrum uti consueverat, libri N. T. scripti sunt, prout unicuique auctorum familiaris erat; innumeris vocibus et constructionibus aramaicis referta; nusquam longioribus

periodis oratoriis constans, sed brevibus et symmetricis clausulis, conjunctione *et* sexcenties copulatis. Ridiculum ergo foret N. T. linguam et stylum defendere et laudibus extollere, comparatione facta cum græcis romanisque oratoribus et poëtis; cum potius ad orientalem eloquentiam accedat, et quamlibet cum classicorum arte comparationem repellat. Græca opera romanaque eloquentia splendida quidem et pulchra in suo genere sunt; Evangelia vero, parabolæ, sermo Christi in monte habito, divina.

199. Autographa Apostolorum et evangelistarum opera temporis lapsu et christiani populi conventibus liturgicis usu perierunt; quædam vero adhuc Tertulliani ætate exstitisse verisimillimum est, saltem ejusdem Tertulliani judicio. Nam ille quidem ait (*De præscrip.* 36) «percurre ecclesias apostolicas, apud quas *ipsæ adhuc catedræ* Apostolorum suis locis præsidentur (id est, honorifice servantur ipsæ materiales sedes, in quibus sedentes Apostoli docere populum consueverant), apud quas *ipsæ authenticæ litteræ eorum* recitantur, sonantes vocem et repræsentantes faciem uniuscujusque. Proxima est tibi Achaia, habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses, &c.» Hic vero agere Tertullianum de textu græco, per oppositionem ad latinum, solum probatur alio ejusdem auctoris loco (*de Monog.* 11), quo manifeste de versione non recta agit, ideoque non simpliciter provocat ad *authenticum*, sed hoc modo: «sciamus plane non sic esse in *græco authentico* quo modo in usum exiit, per duarum syllabarum aut callidam, aut simplicem eversionem» (alludit ad 1 Cor. VII, 39). Ast in laudato superius loco ad ipsa autographa provocare constat 1.° ex comparatione cum «*ipsæ sedes Apostolorum*;» 2.° ex locutione jurisconsulti propria, qua *authenticum scriptum* dicitur autographum, dum apographum comprobatione indiget; 3.° ex adversariis quos ferit, nempe marcionitas (conf *contr. Marc.* IV, 5) aliosque hæreticos, scripturas adulteratas et corruptas fuisse blaterantes, non vero versionem tantum africanam; 4.° demum, vox *ipsæ* non quodlibet exemplar græcum designat, sed ab ipsis scriptoribus sacris exaratum; alioquin necesse non erat ad eas ecclesias adversarios mittere, quæ unumquodque scriptum receperant, sed ad quamlibet ecclesiam principalem, quæ totius N. T. exemplar be-

ne custoditum haberet. Quod denique arguit Lamy, Tertullianum non provocare Marcionem ad textus *authenticos* consulendos, dum corrupta N. T. scripta asserebat, laudato textu refellitur, cum *Præscriptionum* liber omnibus hæreticis, et marcionitis præsertim refutandis scriptus sit; deinde argumentum esset negativum, ac demum id facit Tertullianus generatim de catholicorum et marcionitarum doctrina disserendo. Quæ de codice S. Joannis autographo Ephesi servato ætate Petri alex. dicuntur (311), prout in chronico alexandrino legitur, firma non sunt; falsum autem quod de codice S. Marci veneto, latino sermone conscripto, vulgatum aliquando fuit.

200. An omnes librorum N. T. auctores, sicut de Paulo certum est (Rom. XVI, 22), amanuensibus uterentur non constat, aliquæ vero epistolæ propria auctoris manu fuerunt exaratæ (Philem. 19; 2 Joan, 13), et quidem charta et atramento (2 et 3 Joan.; 2 Tim. IV, 13). Simile vero est, in longioribus saltem libris, amanuensibus usos fuisse, quos dicebant *tachigraphos*, quorum scripturæ a *librariis* nitidius et clarius exarabantur, imo quandoque elegantius a *calligraphis*. Hæc prima exemplaria mittebantur iis ecclesiis vel personis, quibus primum destinata erant; indeque transcribebantur, ut cæteris ecclesiis totique populo christiano inservirent. Quare facile menda et lectiones variantes exoriebantur, quæ, quin rei substantiam attingerent, vetuit facilis collatio cum primo exemplari, vel cum illis quæ majori cura in archiviis præcipuarum ecclesiarum servabantur; præsertim cum zelus fidei integre servandæ, et veneratio erga sacros codices, ausus eorum corrumpendorum, sive pia fidelium fraude, sive temeraria hæreticorum audacia, cadere incasum cogerent.

201. Libri sacri scribebantur a calligraphis litteris uncialibus, quas vocant, nempe majusculis, formam rotundam aut quadratam habentibus, nullo nexu ligatis, omnibusque ejusdem magnitudinis, si initiales excipias, saltem in aliquanto posterioribus codicibus. Scribebantur autem continua serie, absque separatione vocabulorum et signis punctuationis orthographicis; unde locus dabatur diverso legendi modo, diversisque periodorum separationibus (v. g. Philip. I, 1; pro σὺν ἐπισκόποις nonnulli PP. legebant συνεπισκόποις; Phil. II, 4 pro ἕκαστοι σκοποῦντες codex G legit ἑκάστοις κοποῦντες; Luc. XXIV, 34 pro ὤφθη Σίμονι codex L ait ὤφθης ἡμῶν). Sic celebre comma Joan. I, 3-4 nonnulli PP. legebant: «et sine ipso factum est nihil. Quod factum est in

ipso vita erat...» Quem legendi modum Chrisostomus hæresim dixit; sequutus vero est Augustinus, post Iren. Clem. alex., Orig. &c., et longam inde ratiocinationem texuit pro suo systemate metaphysico. Cum autem hac legendi diversitate facile abuti possent ac reipsa abuterentur hæretici, ut ex Tertulliano (*Cont. Marc.* V, 11) et Clem. alex. (*Strom.* III, 4) discimus; aliqua interpunctionis signa adhiberi coeperunt a SS. PP., primum in libris V. T., ut Origene et Hieronymo, et in nonnullis codicibus adhuc exstantibus; postea vero sic dicta *stichometria* ab Euthalio presbytero alex. in epistolis paulinis, actibus Apostolorum, ac demum epistolis canonicis adhibita fuit circa annum 462. En exemplum huyus distributionis e cod. H (ad Tit. II, 2; conf. Lamy):

Πρεσβυτας νηφαλιους εἰναι
σεμνους
σωφρονας
ὑγιαινοντας τη πιστει
τη αγαπη
τη υπομονη
πρεσβυτιδας ωσαυτως
εν καταστηματι ἱεροπρεπεις
μη διαβολους
μη οινω πολλω δεδουλωμενας
καλοδιδασκαλους

Cum autem talis scribendi ratio magnam chartæ jacturam faceret, non multo post quilibet *stichus* per lineolam vel punctum sejunctus est, atque ita fere paulatim hodierna interpunctio nata. Ita disposita videtur in cod. K, v. g. (Mat. II, 21): ὁ δε ἐγερθεις. παρελαβε το παιδιον. και την μητερα αὐτου. και ηλθεν εἰς γην Ἰσραηλ.

Cum in conventibus christianorum sacris libri N. T. cum prophetis legerentur (Just. apolog. I. 67), divisiones eorum inventæ sunt similes illis, quas *paraschas* et *haptaras* in pentat. et proph. judæi fecerant (conf. 191); quæ quidem dictæ sunt *anagnosmata* et *pericopes*, et jam IV sæculo fixæ erant pro singulis diebus festis (Aug. præf. in 1 Joan.). Euthalius, S. Athanasii jussu, in 57 lectiones divisit Acta, epistolas catholicas et paulinas, nempe in 16, 10 et 31 pericopes. Evangelia item vel ante ipsum, vel ab ipso in

totidem 57 partes distributa sunt. Aliquibus in locis, ut in Gallia, mos invaluit legendi non totam seriem librorum N. T., sed certa ac determinata loca, quorum ollectio postea locum dedit *evangelistariis* et *praxapostolariis*, nempe *lectionariis* ex evangelio vel actis apostolicis desumptis. Aliæ insuper factæ sunt divisiones, e quibus celebriores sunt, quæ dicuntur per κεφάλαια et τιτλους, id est, *per capita* et *summaria*. Illa inventa sunt ab Ammonio (222-250) ad suam harmoniam texendam, quam *Monotessaron* dixit, et ab Eusebio adhibita, ac methodo inveniendi loca parallela adornata, vocantur *canones Eusebii*. Auctor distributionis per *titulos* seu *summaria* incognitus est, sæculo IV posterior, sectionesque ab eo inventæ longiores multo sunt, quam ammoniaca capita, et Math. in LXVIII, Marc. in XLIX, Luc. in LXXXIII, Joan. in XVIII partes distribuit, quibus præmisit brevem indicationem rei in qualibet sectione contentæ, unde nomen *titulorum* descendit. Nonnulli codices nulli ex iis divisionibus conveniunt. Hodierna distributio in capita et versus, sicut et fixa punctuatio, nonnisi inventa typographia adhibita fuit, sed eo modo quo supra diximus de hebraico textu, nempe capita ab Hugone de S. Caro, versus a Roberto Stephano primum in editione vulgata, deinde in quarta ed. græca ad marginem, ac demum a Beza in corpore adhibiti sunt anno 1565.

CAPUT IX.

Causæ variantium lectionum librorum N. T.: quantæ sint hujusmodi variantes lectiones: præcipuæ textus antiquæ recensiones: codicum familiæ: præcipua exemplaria adhuc exstantia: codex sinaiticus: adnotatio circa escurialenses: præcipuæ editiones græci textus: apparatus et editiones criticæ.

202. Ex dictis ratio apparet variantium lectionum, quæ in diversis codicibus, versionibus et Patrum allegationibus inveniuntur, quæque nuspiam fere rei substantiam attingunt; licet earum comparatio non levem utilitatem afferat

sensum genuinum sacr. librorum investigantibus. Præcipuæ harum variantium causæ fuerunt: 1.ª defectus interpunctionis et separationis vocabulorum, ut superius attigimus; quæ deinde interpunctio ex sensu traditionali et modo legendi Patribus consueto adhibita fuit, non arbitriario inventa; 2.ª defectus et oscitantia amanuensium, qui, aut non bene audiebant dictantem, aut litteras confundebant in lectione originalis, aut versum aliquem omittebant, præsertim propter similem desinentiam vel initium, aut aliis denique modis, sicut non raro evenit; 3.ª immutatio orthographiæ ac formarum grammaticalium, quæ quidem levis est, sed frequentissima, præsertim in nominibus propriis. Quidam amanuenses hebraismos emendarunt, quidam litteram addiderunt, secundum proprium pronunciandi modum, quod litteræ ν sæpe accidit; 4.ª correctiones exegeticæ aliquando ab sciolis factæ, qui mendum emendare putabant, dum ipsi decipiebantur, propterea quod rationem quarumdam anomaliarum in libris N. T. apparentium, propter linguam stylumque peculiarem, non intelligebant; vel etiam quia loca prima fronte secum pugnantia aut fidei adversa sibi videbantur, ac emmendare aliquando ausi sunt, quod aliqui Patres irrident, ac debita animadversione corrigunt. Aliquando etiam amanuenses vocabulum addere consueverunt, ut sensus clarior fieret; vel etiam, adnotatis locis parallelis ad marginem, aliqua verba ex uno in aliud evangelium transierunt. Has autem variantes lectiones rei substantiam in historia, aut fide, aut moribus non attingere, evidentissime constat ex tot hodiernis criticis laboribus, præsertim ex præstantissima editione critica 7.ª et 8.ª D. Tischendorf.

203. Ob has tamen variantes lectiones jam sæculo 3.º factæ sunt *textus recensiones* a viris doctis alexandrinis ubi scientiæ tunc potissimum florebant. Tales fuerunt labores Origenis circa V. T. alexandrinum, atque etiam Hesichii et Luciani, quorum posteriorum editiones versionis alexandrinæ V. T. multum laudantur a Hieronymo, non ita tamen editiones evangeliorum, quas pauci tantum receperunt (Hier. *Ad. Ruf.* XI, 27, *Præf. in evang.*]; unde in sic dicto decreto Gelasii legitur: «Evangelia quæ falsavit Lucianus apocrypha... Evangelia quæ falsavit Hesychius, apocrypha;» quare Hieronymus suam editionem vulgatam adornavit juxta exemplaria iis antiquiora. Quæ autem fuerint hujusmodi

recensiones, qualemve influxum in posteriora exemplaria habuerint non certo cognoscitur.

204. Ex diversis codicum, versionum, et citationum classibus, pro eorum similitudine confectis ab eruditis hominibus, natæ sunt *familiæ codicum*, a Millio, Bengelio, Semlero, Griesbachio, Eichornnio, latius evolutæ, præsertim ab Hug et Scholz; qui omnes sese mutuo digladiantur in constituendo eorum numero et auctoritate, ingenio potius quam monumentis ducti, judicio C. Tischendorf, in re ista longe omnibus præferendo. Non tamen recusat eruditus homo distinctionem familiarum *alexandrinæ*, *asiaticæ*, *byzantinæ* et *latinæ*, dummodo non nimium ipsis tribuatur, atque reipsa in sua editione critica 7.ª potius antiquitati codicum quam familiæ concedit. Si ratio habeatur status Alexandriæ in litteris florentis et de puritate sacri codicis sollicitæ, longe ante quam editio byzantina Eusebii cura adornaretur; congruum erit plus auctoritatis tribuere iis codicibus et lectionibus, qui ab ecclesia alexandrina procedunt, quique, ut plurimum, vulgatæ nostræ multo sunt proximiores, quam qui e Constantinopoli veniunt, pluresque numero sunt. Hinc discimus quare tot sint codices græco-latini, quorum græcus textus magis quam vulgatus accedit ad versionem latinam; quin necessarium sit Erasmo concedere textibus istis factas fuisse correctiones juxta vulgatam: quo magis res critica procedit, eo magis fidelitas vulgatæ latinæ, ejusque cum antiquissimis exemplaribus conformitas demonstratur.

205. Antiquissimi codices manuscripti qui supersunt alii litteris uncialibus constant, alii minusculis. Primi ad sæculum 10^{m} perveniunt, suntque ante stichometriam inventam exarati, vel durante ea, vel demum post ejus desuetudinem. Posteriores a 10^{o} ad. 16 sæculum decurrunt. Cum ad criticam textus literalem, et ad intelligentiam eorum quæ disputant eruditi, de relativa horum codicum præstantia, et genuina textus lectione, opus sit aliquali eorum notitia; pauca hic transcribuntur de modo eos designandi, antiquitate, re contenta, loco ubi servantur, judicio denique D. Tischendorfii circa illorum valorem. Ita ea designat in præfatione et in toto corpore suæ editionis criticæ 7æ (octavam nondum videre potui):

PRO EVANGELIS;

ℵ. Sinaiticum (vide n. 207.)

A. Alexandrinus, sæc. 5.^{o}, complectititur V. et N. T., excepto Mat.

I, 1—XXV, 6 et Joan. VI, 50—VIII, 52, servatur Londini in Musæo britannico: magnæ autoritatis.

B. Vaticanus, medio sæc. 4°: V. et N. T, exceptis Gen. I, 1—XLVI, 28; ps: CV, 27—CXXXVII, 6; Heb. IX, 14 usque ad finem, una cum epist. ad Tim., Tit., Philem., et Apocalypsi: Romæ: summæ auctoritatis.

C. Codex Ephremi, medio sæc. 5°: fragmenta tantum evangeliorum: Parisiis.

D. Cantabrigiensis: medio sæc. 6°: evangelia et Actus, cum fragmento latino 3 Joannis: valde concordans cod. B: Cantabrigiæ.

E. Basileensis, medio sæc. 8°: evangelia (exceptis Luc. III, 4—15; XXVI, 47 ad finem): Basileæ.

F. Boreeli, nunc Rheno-trajectinus: sæc. 9°: evangelia mutila: Trajecti ad Rhenum.

F.ª Coislinianus: loca 20 ex evang., actis et epist.: sæc. 7° ineunte: Parisiis.

G. Andr. Seidelii, 9° vel 10° sæc.: evangelia mutila: Londini Musæo britan.

H. Seidelii, nunc Hamburgensis: 9° vel 10° sæc. ineunte: evangelia mutila: Hamburgi.

I. Petropolitanus: constat 7 fragmentis ex totidem codicibus, quorum tres priores 3° sæc., quartus et septimus 6°., demum quintus et sextus 7°: fragmenta evang. actuum et epistol.

K. Regius parisiensis 63, medio sæc. 9°: evangelia integra: Parisiis.

L. Regius parisiensis 62; sæc. 8°: evangelia integra paucis exceptis: Parisiis.

M. Regius parisiensis 48: post medium sæc. 9ᵐ: evangelia integra: Parisiis.

N. (antea I N Γ, quia tres codices diversi existimati sunt); medio sæc. 6ᵉ: Γ. fragmenta Mat., E. fragm. Mat. et Luc., I. fragm. Joan.; Γ. Romæ, N. Vindobonæ, I. Londini.

Nᵇ Musæi brit., sæc. 4° labente; fragmenta 4 ex Joan. cap. XIII et alia 4 cap. XVI; Londini.

Oˢ, Oᵃ, Oᵇ, Oᶜ, Oᵈ, Oᵉ sæc. respective 9°, 8° vel 9°, 9°, 6°, 7° et 9°: fragm. Joan. in Oˢ, canticum Mariæ Virginis in Oᶜ, cum cant. Zacariæ in Oᵃ et Oᵇ, ac demum etiam Simeonis in Oᵈ et Oᵉ: servantur Moscoviæ, Guelferbyti (Wolfenbuttel), Oxonii, Veronæ, in Psalterio Turicensi ac denique Sangallensi bibliotheca.

P. Guelpherbytanus, sæc. 6°: fragm. quatuor evangeliornm: Guelpherbyti.

Q. Id , sæc. 5°: fragmenta Lucæ et Joan.; ibidem.

R. Musæi brit. ex monast. coptor. nitriensi; sæc. 6°; fragm. 25 evang. Lucæ; Londini.

S. Vaticanus n. 344; anno 949; evangelia integra; Romæ.

T. Borgianus, sæc. 5°; Joan. VI, 28—67; VII. 6—VIII, 31, cum versione sahidica; Romæ.

Ts. Woidii, sæc. 5°; Lucæ XII, 15—XIII, 32; Joan. XIII, 32—42: editus a Woide.

U. Venetus, sæc. 9° exeunte vel 10° incip.; evangelia integra: Venetiis.

V. Mosquensis, sæc. 9°: evangelia, exceptis Joan. VII. 39 ad finem: Moscoviæ.

Wa. Parisiens. duo folia, sæc. 8°: duo fragm. Lucæ: Parisiis, bibl. imperial. 314.

Wb. Neapolitanus, Borbonicus, sæc, 8°: fragm. Mat. Marc. et Lucæ: Neapoli.

Wc. Sangalliensia tria folia: sæc. 9°: fragm. Marci. et Lucæ: Saint Gall in Helvetia.

X. Universitatis Monachensis, sæc. 9° exeunte vel 10° incip.: fragm. evangeliorum.

I. Barberinus, sæc. 8°: Joan. XVI, 3—XIX, 41: editus a Tischendorf.

Z. Dublinensis, sæc. 6°: fragm. Matthæi.

Γ Oxoniensis, ex Ægypto adsportatus; sæc. 9°: Lucam, fere totum Marcum, fragm. Mat. et Joan.: Oxonii, in bibl, bodleyana.

Δ Sangallensis, græco-latinus, sæc. 9°: evangelia integra, præter Joan. XIX, 17—35: S. Gall.

Θ Tischendorfianus, sæc. 7°: quatuor Mat. fragm.: Monachi.

Λ Oxoniensis, a Tischendorf ex Oriente allatus; sæc. 8°: Lucam et Joanem: Oxonii.

PRO ACTIS APOSTOLORUM.

A. B. C. D. Fa. I. iidem qui pro evangeliis, sub eadem littera.

E. Laudianus, græco-lat. stichom., sæc, 6.°: integra Acta, præter XXVI, 29—XXVIII, 26: Oxonii.

G=L Bibliot. Angelicæ, ad summum sæc. 9°: a cap. VIII, 10 ad finem: Romæ.

H. Mutinensis, sæc. 9°: a cap. V, 28 ad finem, quibusdam exceptis; Mutinæ.

PRO EPISTOLIS CHATOLICIS.

A. B. C. G=L (ut supra).
K. Mosquensis, sæc. 9: integras: Moscoviæ, ex monte Atho adsportatus.

PRO EPISTOLIS PAULINIS.

A. B. C. F[a]. I. K. (ut supra) L. idem qui G=L (ut supra).
D. Claramontanus, græ-lat. stichom.; sæc. 6.° cum correctionibus 6,[i] 7.[i] &c: integras epistolas, paucis fragm. exceptis; maximæ auctoritatis: Parisiis: editus a Tischendorf.
E. Sangermanensis, descriptus ex præcedenti; parvæ auctoritatis; ætate dubia: S. Petersburg.
F. Augiensis, græco-latinus, sæc. 9.° caret epistola ad Hebæos et Rom. 1, 1-III, 18; Cantabrigiæ.
G. Boernerianus, sæc. 9.; valde affinis F: caret iisdem fragm. aliisque paucis: Dresde.
H. Coislinianus, sæc. 6.°: continet tantum fragmenta; Parisiis; editus a Tischendorf.
M. Codex duobus fragmentis constans, nempe, Hebr. 1, 1-IV 3 et XII 20 ad finem, quæ servantur Hamburgi: atque 1 Cor. I, 15-62 et 2 Cor. X, 13-XII, 5, quæ sunt Londini: magnæ auctoritatis habetur pro his fragmentis.
N.[c] Moscoviensis, sæc. 6.° continet Hebr. X, 1-3, 32-34, 35-38; Moscoviæ.

PRO APOCALYPSI:

A. C. (vide pro evang.).
B. Vaticanus num. 2066. sæc. 8.°: integrum: Romæ: editum ab Angelo Maï.

206. His accedunt codices minusculi plus 500, evangelistaria circiter 250, e quibus fere 60 literis uncialibus exarata; item pro actibus et epist. catholicis plus 200, pro paulinis plus 300, pro apoc. fere 100; qui omnes sacri thesauri a viris criticis semel iterumque adhibiti sunt ad primitivum Sacri Codicis textum quam fidcliter redintegrandum. Eorum diligenti collatione constat, quod jam animadvertimus, nonnisi levioris momenti variantes lectiones inveniri, sive in antiquissimis codicibus, sive in recentioribus, Sacrorum Librorum versionibus

ac Patrum allegationibus; unde ineluctabile assurgit argumentum pro veneratione, qua christiani Sacros Libros semper prosequuti sunt, ac proinde omni fidelitate et integritate ad nos usque transmiserunt. Idem eruitur argumentum ex ordine quo libri N. T. in iis codicibus, præsertim antiquioribus, continentur: tres nempe in partes distribui solebant, evangelia (fere semper eo quo apud nos ordine), actus apost. cum epistolis catholicis et apocalipsi, ac demum Pauli epistolas. Iis libris nonnunquam adjungebantur alia piorum hominum scripta, ut epistola Barnabæ, Clementis, Pastor Hermæ &c.; sed in fine, ut pote quæ legebantur quidem in ecclesiis, non vero ut libri sacri habebantur. Pauca admodum exempla contraria non regulam lædunt sed firmant; sicut etiam pauca illa monumenta quæ aliquam epistolam, v. g. Hebræorum, aut non habent (quod pluribus de causis evenire potuit), aut in finem cum libris ecclesiasticis reservant.

207. Demum codex Sinaiticus=ℵ=Sin. in monasterio S.tæ Catharinæ montis Sinai non ita pridem a Tischendorf repertus et vulgatus, et sæculo 4.° descriptus, iis, quæ diximus, immensum addit pondus sua integritate et concordantia cum B., seu vaticano, aliisque melioris notæ, ac cum præstantissimis versionibus, vulgata præsertim. Continet universum N. T. cum epistola Barnabæ integra, parte libri *Pastoris*, et pluribus V. T. libris. Jam editus est, et originalis servatur Petropoli.

Lubet hic adnotare in cathalogis codicum manuscriptorum a Scholz et Tischendorf adhibitis, non omnium, qui in escurialensi bibliotheca asservantur, codicum græcorum mentionem fieri. Allegantur ab illis evangelistaria tria uncialia, nempe illud quod servatur inter sacras reliquias (sæc. juxta ipsos 11°, sed ex domest. trad. 5.°), ac ea quæ sunt notata ℵ jjj 12 et 13. Item ex minusculis allegant 8 sæc. 11^{i}, 12^{i}, 13^{i}, et 14^{i}: sed etiam alii 9 inveniuntur ejusdem temporis in thecis nunc 86, 88, 92 et 93. Allegati a Tischendorf inveniuntur nunc num. 90, 91 et 92.

208. Græcus N. T. textus non prius typis mandatus fuit, quam quum Card. Ximenez de Cisneros polyglottam complutensem edere cogitavit; ac reipsa perfecit anno 1514, pontificatus Leonis X primo. Quia tamen publici juris factus non fuit, nisi post totam poliglottam absolutam (anno 1517) ac a Pontifice approbatam (anno 1520); ideo editio Erasmi ut prima editio quæ publice prodierit habetur, quam absolvit a. 1516, repetiitque an. 1519, 1522, 1527 ac 1535. Codices adhibiti ad utrumque opus non admodum antiqui erant, et familiam *byzantinam* repræsentabant. Quæ in

proœmio biblior. polyglot. dicuntur de adhibitis antiquissimis manuscriptis vaticanis, de V. T. tantum intelligi debent, ut jam inter eruditos convenit, ac documentis comprobavit C. Vercellone in notis ad editionem cod. B. a Maio confectam. Insuper aliqui editorum lapsus et correctiones juxta latinam editionem efecerunt ut editio complutensis, licet, pro tempore illo, litterarum hispanicarum et academiæ complutensis decus et gloria immortalis, minoris pretii nunc habenda sit. Idem fere dicas de editione Erasmi, quam juxta codices basileenses non magnæ auctoritatis adornavit, iisdem fere lapsibus laborante, et similibus correctionibus ex aliis codicibus, aut etiam (in 4.ª et 5.ª edit.) ex edit. complutensi desumptis. Robertus Stephanus aliam perfecit ad complutensis fidem an. 1546 et 1549; postea vero (an. 1550) ad erasmicam fere quintam. Hanc paucis mutatis repetiit Beza (1565), ac dein Elzeviri (1624), qui secundam editionem (1633) commendabant sub nomine *textus recepti*, quo in posterum appellatæ sunt quotquot juxta edit. Elzevir. innumeræ prodierunt.

209. Textus *receptus* quidem, sed non *geninus* demonstratus est a pluribus collatione facta cum antiquis codicibus aliisque subsidiis criticis, ad primam veramque lectionem Librorum N. T. investigandam. His collationibus innumeræ adnotatæ sunt dictiones a *textu recepto* discrepantes ac etiam inter se; quarum dictionum catalogus appellatur *apparatus criticus*. Præcipui usque nunc stantes sunt elaborati a Walton (1657), Fell (1675), Mill (1707), Wetstein (1751), Alter, Birch, Matthaei, Griesbach (1774, 1796, 1806), Scholz (catholicus, 1830 et 1836), Lachmann (1831, 1842, 1850), Buttmann (1856), Muralt (1848), Bloomfiel (1850) ac demum Tischendorf, de antiquitatibus biblicis N. T., licet protestans, optime meritus, quapropter S. P. Pius IX benigne eum est gratulatus.

Quæ potiorem utilitatem et tironibus ot professoribus afferre possunt ex laboribus innumeris viri hujus sunt: *Novum Testamentum græce*, editio paris. (Didot, 1852) ad vulgatam nostram accommodata et Mgr. Affre dicata (hæc non præsefert opiniones criticas editoris, ac nomine Jager falso vulgatur): item *editio academica* lipsiensis, *Novum testamentum græce et latine* (latina versio hieronymianum textum donare intendit), *Vetus Testamentum juxta 70 Interpretes*, ac præsertim *Novum Testamentum græce, ed. 7ª stereotypica major*,

et alia *minor* (tironibus imo et professoribus sufficiens). Omnia hæc veneunt Lipsiæ hoc prætio: 1, $^1/_2$, 6, 12 $^1/_2$ ac 2 scutis nostris; omnia etiam cum reliquis Tischendorfii operibus veneunt Parisiis, apud Durand. Nunc in lucem edit codicem vaticanum B (etiam ex mandato S. P. perfecta similitudine editum) et octavam ed. criticam, præ 7.ª consulendam, ut pote quæ editur post multos novos labores, et post codicem Sinaiticum repertum. In editione 7.ª ommittit *auctor protestans* Joan. V, 4; VIII, 1-11; 1 Joan. V, 7; nonnulla male perturbat, ut Rom. 9, 5, aut minus recte legit, nostra sententia, v. g. Act XX, 28, ubi legit κυρίου pro θεοῦ, *Domini* pro *Dei*.

CAPUT. X.

Versionum utilitas. Versio alexandrina, ejusque auctoritas et indoles: aliæ versiones græcæ antiquæ: labores origeniani: græci textus V. T. editiones.

210. Quæ et quanta sit versionum, præsertim antiquarum, Sacræ Scripturæ utilitas interpreti infra n.° 693 demonstrabitur, ob eamque, ac simul ob illarum pondus criticum et apologeticum præcipua hic subjicimus, quæ de hoc argumento commodiora sunt. Perspicuum est majoris faciendas esse versiones, quæ immediate e textu primitivo prodierunt, ceteris paribus, quam mediatæ, et antiquiores quam recentiores.

211. Ex utroque capite gravissimum pondus habet versio alexandrina V. T. *septuaginta interpretum* dicta, quæ tertio ante Christum sæculo in Ægypto prodiit, quaque deinde constanter usi sunt judæi hellenistæ, plurimum item palæstinenses græcam linguam callentes, ut de Fl. Josepho constat, Christus et Apostoli, qui non semel eam laudant, etiam cum a textu hebraico differt, Ecclesia deinde fere universa, nempe græca et latina, una cum versionibus ex alexandrina procedentibus, ut fecerunt syri et armeni, copti et ætiopes, arabes, iberi et slavi, omnesque latini per plura sæcula, et adhuc etiam circa nonnullos libros.

Pentateuchus hujus versionis originem habuit tempore Ptolemæi Philadelphi (284-247), forte illis duobus annis, quibus patri adhuc regnanti adjunctus fuit (a). Alii V. T. libri postea translati sunt eodem sæculo, atque a diversis interpretibus, cum anno ante Christum 131, quo versio libri Ecclesiastici facta est, (b) jam reliqui omnes græce versi essent et vulgati, ut ex hujus libri prologo constare videtur. Complectitur hæc versio omnes libros canonis hebraici, omnes item deuterocanonicos, una cum iis qui græce primum scripti sunt; atque dicitur LXX interpretum ex eorum numero rotundo, cum juxta primævam traditionem non 70, sed 72 huic operi manum admoverint. Nempe ex cujusdam Aristæi, qui se regis Ptolemæi Philadelphi ὑπεράσπιστὴν gloriatur, epistola (cujus genuinitas a multis repudiata fuit, recenter autem defenditur gravibus argumentis ab Oiconomos atheniensi et Grinfield anglo), rex ægyptius a Demetrio Phalereo instigatus libros legis mosaicæ noscere desideravit, eosque postulavit ab Eleazaro summo pontifice hierosolymitano. Petioni consensit pontifex, ac elegantissimum codicem misit una cum 72 viris utraque lingua peritis, sex nempe ex unaquaque tribu, quos benigne Philadelphus excepit atque in magnam domum circa mare conjecit, ubi simul et communi consilio et labore Legem interpretati sunt feliciter, quam reliqui judæi ægyptii magno plausu et veneratione exceperunt. Hæc ille longe persequitur ac forte quibusdam adjunctis minus veris ornat; sed factum ipsum testatur Aristobulus Ptolemæi Philometoris magister, de quo 2 Mach. I, 10 fit mentio, item pro certo sumit Josephus, Philo a omnes dein Ecclesiæ Patres. Imo Aristobulus ille jam ante Alexandrum magnum græce versam fuisse Legem memorat, et a græcis philosophis notam, quod incertum est. Philo deinde addit 72 interpretes 36 cellulis fuisse inclusos, ut seorsim mandatum explerent, qui a

(a) Nam aliqui tempore Ptolemæi Soteris id factum fuisse testantur, aut in patris ac filii gratiam; denique si verum sit Hermippi historici testimonium, Philadelphum nempe Demetrio Phalereo infensum fuisse atque exilio mulctasse statim ab adepto regno, quod inconcussum non est; adhuc antiqua traditio locum habere posset, iis nempe duobus primis annis Ptolemæi Philadelphi.

(b) Si non 230, conf. dicenda de hoc libro.

Spiritu Sancto afflati, stupendo miraculo omnia verterunt omnimoda consonantia, ita ut nec in sententiis, nec in verbis vel minimum discreparent. Deinde S. Justino martyri testati sunt judæi ægyptii cellulas fuisse 72, quibus singuli interpretes inclusi sunt, earumque rudera in Pharos insula ostenderunt. Sunt nempe hæc fabulæ, quibus præcipuum factum a popularibus ornatum est, ex quibus eas hausit Justinus et ex illo ac Philone Thalmud et Patres, qui passim unam vel alteram ex iis narrationibus susceperunt, etiam cum quibusdam aliis adjunctis; unde ad divinam hujus versionis inspirationem admittendam moti sunt. Quod nec omnes faciunt, nec tamquam traditionis ecclesiasticæ testes; ac passim etiam admittunt omnes judæorum libros tunc fuisse interpretatos, cum tamen Aristæus, Philo, Josephus, totaque judæorum schola de solo Pentateucho id tenerent. Unde, cum ipsa versione inspecta hoc certum omnino appareat, juvat in hac re Hieronymum audire, Sacrarum Scripturarum doctorem maximum, qui hæc asserit: *(in Ezech.*. V, 12) «et Aristæas et Josephus et omnis schola judæorum quinque tantum libros Moysi a LXX translatos asserunt: *(præf. in Pent.)* nescio quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandriæ *mendacio suo* exstruxerit, quibus divisi eadem scriptitarent, quum Aristæas et Josephus nihil tale retulerint.» Vero nobis simile videtur judæos plurimos Ægypti incolas postquam græcæ linguæ assueti, maternam fere obliti sunt, translationem authenticam Legis desiderasse; quibus ut obsequium hoc præstaret Philadelphus, ac suo litterario amore et Demetrii Phalerei consilio motus, factum quod ex Aristæa narravimus complevit; cui deinde accessit ex alexandrinorum judæorum privato studio et opera reliquorum librorum interpretatio; unde in diversis libris diverse converteruntur eædem voces et phrases, aliique characteres inveniuntur diversorum hominum laborem demostrantes.

212. Facta est hæc versio in communem dialectum (κοινή) alexandrinam, et singulæ ejus partes diversum prætium habent: Pentateuchus satis feliciter et, quibusdam exceptis, fideliter versus est et perspicue: alii libri magna ex parte nimis serviliter, præsertim psalmi, atque sæpius discrepat versio ab originali. In libris historicis quandoque apparent manifesti defectus atque omissiones, transpositiones et

additiones, ut etiam in Job, Esther, Jeremia et Daniele (a). En quædam Hieronymi testimonia: *[hebr. quæst.]* «Libros Moysis nos quoque confitemur plus quam cæteros cum hebraicis consonare; *[præf. in Hier.]*: ordinem visionum qui apud græcos et latinos omnino confusus est, ad pristinam fidem correximus; (ep. 57. al. 101, 11): Longum est nunc revolvere, quanta LXX de suo addiderint, quanta dimiserint; *[in Hier.]* hucusque in LXX non habetur, cætera, in quibus vel singuli versus, vel pauca ab iis prætermissa sunt verba, victus tædio annotare nolui; *[in Ezech.]* vulgata ejus editio non multum distat ab hebraico; *[quæst. hebr.]*: cum illi Ptolemæo regi mystica quæque in Scripturis Sanctis prodere noluerint, et maxime ea, *quæ Christi adventum pollicebantur*, ne viderentur judæi et alterum Deum colere quos ille Platonis sectator magni idcirco faciebat, quia unum Deum colere dicerentur; *[præf. in Is. et Pent.]*: illi interpretati sunt ante adventum Christi, et, quod nesciebant, dubiis protulere sententiis.» Ex quibus omnibus (quandoque aliquantulum exaggeratis ut adversariis responderet et propriam interpretationem commendaret: venia tanti viri id dictum sit) patet magna ex parte indoles hujus versionis, et opinio Hieronymi circa ejusdem divinam inspirationem, quam alicubi videtur admittere *[præf. in 2 Par.]*, sed sensu lato, nisi secum pugnare dicas. Auctoritas namque hujus versionis non indiget miraculo, sed ex ejus antiquitate et auctoribus procedit qui et *optimos codices* adhibere debuerunt, *sensum traditionalem verborum* callebant, vivente adhuc synagoga et nondum cum christianis pugna incepta, et *religiosa veneratione erga Sacra Biblia ferebantur;* unde eam existimationem nactus est eorum labor, quam supra diximus, et denominatio *vulgatæ* orta est quam ei Hieronymus tribuit.

(a) Videntur LXX nimium cauti in vertendis phrasibus anthropomorphiticis (v. g. Ex. XXIV, 10 pro *viderunt Deum Israel*, vertunt *viderunt locum ubi stetit Deus*, quod multo magis in Onkelos ocurrit): exempla interpretationis nimis servilis habes ps. VIII, 6: XVIII, 11; XX, 13 &c.; omissionis Prov. XVIII, 23; XIX, 1-2; XX, 14-19; XXIII, 23 (deficiunt in antiquis mss.); additionis Job. II, 9; XLII, 17; Prov. I, 7; IV, 17; transpositionis Prov. XV, 27...; XXIV, 23...; Jer. XXV, 15....

213. Judæos ea etiam usos fuisse diximus, et ætate Tertulliani adhuc utebantur; sed christianorum argumenta pro dignitate Christi messianica enervaturi, vulgatæ fidelitatatem impugnare coeperunt et alias 2.° jam sæc. fecerunt, nempe, Aquila ponticus (Ακύλας) primam, literæ nimium adhærentem et a judæis magni habitam (a), Theodotion ephesinus secundam alexandrinæ similem, vel potius hujus recensionem et correctionem (b), Symmachus e samaritano judæus, dein christianus, ac demum ebionita, dedit tertiam sub Severo, elegantiorem quidem et liberiorem. Hos omnes carpit Hieronymus eo quod multa *subdole interpretati sunt*, nempe ut vim argumentorum christianorum imminuerent, ut in celebri loco Is. VII, 14 ubi vocem עַלְמָה verterunt νεᾶνις *puella*, pro παρθένος *virgo*; numquam tamen apertæ infidelitatis arguit, quod aliqui Patres faciunt, ut supra indicatum est. Tres aliæ fuerunt librorum saltem poëticorum versiones anonymæ, ab Origene in exaplis insertæ.

214. Ex communi versionis alexandrinæ usu plura in eam irrepserant menda et variantes lectiones, unde non parva incommoda chistianis oriebantur, præcipue in controversia cum judæis; quam ut aliquid saltem imminueret Origenes, ejus recensionem immensa sua eruditione perfecit, ac deinde editionem *tetraplarem* et *exaplarem* condidit, in aliquibus libris *octaplarem* et *enneaplarem*. Editio alexandrina ab Origene recensita *exaplaris* dicitur, antiqua vero communis, κοινή. Erant *Tetrapla* editio textus LXX, cui e regione respondebant editiones Aquilæ, Symmachi ac Theodotionis; quas omnes præcedebat in *Exaplis* duplex editio textus hebraici, literis nempe hebraicis et græcis, omniaque diversis columnis erant disposita. En parvum specimen e Lamy desumptum:

(a) Hunc vocat Hieronymus *contentiosum interpretem*, qui non solum verba, sed etymologias usque verborum transferre conatus est; tempore Hadriani vixit.

(b) Sub imp. Commodo floruit, ejusque interpretatio Danielis a christianis accepta est, alexandrina rejecta.

	Τὸ Ἑβραϊκὸν	Τὸ Ἑβραϊκὸν	Ἀκύλας	Σύμμαχος	Ο	Θεοδοτίων
Gen. I, 20.	ויאמר אלהים ישרצו המים שרץ נפש חיה ועוף יעופף על-הארץ על פני רקיע השמים	Ουιωμερ ελωειμ ισρεσου αμαιμ σαρες ναφες αια ουωφ ιεωφεφ αλ-ααρες αλ φανη ρακια ασαμαιμ	Καὶ εἶπεν ὁ θεός. ἐξερψάτω τὰ ὕδατα ἑρπετὰ ψυχῆς ζώσης, καὶ πετηνὸν ἱπτάμενον ἐπὶ τῆς γῆς, ἐπὶ πρόσωπον τοῦ στερεώματος τοῦ οὐρανοῦ	Καὶ εἶπεν ὁ θεός. ἐξερψάτω τὰ ὕδατα ἑρπετὸν ψυχὴν ζῶσαν, καὶ πετηνὸν πετόμενον ἐπὶ τῆς γῆς, κατὰ πρόσωπον στερεώματος οὐρανοῦ. καὶ ἐγένετο οὕτως.	Καὶ εἶπεν ὁ θεός. ἐξαγαγέτω τὰ ὕδατα ἑρπετὰ ψυχῶν ζωσῶν, καὶ πετεινὰ πετόμενα ἐπὶ τῆς γῆς, κατὰ τὸ στερέωμενα τοῦ οὐρανοῦ, ÷ καὶ ἐγένετο οὕτως:	Καὶ εἶπεν ὁ θεός. ἐξερψάτωσαν τὰ ὕδατα ἑρπετὰ ψυχὰς ζώσας, καὶ πετηνὸν πετόμενον ἐπὶ τῆς γῆς, κατὰ πρόσωπον στερεώματος οὐρανοῦ. καὶ ἐγένετο οὕτως.
Ps. VIII, 4.	אראה שביך	ερεε σαμαχα	ὄψομαι τοὺς οὐρανούς σου.	ὄψομαι τοὺς οὐρανούς σου.	ὄψομαι τοὺς οὐρανούς * σου:	ὄψομαι τοὺς οὐρανούς σου.

Nempe in editione LXX quædam resecuit inter hæc signa contenta (÷ ad:), eaque juxta textum hebraicum; quædam vero addidit ex Theodotione ita signata (* ad:): hæc signa vocat Hieronymus *veru* et *stellulam* usque ad *duo puncta*, quibus signis ipse pariter usus est in recensione textus latini. Editio origeniana pluris semper quam communis habita fuit, et edita demum sunt fragmenta quæ supersunt, a Montfaucon, præcipue vero a Drach, inter opera Origenis edit. Migne, servata forma exaplari, juxta transcriptum specimen.

215. Præcipuæ editiones textus græci juxta optima manuscripta prodierunt 1.° a Sixto 5.°, Romæ 1587 et novissime a Card. Mai 1857, juxta codicem B. pluribus tamen lapsibus partim a Vercellone correctis, ac novissime ipse codex editus est jussu Pii IX, servata ipsa codicis forma. Similiter editus est codex A. ab Henr. Hervej Baber, Londini 1816-28, et codex ℵ a Tischendorf, Petropoli 1862. Prima omnium editio fuit polyglotta complutensis, post quam edita est aldina Venetiis, anglicana a Grabe (Oxonii 1707-20), ac cum lectionibus variantibus ab Holmes et Parsons (Oxonii 1798-1827). Editiones manuales: Leander Van Ess (Lipsiæ 1824); ex exaplari codice chigiano Simon de Magistis (1772); ex cod. B. Jager parisiensis (1839), Hahn (Lipsiæ) ac denique Tischendorf, cujus 3.ª editio prodiit 1860 optimis prolegomenis et variantibus ornata, cum libro Danielis ex versione LXX addito, ipseque aliam curat editionem codicis B.; aliæ demum diversis in locis podierunt, quæ in citatis prolegomenis tischendorfianis videri possunt, præter posteriores anno 1860 codicis B editiones.

CAPUT XI.

Necessitas versionis latinæ brevi orta: ætas et indoles versionis *Italæ*: hujus recensiones variæ aliæque versiones: *Itala* in Italia non in Africa facta est: ejus usus ad 8m fere sæculum: præcipui codices manuscripti et typis vulgati.

216. Statim ac christiana religio prædicabatur ubique

locorum et quosdam proselytos acquirebat, jam sacris Bibliorum libris opus erat ad pleniorem neophitorum instructionem ac præsertim ad divinum cultum peragendum. Hoc autem difficulter omnino perfici poterat libris ignota lingua conscriptis; tunc tamen in sacris christianorum conventibus ii legebantur, et a pastoribus viva voce explicabantur (conf. locum Papiæ infra num. 444). Id ipsum contingere debuit in occidentalibus romani imperii partibus, Italia, Gallia, Hispania, Africa. Erat quidem notissima græca lingua, sed eodem fere modo quo nunc gallica apud nos; nempe culti homines ea utebantur, ac græce scribere solebant, quemadmodum e. g. sæculis 13-15, imo posterioribus, circa scientifica opera religionem spectantia in tota fere Europa factum est; sed minime id evincit a populo communiter intellecta fuisse hujusmodi opera, prout nunc communiter non callet gallicam linguam, utut vulgatissimam, quæque passim a viris literatis etiam in privatis colloquiis adhiberi solet, sicut græca a romanis tempore Juvenalis. Nihil igitur evincit pro vulgari usu græcæ linguæ in occidentali imperio romano aut irrisio notissima Juvenalis, aut evangelium Marci, opera Irenæi aliaque id genus græce scripta. Certe ecclesiæ christianæ homines eruditos et nobiles complectebantur, sed potissimum populares et illiteratos, ut semper fit; ac proinde maxime intererat, ut sacros libros in publicis conventibus religionis causa adhiberi solitos, propria lingua conscriptos haberent, ut reipsa factum ubique est. Immo satis vulgatus, quem diximus, græcæ linguæ usus, Romæ ac reliquis florentibus civitatibus exstitisse tantum videtur, non autem in minoribus urbibus, in pagis, ac universim in superiori Italia, Gallia, Hispania et Africa; unde opera Irenæi statim latine translata sunt, et hac interpretatione jam utitur Tertullianus. Ergo populus latinus libris latinis indigebat. Jam vero evangelium per has regiones celeriter fuisse propagatum res historice demonstrata est, et florentissimus ecclesiæ africanæ status sæculo secundo labente (an. 190) quem ex Tertulliano novimus (quæ quidem ecclesia a romana fuit condita, ex eodem Tertulliano *Præscrip.* 36; Aug. *ad Glor. Eleus. ep.* XLIII, 7; Greg. M. *ad Domin. ep.* I, 8; num. 33), id ipsum plene demonstrat; quod pariter de ecclesia hispanica dici debet sicut et de gallica, ut innumera monumenta testantur. Statim ergo a

conditis evangeliis, imo ante quam totum N. T. absolveretur (conf. ep. ad Rom.), jam erant ecclesiæ latinæ, quæ difficulter omnino græcis libris in suis conventibus uti poterant, atque inde orta necessitas versionis latinæ.

217. Hæc ante medium sæculum 2.^m facta est, cum ea non semel utatur Tertullianus, tamquam *in usu* jam posita, imo interpres librorum Irenæi eamdem adhibet, ut pote qui fixo quodam modo testimonia Scripturarum latine allegare consuescit. Sic Tertullianus ait *(de monog.* 11): «Sciamus plane non sic esse *in græco authentico* quomodo *in usum exiit..; (adv. Prax.* 5*)* ideoque *jam in usu est nostrorum*, per simplicitatem interpretationis, sermonem (λόγον) dicere in primordio apud Deum fuisse; (*cont. Marc* 5. 4.) quæ sunt allegorica, id est, aliud portendentia; hæc sunt enim duo Testamenta, sive duæ ostensiones, *sicut invenimus interpretatum:*» ipse denique eodem modo Scripturæ testimonia profert. Hæc est versio latina *Itala* proprie dicta; posteriores namque auctores generatim *italam* vocant versionem latinam antehieronymianam, quasi unica tantum fuisset, quod ex ipso nomine, et appellatione *Vulgatæ*, et Augustini testimoniis constat falsum esse. Ex hoc Tertulliani testimonio et alio Augustini mox subjiciendo, ac denique ex veneratione erga sacros libros et scopo eorum qui illos interpretabantur, planum est conjicere præcipuum characterem hujus versionis *in simplicitate interpretationis* positum fuisse; nempe interpres nihil aliud curabat quam verbum verbo reddere, quatenus conceptuum perspicuitas id permitteret; minime vero sollicitus fuit de elegantia, neque de nimia linguæ puritate, præsertim cum aliqua interpretari deberet quæ vocibus latinis exprimi non poterant. Ob id factum est, ut multi eam perficere tentarent, et alias etiam versiones edere; siquidem in libris polemicis non semel vulgatam versionem deserere cogebantur, ipsosque græcos textus adhibere, ex quibus illa originem sumpserat, nempe ex versione alexandrina et græcis exemplaribus N. T.

218. Multæ igitur prodierunt recensiones et, quidquid multi cum Wissemano dicant, *veræ interpretationes* independenter a vulgata factæ. Hoc demonstrat locus S. Augustini (*de doctr. christ.* cap. 11), ubi, postquam cum paucis græcis interpretibus (loquitur de Aquila, Symmacho, &c.) innumeros interpretes latinos comparaverat, qui statim «ac

in manus venit codex græcus, et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguæ habere videbantur, ausi sunt *interpretari*,» (hæc per hyperbolem dicit, ac simul jungit *proprie* dictas *interpretationes* cum *recensionibus*); pergit, et post multa docet (cap. 14) inter codices «*ex uno dumtaxat interpretationis genere venientes*,» præferri debere emendatos non emendatis; et (cap. 15) «*in ipsis autem interpretationibus Itala ceteris præferatur, nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ.*» Certum præterea est S. Hilarium vocare *translatores* eos, qui libros sacros verterant, ex quibus aliqui psalmos vocaverant *hymnos* (in Ps. 54); denique fatentur quidam adversæ sententiæ patroni, ut Reusch, Hieronymum peculiari versione usum fuisse in citando Sapientiæ libro; quod saltem circa quosdam libros pariter de S. Cipriano cum Augustino comparato conjicere licet. Igitur non una tantum versio latina ætate Augustini erat, imo multo ante; sed una erat quæ *Itala* dicebatur, *vulgata*, *communis*, quæ proinde præcipuam auctoritatem etiam in Africa obtinebat, et *exacta verborum translatione cum perspicuitate sententiæ* distinguebatur, quod nonnisi translationi ex ecclesia matrice adsportatæ *unde ipsa doctrina commeavit* (Tertul.) perfecte convenire potest.

219. Omnia ergo suadent in Italia confectam fuisse primam hanc simplicemque Bibliorum editionem latinam, quam posteriores christiani bene multi corrigere tentarunt (quod sæpe facit Tertullianus in suis libris polemicis) ac novas versiones adornare: unde *tot exemplaria* orta sunt, *quot codices*, ut non sine stomacho scribebat Hieronymus, ac certe ab illa simplicitate ac rusticitate primæ versionis *Italæ* aliena. Aliunde argumenta omnia linguistica, quæ affert eminentissimus Card. Wiseman pro origine africana hujus versionis (quæ *italæ* nomen ex quadam recensione in Italia facta obtinuisset), multiplici eruditione et incredibili patientia confutavit Dr. P. Gams, benedictinus monachiensis (a). Igitur nulla remanet ratio *versionem italam*, quæ in ecclesis africanis juxta dicta, præcipuam auctoritatem nacta est, et in hispanicis ætate romana et gothica constanter adhi-

(a) In præstantissimo opere germanico: *Historia ecclesiæ hispanæ*, ex quo caput hæc pertractans olim interpretatus sum hispanice, ac ineditum servo.

bita, unde aliud argumentum pro re nostra assurgit; nulla, inquam, ratio remanet hanc versionem auctori africano tribuendi, sed ex Italia Africam ivit una cum fide christiana. Antiquissima ergo est, et, ob ejus literale interpretandi genus, maximi prætii in re critica.

220. Hac versione usa est ecclesia occidentalis ad tempora Hieronymi, ac post eum ad octavum fere sæculum una cum Vulgata nova, in qua etiam magna ex parte antiqua servatur, sicut etiam in missalibus et breviariis gothicis hispanis, et in romano ea Missæ parte quæ dicitur *graduale;* multa præterea manuscripta magis minusve complete eam continent. Præcipua sunt: Vercellense a, sæc. 4, veronense b, sæc. 4 vel 5, colbertinum c, sæc. 6, palatinum e, sæc. 4, cantabrigense d, sæc. 6, corbeiensia ff^1 ff^2 antiquissima, claromontanum, nunc romanum, aliique multi codices «Dei beneficio servati sunt, ait Tischendorfius, hujus versionis antiquissimæ et in re critica gravissimæ.» Eam colligere tentavit ex Patrum allegationibus ac variis codicibus Nobilius Flaminius, deinde perfectius Sabathier; Blanchini edidit cod. veron., vercell., corbej. et Brixianum; Kipling cantabrigiensem; Tischendorf clarom., palatin. et laudianum; Scrivener augiensem, alia denique fragmenta Munter, Ranke et Vercellone.

CAPUT XII.

Labores S. Hieronymi: quibus constat *Vulgata* latina versio: critici labores circa eam: codices manuscripti versionis hieronymianæ horumque editiones: editiones præcipuæ *Vulgatæ*: Ecclesiæ cura pro integritate sacri Textus.

221. Cum ex frequentissimo antiquæ vulgatæ usu ac plurima correctorum turba innumeri essent defectus, lectiones variantes, additiones et menda, sub fine sæculi 4^{i} ejus correctionem suscepit Hieronymus, eruditissimus Patrum omnium, si forte Origenem excipias, quem tamen, præter ortodoxiam, in hebraicæ linguæ cognitione superavit. Laborem

hunc jussu Damasi P. R. suscepit quoad evangelia (an. 383), atque ita perfecit, ut non omnia corrigeret quæ emendari poterant «ne multum a lectionis latinæ consuetudine sua correctio discreparet, et ita calamo temperavit, ut, his tantum quæ sensum mutare videbantur correctis, reliqua manere pateretur ut fuerant» *(præf. in evāng.)*; quod deinde cum reliquis N. T. libris fecit, ut ipse asserit: «novum Testamentum græcæ fidei reddidi,» quod de solis evangeliis accipere vetat ep. XXVII ad Marcellam, ubi quædam a se emendata commemorat in epistolis paulinis. Correxit deinde psalterium juxta textum græcum editionis communis, κοινή, quod dicitur psalterium romanum; ac mortuo Damaso iterum correxit juxta editionem exaplarem (an. 389). Certum præterea videtur totum V. T. pariter emendasse; cum enim Rufinus eum traduxisset tamquam LXX parum obsequentem, respondet (libr. III, cap. VII) non ipsum auctoritatem LXX contemnere «quorum editionem quam diligentissime emendatam ante annos plurimos meæ linguæ hominibns dedi;» id ipsum asserit ep. LXXI ad Lucinium, CVI ad Sunniam et Fret. et CXXXIV ad Augustinum; hujus tamen emendationis labor periit, excepto libro Job, et ex libris in nostra vulgata servatis, Psalterio dicto gallicano, ac, ex parte, libris deuterocanonicis, quos ipse non interpretatus est. Emendationem hanc perfecit in V. T. juxta textum exaplarem, saltem magna ex parte; in N. T. «codicum græcorum emendata collatione, sed veterum; quæ (nempe evangelia de quibus loquitur, non *exemplaria græca*, quod multi post Hug prave intelligunt), ne multum a lectionis latinæ consuetudine discreparent, ita calamo temperavimus... &c.» (v. supra). His non contentus (præsertim ut judæis subterfugiendi locum non relinqueret in suis cum christianis disputationibus), totius V. T. versionem ex hebraico fonte suscepit, ac succesive perfecit ab anno 390 ad 406, et librum Tobiæ et Judith ex chaldaico pariter vertit, multis huic labori detrectantibus et, ut ipse loquitur, oblatrantibus, præsertim Rufino et Palladio, ob idque passim in prologis propriam defensionem suscipere cogitur. Uterque tamen labor hieronymianus, præstans quidem et admirabilis, a doctioribus passim receptus fuit, cum S. Agustino, qui tamen scandala plebis timens et diversitatem ecclesiæ orientalis et occidentalis, in propria dioecesi publice non admisit, private adhi-

buit; satis vero ostendit se maluisse correctissimam totius Bibliæ emendationem juxta textum græcum, quam proprie dictam versionem ex hebræo. Gregorius magnus asserit ecclesiam romanam suo tempore utraque versione uti antiqua et nova seu hieronymiana; Isidorus autem hispalensis (an. 630) hanc in omnibus ecclesiis legi; quod forsitan de ecclesiis hispanicis est tantum intelligendum, ubi statim propagata fuit ope Licinii episcopi, qui sex amanuenses in Palæstinam misit, ut versionem Hieronymi transcriberent; imo psalmi et libri prophetici statim in græcam linguam a Sophronio conversi sunt. Paulatim ergo nova versio antiquæ suffecta est, manentibus ex postrema libris, aut non a Hieronymo conversis, aut non usu receptis, ut libro psalmorum, qui numquam recipi potuit in publica liturgia ob universalem psalmos antiquos decantandi morem.

222. Constat igitur vulgata versio nostra libris protocanonicis V. T. a Hieronymo translatis (excepto libro psalmorum, cujus loco adest qui ex veteri vulgata correctus ab ipso fuit juxta editionem græcam exaplarem), libris etiam Tobiæ ac Judith e chaldæo interpretatis, libris Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum, Baruch et epistola Hieremiæ, pariter ex veteri itala a Hieronymo correcta, additamentis ad libros Estheræ et Danielis ex versione Theodotionis ab ipso Hieronymo translatis, toto denique N. T. ex veteri vulgata ab eodem emendata.

223. Ex hujus novæ editionis usu simul cum antiqua, plurima prodierunt exemplaria pene mixta, valde mutata, mendis plena, aliisque nævis, quæ manum correctricem postulabant. Hanc jam adhibuit seculo VI Casiodorus, VIII Alcuinus jussu Caroli Magni ipseque imperator juxta antiquiores textus; sed hæc correctio in rebus tantum orthographicis et grammaticalibus versabatur, unde prodierunt biblia dicta Alcuini ac Caroli Magni. Seculo XI idem tentarunt Lanfrancus, Petrus Damianus, Francus, Olpertus, Gandolphus (conf. Patrol. lat. Migne t. CXLV, 334; CLX, 585; ib. 625; Hist. litter. de la France t. IV, 19; VII, 118; IX. 374); seculo 12° Stephanus cisterciensis et Nicolaus cardinalis; deinde institutæ sunt congregationes ad id perficiendum, unde prodierunt *correctoria biblica*: biblia nempe quæ in margine ferebant lectiones variantes et criticas adnotationes, aut etiam harum variantium et adnotationum

collectiones, ope manuscriptorum, ac testibus etiam originalibus collatis, adornatæ. In iis notiora sunt *correctorium patrum dominicanorum* omnium primum, Parisiis factum, quem secuti sunt Albertus Magnus, S. Thomas, aliique plurimi; *correctorium sorbonicum*, post primum editum, *correctorium senonense*, quod forte fuit *correctorium franciscanorum; correctorium ab anonymo concinnatum seculo 14°* forte a Bacone juxta P. Vercellone, qui plura de hoc argumento habet, summam horum operum utilitatem ostendit, præsertim postremi, ac ipse denique post Lucam Brugensem (*notationes in S. Biblia, quibus variantia discrepantibus exemplaribus loca discutiuntur*, 1580) eximium opus edit Romæ, sub hoc titulo: «*Variæ lectiones Vulgatæ latinæ Bibliorum editionis*, cum prætiosis de hac re prolegomenis, inceptam 1860.

En specimen hujus veluti Vulgatæ editionis *masoræ* ex *correctorio parisiensi*: passim in margine legitur, *est de textu—non est de textu—vera est littera—falsa est littera*. Sic in Luc. II, 2 «hæc descripto facta est a præside Syriæ Cirino»..... adnotat: *græca littera non habet* a, *et planior hic et verior est* (nec Hieronymum eam adposuisse credo); in Mat. XXVII, 35 legebatur circa allegationem Isaiæ in quibusdam *correctoriis*: «Id in antiquis exemplaribus adscriptum non fuisse, atque apud solum Joannem haberi.» Hæc correctoria, una cum antiquissimis codicibus versionis hieronymianæ, non semel adhibita sunt ad textum Vulgatæ restituendum, præcipue ab editoribus complutensibus, Erasmo, Roberto Stephano, theologis lovaniensibus, Christophoro Plantino, ac præsertim sapientibus illis correctoribus, qui Romæ per quadraginta fere annos, ab absoluto tridentino concilio ad annum 1592 minutissimis collationibus et patientissimis laboris dediti sunt ut optatum finem assequerentur. Eorum autem omnium labores diversum exitum habuerunt, ob diversos in hac re propositos canones; quod certum præsertim est de duabus romanis congregationibus et a Sixto V et a Clemente VIII huic negotio destinatis.

224. Denique nostris diebus textum hieronymianum summa diligentia conquisitum edidere viri protestantes celeberrimi Sam. Pr. Tregelles ac melius C. Tischendorf; utrum tamen felicius quam clementina editio, non ego judicare valeo: unum advertere præstat, Tischendorfium antiquissimos codices ceteris omnibus et codicibus et aliis criticibus monumentis anteposuisse, *amiatinum* nempe et *fuldensem* (altero a Servando monacho descripto, qui anno 541 magistrum suum S. Benedictum in casinensi monasterio invisit, altero a Victore

capuano, anno 547; iis autem codicibus et correctores romanos usos fuisse demonstravit P. Vercellone); præter hos vero adhibuit *forojuliensem* cum fragmentis *pragensibus*, *perusinum*. *ingolstadiensem* sive *monacensem*, *parisiensem*, *toletanum*, a Blanchini in *Vindiciis* collatum, *demidovianum*, *guelferbytanos* tres, *berolinensem*, *cassellanum* et *fragmenta vindobonensia*. Plures alii codices sunt valde æstimati, ut *paulinus* et *vallicellianus*, recensionis Alcuini uterque, &c. «Est autem *amiatinus codex* verba transcribo Tischendorfii, cum socio *fuldensi* verus et præclarus veritatis vindex; innumeris enim locis ope eorum restitutam esse Hieronymi lectionem clarissimum est (*loquitur codicis amiatini* et *N. T. ex illo præcipue desumpti editor*, sed candida synceritate præditus). Cognoscitur inde multo magis quam ex clementino textu *præstantia interpretationis Hieronymi*, quæ tantum non ubique græcus textus is expressus est, quem antiquissimum novimus. Quæ antiquissimi *græci textus* et *latini consensio*, ut magnopere tuenda erat ac pro luculento lectionis hieronymianæ indicio habenda, ubicumque *amiatini* vel *fuldensis* vel certe aliorum codicum ante annos mille scriptorum testimonio nitebatur; ita (qua re romanos editores assentientes habemus) consensio antiquissimorum codicum minime posthaberi poterat studio græci textus exprimendi, præsertim cum græcam lectionem a nobis probatam, passim ab Hieronymo vel ignoratam vel consulto non receptam verisimile est» (v. *evang. triglot.* proleg. XVIII—XIX).

225. Post detectam typographiam edita sunt primum biblia latina Bambergæ juxta nonnullos an. 1453-55, psalterium Maguntiæ 1457 et universa biblia 1462: ante editionem complutensem jam prodierant in Italia 55 editiones, in Gallia 79, in Germania 94. In Hispania non reperitur editio præcedens polyglottam complutensem, quæ reliquas longe superavit, eo quod serius adsportata est ars typographica, sed jam toto seculo 16 in usu fuit. Editiones principes sunt complutensis, stephanica, Isidorii Clarii, lovaniensis, sixtina, clementina (cui omnes typographi catholici se accommodare tenentur, ex præcepto bullæ Clementis quæ hanc editionem commendavit) anni 1592, 93 et 98, in quarum postrema est triplex erratorum index; et inter optimas nostri temporis ad clementinæ normam editas, editio Leandri van Ess (Tubingen 1824), V. Loch (Ratisbon 1849), Marietti, a Sacra Congregatione probata (Taurini 1851), ac præ omnibus Caroli Vercellone (Roma 1861). Ex quibus omnibus brevissime adumbratis et lato ore e laudato Vercellone hau-

riendis, constat summa diligentia, quam Ecclesia semper adhibuit ut sacra eloquia qua summa fieri posset puritate servaret; quod iterum præcepit Tridentina Synodus, et curis romanorum Pontificum executioni mandatum fuit. Hæc potius quam suum propositum demonstravit James anglicus in suo *Bellum papale*, dum multiplices variantes lectiones sixtinæ editionis (1590) et clementinæ recensuit; levissimæ namque sunt, nec rei substantiam ullibi attingunt, ac demum hæc res critica erat, valdeque implexa; nec voluntas correctorum fuit omnia adamussim emendare, sed quædam consulto intacta relicta sunt, quæ emendari poterant, ob easdem rationes quibus motus Hieronymus eodem modo se gessit, ut fatetur prologus editionis clementinæ a Belarmino compositus, ipseque Belarminus in epistola ad Lucam Brugensem. Non est tamen disimulandum Sixtum V aliquid humani passum fuisse, ut fatetur P. Ungarelli, et ex ipsa bulla *Æternus ille* editioni præfixa manifeste constat; quæ, cum post editionem clementinam effectum non habuerit, nec in bullario recepta fuerit, tacite abrogata dicenda est. Sed hoc quid commune habet cum infallibilitate pontificia? Igitur Jamesii libellum argumentum offert contra producentem: illi opposuit Bukentop opusc. *Lux de luce*.

CAPUT XIII.

Editionis *Vulgatæ* præstantia: quo sensu *authentica* sit: adnotatio circa sententiam Fr. Ludovici Legionensis: aliæ latinæ versiones.

226. Jam circa præstantiam hujus latinæ editionis Vulgatæ Sacrorum Librorum ejusque auctoritatem pauca veniunt dicenda, cum nimium partium studium quod olim fervuit, magna ex parte evanuerit. Sic ab eruditis sapientissimis protestantibus jam non irridetur, sed potius laudatur, imo non levem operam conferunt pro ipsissimo Hieronymi textu inveniendo, ut dictum est; et ille quem fideliorem habet Tischendorfius, plurimum ad editionem clementinam accedit, exceptis levibus atque in re critica ac dog-

matica nullius fere momenti. Notæ sunt opiniones pro præstantia versionis Vulgatæ a Grotio, Waltono, Millio, Michaëlis aliisque plurimis conceptæ quæ longiorem disputationem prohibent. Catholici etiam nulli tuentur divinam ejus interpretis inspirationem, quod æstu fervoris aliqui asseruerunt, nec diffitentur eam numeris omnibus absolutam non esse, ac proinde meliorem fieri aliam posse, si id Ecclesia utile judicaret. Sane Hieronymus fatetur non omnia correxisse in N. T. quæ corrigi poterant (v. supra), in V. T. rem perfectam condidisse denegavit, ac in suis commentariis non semel se ipsum emendavit; deinde correctores romani nec perfectam versionem edere voluerunt, imo nec tentarunt, nec ad primævum Vulgatæ textum rigorose restituendum pervenire in mente fuit, quod prologus declarat editionis clementinæ iis verbis: «in hac tamen pervulgata lectione, sicut nonnulla consulto mutata (plus duobus millibus locis a sixtina differt, sed nullius fere momenti ut diximus), ita etiam alia *quæ mutanda videbantur, consulto immutata relicta sunt*, tum quod ita faciendum esse ad offensionem populorum vitandam sanctus Hieronymus non semel admonuit, tum quod facile fieri posse credendum est, ut majores nostri, qui ex hebræis et græcis latina fecerunt, copiam meliorum et emendatiorum librorum habuerint, quam ii qui post illorum ætatem ad nos pervenerunt» (quod postremum criticam biblicam textus græci demonstrasse jam antea vidimus). Decretum igitur Tridentinæ Synodi ultra suos limites extendi non debet; quæ nempe, necessitate temporis, et multarum versionum recentium, ac declamationum adversus Vulgatam editionem impetu coacta, ut «ex omnibus *quæ circumferuntur*, sacrorum librorum, *latinis editionibus* quænam pro authentica habenda sit innotescat; statuit et declarat ut hæc ipsa Vetus et Vulgata editio, quæ longo tot seculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus prædicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat.» Deinde jubet ut quam emendatissime imprimatur, quod romani correctores, ut vidimus, perfecerunt. (Conf. infra Hermen.). Ergo nec eam originalibus textibus præfert, nec undequaque perfectam habet, sed solum *versionem authenticam*, id est, non solum nil contra fidem aut bonos

mores continentem, sed etiam fideliter originali conformem in rebus substantialibus; nec proinde usum originalium prudentem damnat, quem potius Ecclesia commendat ac catholici doctores adhibent. Ita fere rem explicant Pallavicinus, Salmeron, Ruggerius, Andreas Vega, Bellarminus, Mariana; nunc vero Vincenzi, Perrone, Glaire, Reithmayr, Vercellone, Beelen &c.

227. Juvat tamen hic transcribere quasdam nostri eminentissimi vatis ac theologi Fr. Ludovici Legionensis propositiones, ob quas, simul cum aliis levibus, tribunali Inquisitionis delatus est ejusque non leve judicium subiit, ac tandem absolutionem obtinuit: «prop. 8ª negari non potest in Vulgata editione esse nonnulla loca non satis significanter ab interprete, nec satis aperte conversa. Prop 9.ª Auctor Vulgatæ non est usus spiritu prophetico in interpretando sacras litteras, nec omnes et singulæ voces latinæ hujus editionis habendæ sunt perinde ac si a Spiritu Sancto fuissent dictatæ, nec judicandum est nihil in illa esse quod non potuisset aut significantius, aut commodius aut ad græcos et hebræos codices originales aptius transferri; nec concilium Tridentinum, cum illam pro authentica haberi voluit, hujusmodi aliquid intendit definire. Prop. 17.ª Ultimo dico: nihil repugnare ut in posterum posset edi aliqua translatio quæ per omnia significantius, et aptius exprimeret originalem Scripturam, quam Vulgata; nam si menda que vitio librariorum in Vulgata irrepsere (nondum prodierant editiones romanæ correctæ), detrahas; si quæ parum significanter significantius retineas, tum omnia alia quæ in Vulgata scientissime et fidelissime sunt conversa; et ad ea istarum rerum expolitionem tamquam cumulum adjicias; existet profecto editio in qua nemo catholicus desiderare aliquid possit...» Deinde hoc ex licentia tantum R. Pontificis fieri posse asserebat. Et hæc quidem scandalum fuerunt theologis illis doctoribus et magistris, qui videntur in mundo esse ad mortificationem et flagellum eorum qui, vere pii ac docti, optima intentione labores suos impendunt totamque vitam consecrant proximorum utilitati ac rei christianæ proventui, pro suis, etiam si debilibus ac infirmis viribus, quamtulumcumque obtinendo. Dolendum est inter præcipuos nostri theologi adversarios fuisse Leonem de Castro, eruditione biblica ac theologica non mediocrem auctoremque cujusdam *Expositionis Isaiæ prophetæ*, ac celebrem P. Bartolomæum Medina, suis operibus notissimum, ac certe conspicuum.

228. Versiones latinæ et editiones, quæ rem perturbatam habebant ætate Tridentini Concilii et hujus decretum expostulabant, fuerunt ex catholicis versio Sanctes Pagnini

(ab Aria Montano correcta et textui hebraico polyglottæ regiæ inserta), Isidori Clarii, Erasmi; ex hæreticis facta a Leone Juda et Bibliandro, a Castalione et Sebastiano Munstero, præter alias linguis vernaculis factas. Editiones Roberti Stephani, propter correctiones, ac præsertim appositas adnotationes maximas turbas excitarunt. In iis rerum adjunctis decretum tridentinum maximæ prudentiæ fuit.

CAPUT XIV.

Versionis syriacæ *Peschito* ætas, indoles, præstantia ac variæ editiones: versio philoxeniana, heracleensis, exaplaris aliæque syriacæ: *Targumim* chaldaici, eorumquè usus criticus et exegeticus: versio samaritana: versiones ægyptiacæ, arabicæ, goticæ &c.

229. Post antiquam latinam versionem sacrorum Bibliorum atquè vulgatam, nulla est quæ majus habeat pondus in re critica, imo apologetica ut alibi videbimus, quam syriaca interpretatio. Duplex hæc est, *Peschito* nempe seu simplex (ita a neglecta elegantia dicta, vel quia *vulgata* erat quando altera prodiit, vel quia *fidelis* &c.) et Philoxeniana. Prima antiquissima est juxta syrorum traditionem, quam scriptores sæc. 4i confirmant, qui ea tamquam vulgari usu nota utuntur, ut Ephrem, Jacobus Nisibensis ejus magister, et interpres syrus *Theophaniæ* Eusebii; posteriores vero unanimiter tradunt, nempe Bar-Hebræus, Jacobus Edessenus (sec. 7), Bar-Cepha, ipsique interpretes secundæ versionis id supponunt; denique vix aliter intelligi potest veneratio qua syri omnes, etiam post ortas hæreses nestorianam et monophysitam, hanc versionem prosecuti sunt. Ut ejus tamen ætas proprius definiatur distinguenda est versio V. T. a versione N., quæ certe illa posterior est. Hanc autem seculo secundo jam exstitisse probat usus evangelii syriaci ab Hegesippo (circa 176) factus, ex testimonio Eusebii (a). Nihil igitur obs-

(a) H. E. IV, 22. Ἐκ τε τοῦ καθ' Ἑβραίους εὐαγγελίου καὶ τοῦ Συριακοῦ καὶ ἰδίως ἐκ τῆς Ἑβραΐδος διαλέκτου τινὰ τίθησιν; *ex evan-*

tat syriacæ traditioni ita a Bar-Hebræo (sec. 14) expositæ *[Horreum mysteriorum*, apud Wiseman, *Horæ syriacæ]:* «Quoniam versio ista *Simplex* (quæ hebraico textui conformis est, quamque, ut refert Eusebius Cæsareensis, Origenes apud mulierem quamdam viduam invenit) in manibus syrorum ubique gentium versatur.... Quod vero spectat ad hanc syriacam versionem tres fuerunt sententiæ; prima quod tempore Salomonis et Hiram regum conversa fuerit: secunda quod Asa sacerdos, quum ab Assyrio missus est Samariam, eam transtulerit; tertia tandem quod diebus Adæi apostoli et Abgari regis Osrhoeni versa fuerit, *quando etiam Novum testamentum eadem simplici forma translatum est...*» Et Jacobus Edessenus hæc ait: «Interpretes illi qui missi sunt ab Abgaro, rege Osrhoeno, et Adæo apostolo, in Palæstinam, quique verterunt libros sacros....» Denique ex ipsa *simplicitate* versionis id confirmari potest, sicut etiam ex usu liturgico universali ejusdem omni tempore et ab omnibus, etiam post schismata plura et linguæ syriacæ vulgarem oblivionem, ex multiplici analogia cum veteri vulgata latina (quod valde hanc commendat, et ex similibus codicibus utramque fideliter versam esse evincit), ex non paucis correctionibus juxta textum græcum factis in evangelio Matthæi e textu *hebræo-aramæo* originali desumpto, quod invenitur in codice D. Cureton seculi quarti, demum ex eo quod hæc versio carebat epistola Petri 2.ª, Joannis 2.ª et 3.ª, ep. Judæ et Apocalypsi; scripta ergo fuit antequam hos libros ecclesia syriaca recepisset, quod seculo Ephremi (4.º) jam factum fuisse ex ipso constat, imo circa Apocalypsim seculo 2.º ex Theophilo antiocheno. Igitur multa sunt quæ confirment syriacam traditionem circa originem *Peschito* N. T., tamquam ab ætate apostolica descendentis; ac simillimum proinde vero est ab Achæo seu Aggaï, discipulo Judæ Apostoli confectam fuisse, aut etiam ab aliis sub ejus directione. Id traditio syrorum

gelio quidem secundum hebræos et syriaco, ac præsertin ex dialecto hebraica, quædam adhibet. Eodem sæculo Melito Sardensis loquitur de interprete quodam syro (*Annot. ad Gen.* XXII, 13), et vix aliter intelligi potest vulgaris ejusdem usus sæculo 4.º qui multis laudatorum scriptorum locis demonstratur, præsertim si verum sit S. Ephremum græcam linguam ignorasse, quod plerique tenent.

tenet, et confirmatur manuscripto vaticano syriace exarato, ubi hæc leguntur: «De quodam pervetusto evangelio, quod exstabat in sacra ecclesia ædium romæorum in urbe Bagdado. Erat quoddam evangelium edessenum pervetustum, sed clarum.... Ad ejus vero calcem ita scriptum erat: Absolutus est sanctus iste liber feria 5.ª die 18 Canum prioris (Decembris), anno græcorum 389 (Christi 78 vel 80) propria manu Achæi Apostoli, socii Mar Maris, discipuli Mar Adæi Apostoli, cujus oratio nobiscum sit.» Hujus adnotationis auctor posterior est certe Adæo Apostolo, et probabiliter ipso Achæo, sed notitiam quam affert ipse credebat; remotus annus cum origine Evangeliorum non male cohæret, præsertim si sermo sit de uno tantum evangelio, et non de quatuor canonicis; denique tam præcisa diei et anni determinatio, si antiquissimus erat codex jam ipso syriaco hujus adnotationis auctori, nihil incredibile offert, præcipue si formula illa, *cujus oratio nobiscum sit*, ad Apostolum Tadæum referatur ab ipso Achæo codicis descriptore. Versio V. T. a judæis probabilius facta est seculo 2.º aut 1.º ante Christum, fideliter ex hebræo quoad libros protocanonicos, ac eodem tempore vel non multo post, ex græco quoad deuterocanonicos. Hinc N. T. interpretes loca V. T. in evangeliis laudata allegare solent juxta versionem syriacam V. T., etiam quum in evangeliis leguntur juxta versionem alexandrinam; probabiliter ne judæi ac syri suæ versioni assueti scandalum paterentur. Factæ sunt hæ versiones, ut videtur, in Mesopotamia, Edessæ nempe aut Nisibe, et in Syriam occidentalem adsportatæ suas correctiones sensim acceperunt juxta græcum textum Antiochiæ familiarem; quod jam animadvertitur in codice evan. a D. Cureton vulgato, multoque magis in textu recepto versionis Peschito. Invenitur N. T. in polyglottis antuerp., in posterioribus etiam V. T., deinde edidit Lee 1823, Lagarde libros deuterocanonicos cum quibusdam apocryphis 1861 &c. Novum Testamentum dederunt Moses Mardenus Viennæ 1555, polyglottæ parisiensis et londinensis, editio est etiam romana 1703, societatis biblicæ londinensis dirigente Lee 1816, Greenfield 1828, ac Cureton fragmenta evangeliorum, quorum sæpe mentio fiet infra (1858).

230. Cum versio Peschito plura non satis fideliter exprimeret aut

perspicue, anno 508 alia versio N. T. edita est a Polycarpo corepiscopo sub auspiciis Mar Xenaïas seu Philoxeni, archiep. hieropolitani, unde nomen derivavit *Philoxenianæ*, quam deinde recensuit in monasterio Alexandriæ Thomas Heraclensis (Karkel, in Palæstina) circa annum 616, juxta duos (alias tres) optimos græcos codices; hæc dicitur versio heraclensis. Vetus etiam Testamentum juxta editionem Origenis exaplarem interpretatus est Paulus episcopus Telæ, monophysita, sicut et tres præcedentes, anno 617, ejusque versio dicitur *exaplaris*. Ex iis constat prætium maximum versionis Peschito in re critica pro V. T. hebraico, ac N. T. textu primævo; versionis *exaplaris* pro alexandrina, philoxenianæ demum pro statu N. T. sua ætate; unde plurimum adhibentur ab iis qui *criticam textus* persequuntur. Versio exaplaris nondum integre edita est, sed magna ex parte, nempe Bugatus Psalmos et Danielem (Mediol. 1788, 1820), Norberg Jeremiam et Ezechielem (Londini 1787), Middeldorp Reg., Is., 12 proph. min., Job, Threnos, Parab., Eccl., Cant. (Berolini 1835), Skat Rordam Judices et Ruth (Havn. 1861), Ceriani Gen., Baruch et Threnos (Mediolani 1861) ediderunt. Versionis heraclensis edita sunt evangelia a White (Oxon. 1778), actus et epist. cathol. ab eodem (1799), denique epist. paulinæ 1803; Apocalypsim edidit Lud. de Dieu (Lugd. Batav. 1627), ac evangelium Joannis Bernstein (Lipsiæ 1853). Aliæ item fuerunt versiones syriacæ ex græco desumptæ ætate Ephremi, nisi melius dicas in hujus commentariis agi de illis recensionibus et correctionibus versionis Peschito, quibus multum ipse contulit forte indirecte, quatenus nempe versione ita recensita usus est, ejusque discipuli ipsum imitati sunt; nam allegationes magistri sui Jacobi Nisibensis, seu Mar Jacobi Persæ (ut ipse se dicit, cujus in musæo britannico plura sunt opuscula) magis versioni nondum recensitæ conveniunt et textui Cureton. Existit certo pars versionis *hierosolimitanæ* dictæ, quæ nempe ad palæstinensem dialectum magis accedit, quam edidit Adler juxta exemplaria græce confecta, ac mire convenit codici A. et B., videturque 4.i vel 5.i seculi: aliæ denique sunt minoris momenti, sicut et versio persica ex Peschito deducta.

231. Cum hebraicus populus paulatim in exilio chaldaicæ linguæ assuetus, libros sacros aut difficulter aut vix intelligeret; orta est necessitas eos in synagogis per sabbata explicandi lingua populi communi, ac dein, forte Asmonæorum ætate, quorumdam librorum interpretationes. Quæ harum antiquiores remanent dicuntur *paraphrases chaldaicæ* seu *Targumim*, תרגומים; quoniam paraphrastice hebraicum textum vertere solent, ob idque in re critica minoris sunt ponderis,

in exegetica vero summi habendæ, cum sensum Bibliorum inter hebræos traditionalem candide offerant, priusquam cum christianis pugnantes, illum aut celarent aut immutarent. Hæc locum habent præsertim in *Targumim* prioribus relate ad prophetias V. T. messianicas. Posteriores vix aliam præseferunt utilitatem, quam ad dignoscendam theologiæ judaicæ historiam et evolutionem post Christum natum. *Targum* Onkelos, אונקלוס, satis fideliter ac feliciter Pentateuchum vertit (ex judæis 1.° sec., cum discipulus Gamalielis fuisset, quod certo non constat), orationem hebraicam passim illustrat, obsoleta urbium, montium, fluminum, populorum nomina per alia recentiora explicat, nonnulla adjicit ad perficiendam illustrandamque sententiam opportuna, sive ex locis parallelis, sive ex judæorum disciplina. *Targum* Jonathæ-ben-Uziel priores prophetas (conf. n.° 179) et posteriores complectitur, satis libere et paraphrastice vertit, præsertim libros proprie propheticos: discipulus Hillelis creditur, ideoque Onkeloso antiquior, sed aut post illum laboravit, cum ejus interpretatione utatur, aut alius Jonathas posterior est. Ipsi tributum falso fuit aliud simile opus, quod dicitur *Targum Pentateuchi* Pseudo-Jonathæ, multo posterius ac fere nullius prætii. Exstat *Targum quinque Megillot* (ita judæi nominant Ruth, Esther, Thren., Eccl. et Canticum), *duplex Targum Esther, Targum psalmorum, Job et Prophetarum*, ac demum *Targum Paralipomenon*, in re critica et exegetica nullius fere roboris. In *Targum* Onkelos notanda venit consuetudo antropomorphismos et teophanias in Pentateucho occurrentes aliquo modo aut explicandi, aut temperandi; quod in libris jam canonicis posterioribus et in tota thalmudistarum litteratura occurrit, nempe cultiores homines ac melius edocti scandalum patiebantur rebus illis materialiter fere explicatis pro materiali ac rudi pristinorum hebræorum indole. Editæ sunt paraphrases chaldaicæ in Bibliis polyglottis, in rabbinicis, et etiam separatim. De versione V. T. samaritana alibi diximus: facta est autem satis fideliter ad literam Pentateuchi litteris samaritanis descripti (conf. n.° 197).

232. Versiones ægyptiacæ ad minus tertii seculi sunt, atque tribus dialectis inveniuntur *memphitica*, *sahidica* et *basmurica*. Duarum posteriorum fragmenta tantum remanent, sed perantiqua; Memphitica (generatim *coptica* dici-

tur) magna fide e græca LXX versione versa est atque item ex græco textu novi T., ac magni proinde prætii est in re critica et exegetica. Sæpius edita est per partes, primum a Wilkens (Oxon. 1716) N. Testamentum, et Pentateuchum (Lond. 1731, a Faldet Parisiis 1854); Ideler edidit psalterium (Berol. 1837), et Schwartze (ib. 1843) una cum evangeliis (1846-47); H. Tatam item evangelia (Lond. 1829), prophetas minores (Oxon. 1836), majores (ib. 1852) et Job (Lond. 1846); Bardelli Danielem (Pisis 1849) et Boetticher Actus Apost. et epistolas (Hallis 1852). Reliquarum versionum fragmenta partim edidere Munter, Mingarelli, Zoega et Engelbreth.

233. Versio æthiopica 4° seculo prodiit ex græco textu LXX et novi T.; non semel edita est partim, nunc universim edit Dillman (Lipsiæ 1853...). Inter canonicos æthiopicos libros inventi sunt et apocryphi, præsertim liber *Enoch*, anglice, germanice, gallice jam editus. Novum Testamentum in dialecto *amharica* antiquæ athiopicæ affini edidit Platt (Lond. 1829). Arabice non semel versum est V. et N. T.; sed satis recenter et ab auctoribus plerumque ignotis; tantum in re exegetica inservit satis; in polyglottis editum est et alibi. *Gothice* Scripturas interpretatus est Ulfilas († 388); *georgiana lingua* prodierunt seculo 9°, *armenica* 5°, *slavica* post seculum 9.^m^ Versio gothica per partes edita est; omnia autem quæ conjungi potuerunt fragmenta edidit Loebe (Lips. 1836) et Migne (pat. lat. t. XVIII), ac demum amplius Massman (Lips. 1857); slavonica a fratribus Cirillo et Methodio confecta, sæpe edita fuit (Pragæ 1570, Ostrochio 1581, Moscovæ 1783), *armenica* (ab episcopo Mesrob facta († 441) vel a suis discipulis, fideliter, juxta mss. alexandrina) non semel edita fuit (Amstel. 1666, Venetiis 1805), georgiana (Moscoviæ 1743 et 1816).

CAPUT XV.

Versiones linguis vernaculis modernis factæ: enumeratio versionum hispanicarum: adnot. de polyglottis.

234. Cum catholica Ecclesia nusquam lectionem Biblio-

rum lingua vulgari absolute prohibuerit, sed postquam iis abusi sunt sectarii ac fanatici homines, regulas tantum apposuerit quibus talis lectio permitteretur, nempe: ut fidelis sit versio et ab auctoritate legitima probata, atque adnotationibus illustretur ad pericula removenda; factum est ut plurimæ essent versiones linguis vernaculis confectæ, quibus accesserunt ab hæreticis elaboratæ, atque ab hodiernis biblicis societatibus innuneris linguis et dialectis confectæ. Omnes hæ translationes in re critica nullius utilitatis sunt, in exegetica majoris vel minoris pro singularum perspicuitate et fidelitate. Ob id ab illis minutim enumerandis abstinemus, tantumque celebriora indicabimus. Seculo 8° Beda Venerabilis universa Biblia vel tantum evangelia in linguam anglo-saxonicam interpretatus est, dein *Wiclefus*, ac post schisma multi alii: versio liturgica anglicanorum est *Biblia Jacobi regis*, catholicorum *Duacensis*, utrique postea alias elucubrarunt, aut veteres recensuerunt. In Germania protestante *Biblia Lutheri* summam existimationem adhuc obtinet; alias versiones recentissime ediderunt *de Wette* et *Bunsen*. Catholici plures etiam habent, novissime *Biblia Allioli*, atque ex textu originali alia confecta a *Brentano*, *Dereser et Scholz*. In Belgio præcipua versio omne fere V. T. complectens est illa P P. *Smits et Van Hove*, N. vero T. interpretatur *Beelen* (Lovan. 1859...) cum approbatione episcoporum. Calvinistæ hollandici *versione dordrectana* utuntur, in Gallia et Helvetia plures habent. Celeberrima versio italica est *Martini*, archiep. florentini (1757) a S. S. probata; in Gallia innumeræ sunt, sed celebriores illa *Sacy*, *Carrières*, *Vence* et *de Genoude*, quibus novissima ætate aliæ accesserunt aut integræ aut quorumdam librorum, sive e textu originali, sive ex vulgata latina: celebriores sunt versio evangeliorum *F. Lamennais* (prohibita), versio Pentateuchi ex hebræo a *Glaire*, et totius Scripturæ e Vulgata (quam permisit sacra I. C.), versio evangeliorum *Gaume* (cum approbatione ordinarii), versio V. T. ex hebræo a *Cahen* judæo confecta, alia *Vogue* &c.

235. Versiones hispanæ *P. Scio* et *T. Amat* (quæ priorem longe antecedit, sed ampliores et commodiores adnotationes postulat, et non parum distat a perfectione) notissimæ sunt. Sed ante celebriores has versiones (anno 1793—94 et 1824 ac sæpius repetitæ) plurimæ antiquiores exstite-

runt, tum manuscriptæ tum typis editæ, sive a judæis, sive a calvinismo infectis hominibus, sive denique a catholicis, quarum præcipuas hic subjicimus. Ante omnes venit, et ætate et prætio præstans, quæ jussu *D. Adephonsi regis* facta est, seculo 13° ex Vulgata desumpta, et in hac Bibliotheca escurialensi manuscripta servatur; partem constituit operis: *Historia general, donde se contiene la version española* &c. In eodem loco inveniuntur (Theca 119 j.) sequentes: quæ signatur n.° 2 continet Prophetas, (excepto Is.), Judith, Esd., Esther, Ecc., Mach., Evang., Epist. cath. et Paul.; seculo 14°: n.° 3 continet protocanonicos V. T. et Mach., ex hebræo immediate versa (except. mach.), præstantissima, cujus nonnulla specimina alias dedimus; ineunte seculo 14 vel antea ab hebræo quodam confecta fuit: n.° 4° continet totum V. T. e textu latino, ut videtur, seculo 15° prodiit: n.° 5.° complectitur proph., Ruth., Psal., Job, Prov., Ecclesiastem, Cant., Thren., Dan., Est., Esdr. et Paralip., characteres sunt sec. 15 ineuntis, ex hebræo versa: n.° 6 a Prov. ad finem N. T. e textu latino, characteres sunt seculi 14 labentis: n.° 7 et 8 denique complectuntur quosdam libros, et initio seculi 15 descripti sunt. In bibliotheca Ducis Albæ alia est versio e Vulgata composita a *Moises Arragel* seculo 15. Eodem seculo prodiit alia jussu *Adephonsi V* Aragoniæ, e Vulgata. Præter has manuscriptas versiones, quæ demonstrant statim ac in Hispania lingua latina ignorari a populo coepit, jam proprio idiomate lectam Scripturam fuisse, aliæ multæ sunt typis mandatæ. Lingua valentiana versionem ex latino textu edidit *Dr. Ferrer*, S^ti^ Vincentii frater, typis data 1478 et deperdita, excepto Psalterio non ita pridem Parisiis reperto a J. Guardia: *Pentateuco español* (Venetis 1497); *Pentateuco hebraico-español y bárbaro griego* (Constantinop. 1547); *Job et quidam psalmi* (Amberes 1540, por Juan de Jarava): *Salmi poenit. thren. et canticum* (ib. 1543, anonima): *Psalterium* (anonim. literis gothicis, Toleti?): *Psalt., Prov. et Ecclesiasticum* (Lyon 1550, Juan Roffes): *Psalterium* (Amsterdam, 1543, por Cornelio Sinoy): *Novum Testamentum* (por Fr. Encinas, Amberes, 1543): *aliud N. T.* (Venecia, por Juan Perez, 1556): *Biblia Ferrariensis* (duæ videntur editiones, aut una cum quibusdam mutatis, 1553): *Job et Canticum* a *Fr. Ludovico Legionensi*, qui plures psalmos metrice vertit, omnia egregie, et mirabili linguarum cognitione (sæpe edita):

Psalterium (ex plurimis locis *P. Ludovici Granatensis* collegit Fr. Didacus Fernandez, Segovia, 1801): *Ecclesiastem* (præstantissime vertit *Arias Montano*, e latino textu, et egregio commentario ornavit; mss. escurial. absque nomine, sed satis dignoscendum): *Isaiam et Jeremiam* (edidit literis hebraicis José ben Issac ben José Jebets, Strasbourgi, 1569): *Versio Casiodori de Reina integra Biblia complectens* (multum adhibet Ferrariensem, Francfurdi, 1569): *Id. id. Cipriani de Valera* (fere eadem, absque deuterocanonicis V. T., uterque fuit calvinista, Amstelodami 1602): *Pentateuchus* (id. 1648, valde literalis, a *Manasse ben Israel*): *Vetus T.* (ib. 1522, ab *Abraham Mendez de Castro*): *Biblia integra* (ex Vulgata, Madrid, 1788, por *Ignacio Guerra*, typis Ibarra), *Evangelia* a *P. Petitè*, &c. Aliæ denique literis rabbinicis, aut paraphrases, aut metrice (ut *Libri poëtici Bibliorum* Carvajal, non exigui prætii, sed nimis ab originalibus distantes, item *Prophetæ inspirati* J. M. Bedoya, item quorumdam librorum separatim). Unde patet quanta subsidia illum habere posse, qui digniorem Sacrorum Librorum hispanicam versionem conficere vellet.

Adnotatio. Bibliæ polyglottæ dicuntur quæ textus primigenios ac nonnullas celebriores versiones simul ostendunt. Prima fuit complutensis, sumptibus Fr. Ximenez de Cisneros edita (1514-1517), complectens textum hebr., græc., LXX, Targum Onkelos, cum suis latinis interpretationibus, et Vulgatam latinam. Operam navarunt A. Nebrija, Fern. Pinciano, Dem. Cretense, Lopez de Zúñiga, Juan Vergara, Alfonso med. Complutense, Pablo Coronel, Alfonso Zamora.—Polyglottæ antuerpienses, seu regiæ, sumptibus Philippi 2i ab Aria Montano editæ, adjuvantibus G. Cantero, Gui. Fabricio., J. Harlemo, Fr. Luca Brugensi, J. Livincinio, A. Masio, Fr. Raphelengio et Alf. Zamora. Continet super complutensem alios Targumim et N. T. syriace, ac copiosissimum et Aria Montano dignum apparatum (1569-72).—Polyglottæ parisienses, cura Le Jay (1628-45), continent præter anteriora versionem syriacam et arabicam plerorumque librorum, ac samaritanam Pentateuchi—Londinensia, a Briano Walton (1657), addunt persicam Pentateuchi et æthiopicam Ps. et Cant. versionem, cum præstantissimo apparatu.—Polyglottæ manuales R. Stier et W. Theile continent textum hebr., græc., V. T. alex., et versionem Lutheri (carent libris deuterocanonicis, 1854).

SECTIO III.

INTRODUCTIO PARTICULARIS.

CAPUT I.

Electio singularis populi hebraici: Pentateuchus: hujus partitio ac materia contenta: indoles: scopus.

236. Cum Deus, post hominum creationem et lapsum, gradatim eos perducere statuisset ad eam religiosam perfectionem, et puriorem Dei conscientiam, qua digni fierent, quibus perfectissima religio et doctrina traderetur, atque ita humanum genus, et continuo Dei adjutorio, et propio labore et merito, ad redemptionem christianam paratum esset; quo Dei proposito ipsius jura servarentur, necessarius influxus ad genus hominum relevandum pateret, et simul humanæ libertati consuleretur: ex omnibus populis, qui antiquas traditiones servabant quidem, sed magna ex parte foedatas aut superstitione, aut admixtione cum hominum inventis, aut denique oblivione, præsertim practica; Abrahamum elegit ut populum sibi formaret, qui omnium minister ac veluti sacerdos esset, ad magnum illum scopum obtinendum. Hunc Deus per se ipsum instituere voluit, ac veluti manu ducere, legem tradidit prorsus theocraticam, qua propositum finem assequeretur, eamque et hunc intimius in populi hebræi mentibus ingerere voluit per ministerium Moysi; qui proinde quantum israelitæ Deo deberent, quæ esset hujus voluntas adamussim servanda, quanta utilitas populo redundaret in hujus exsecutione, quantum denique malum in ejus derelictione, quinque libris a se conscriptis hebræos docere voluit. Complexus itaque est quidquid ad suum scopum præcipue

pertinebat, a creatione mundi, ad formationem populi, ejus independentiam et sufficientem educationem religiosam. Ii Moysis libri dicuntur *Pentateuchus*, ac fundamentum sunt totius V. T., sicut Evangelia Novi.

237. *Pentateuchus* itaque (תורה= institutio, doctrina, ac proinde *lex*, cum doctrina a Deo edocta et præcepta vere sit hominibus *lex*; in N. T νόμος) nomen græcum est *quinque libros* significans a Moyse conscriptos, qui hebraice designantur primis eorum vocabulis, græce vero nomine rem contentam significante, nempe *Genesis* (Γένεις, generatio, origo, creatio, hebr. בראשית, *in principio*], *Exodus* (Ἔξοδος, *exitus*, hebr. ואלה שמות, *hæc sunt nomina*], *Leviticus* (Λευιτικόν, hebr. ויקרא, *et dixit*], *Numeri* (Ἀριθμοί, hebr. במדבר aut וידבר *in deserto* aut *et locutus est*) et *Deuteronomium* (Δευτερονόμιον, *secunda lex*, אלה הדברים, *hæc sunt verba*].

238. Genesis primo rerum omnium creationem a Deo narrat, summatim, minime scientifice, sed populari ingenio sese accommodans, ac plura proinde omittens Moysis scopui minime apta; felicem priorum parentum statum, prævaricationen, poenam; Caini facinus et progeniem, quatenus id ad corruptionem posterorum Adami intelligendam necessarium erat; progeniem item Adami per Seth usque ad Noe; omnium hominum corruptionem mixtis familiis sethitis et cainitis; punitionem per diluvium, revelationem noachicham; tabulam priorum populorum (X—XI) a qua omnis historia incipere debet, quæque adhuc falsa nec in minimis demonstrata fuit. Deinde præparationem depingit theocratiæ exponens Abrahami vocationem ac vitam, aliorumque patriarcharum, imo notiones quasdam præbet ad vicinos populos pertinentes, quo relationes israëlitarum melius dignoscerentur, et nonnullorum institutionum ratio pateret.

239. Id omne autem ea vividitate et ingenuo candore narrat, talibus adjunctis domesticis, topographicis, psycologicis, tantis veracis narrationis et nullo studio factæ notis, ut animum a præjudiciis omnibus vacuum ac nullo systemati præconcepto servientem necessario rapiat, atque omnem assensum extorqueat. Hinc præstantissimi Germaniæ historici etiam minime aut parum credentes, characterem plane historicum hujus libri, sicut et aliorum quatuor, admittunt, ac suorum

sapientum hypercriticorum rationem nullam aut fere nullam habent: ita inter alios Heeren, J Muller, Luden, Wachler, Schlosser, Leo, ipse de Roteck rationalitis incredulis fere in omnibus consentiens; nec ullus invenitur alicujus nominis, qui contrariam teneat sententiam. Quæ facile explicantur, si distinguas inter eos qui historiam graviter, et monumentis diligenter excussis pertractant, ac eos qui systemati religioso aut philosophico præconcepto eam vel invitam quadrare cogunt. Ii *a priori* historiam componunt; quod ut facilius obtineant, monumenta etiam gravissima repudiare consuescunt, quæ ut plurimum, ipsis contraria sunt, ac proinde ad fabulas relegant quiquid in Genesi a creatione mundi, ad patriarchæ Jacobi in Ægyptum ingressum, ejusque ac filii Josephi mortem ac sepulturam gravissimum, prætiosissimum, atque ad humani generis origines, historias, traditiones, instituta, mores, linguas, aliaque bene multa intelligenda prorsus necessarium.

240. Exodus depingit servitutem cui populum hebraicum ægyptii subjecerunt, minutim quidem, præsertim in laterum confectione (qualiter in monumento Ægypti hieroglyphico antiquissimo a Rosellini invento depicti sunt), urbium constructione, et ea tyrannide qua infantes masculi suffocare præceptum est, ne nimium multiplicarentur. Ab hac calamitate Dei providentia liberatus Moyses (מֹשֶׁה, LXX Μωυσῆς), a filia regis alitur et instituitur *in omni sapientia ægyptiorum*; deinde in terram madianitarum fugit atque in gregum custodia occupatus, ad populum ex Ægypto redimendum a Deo vocatur. Id post multa miracula perficit, præsertim magnis in ægyptios deductis plagis, ac prodigiosa maris rubri exsiccatione et transitu. Per Arabiam iter facienti populo in monte Sina promulgatur lex terribili modo, atque ad eam intimius hominum animis inculcandam aptissimo, decalogus semel et iterum scribitur tabulis lapideis, primæ sanciuntur leges, sacerdotes consecrantur ac tabernaculum construitur.

241. Leviticus complectitur leges, præsertim rituales, circa sacrificia, sacerdotes, cibos immundos, purificationes, expiationes, matrimonium, idololatriam, festos dies, aliaque profundiori significatione donata, ad scopum Dei super populum judaicum apprime convenientia; quod tamen non obstat quominus finem particularem munditiei, publicæ salutis, populi institutionis &c. sibi proposuerit. Tot ritibus et theocratiæ signis circumdatus hebræus non poterat quin

radicalem hominis impotentiam agnosceret ad propriam redintegrationem et salutem, nisi perenni Dei auxilio fretus esset, constantem Dei præsentiam animadvertere poterat humanas actiones pro merito judicantis, ob idque puritatem conscientiæ curare necessarium erat altioremque Dei ideam concipere, cujus populus tot symbolicis ritibus et sanctitatem designantibus, et futuram messianicam redemptionem prænuntiantibus, a populis Dei oblitis et superstitioni traditis distinguebatur.

Mira igitur in iis multiplicibus ritibus elucet sapientia; ac populum hebraicum reliquis omnibus, in rebus ad religionem et vitam moralem spectantibus, vere superiorem efficere valuerunt. Ipse quidem hæc in malum vertit, quum sua supra reliquos præstantia elatus, et illis tamen politice subditus, eos omnes odisse coepit, atque vehementer concupivit de illis vindictam sumere; sed vitium hoc hominum fuit, solis hominibus imputandum, et omnibus perspectis, ac hebraico populo cum reliquis comparato, quadam indulgentia dignum.

242. Liber Numerorum primo descriptionem continet totius populi israelitici, et castrorum ordinem, levitæ in ministerium tabernaculi deliguntur, numerantur ac peculiaria munera decernuntur; nonnulli ritus proponuntur, imprimis zelotypiæ ac nazaræatus (1-6); describuntur munera a principibus populi oblata tabernaculo, et ea quidem diligentia, ut videatur caput hoc (7) ipsa tabula qua, cum offerrentur, descripta sunt, idque fit occasione perfecti demum et erecti tabernaculi; varii ritus proponuntur eadem occasione, ac pascha in deserto celebrato, decernitur quando celebrandum erat ab iis qui immundi fuerunt tempore præstabilito, quam legis declarationem excitarunt quidam tunc immundi, murmura populi ac fratrum Moysis, punitur populus et Maria (8-12); a deserto Pharan mittuntur exploratores qui Palæstinam invisant, seditionem redeuntes promovent, ac populus in deserto manere quadraginta annis cogitur, quod quidem tempus alto silentio prætergreditur, exceptis paucis, circa ritus, seditionem contra Aaron, hujus confirmationem, munera propria sacerdotum et levitarum (13-19). Mariæ et Aaronis mors, victoria contra amalecitas, novum murmur populi et punitio per serpentes, serpens æneus a Moyse erectus, expugnatio regnorum Hesebon et Basan ultra Jardanem (20-21, hæc jam locum habent postremo peregrinationis anno); episodium Balaam, ejusque vaticinia ac pravum

consilium (22-25); nova fit populi descriptio, quædam leges repetuntur, aliæque novæ promulgantur, distribuitur terra ultrajordanica inter tribus Ruben, Gad et dimidiam Manasses, recensentur mansiones in deserto factæ, limites Palæstinæ designantur et viri qui eam essent sorte divisuri inter duodecim tibus, civitates 48 levitis donari præcipiuntur ac civitates refugii designantur modusque tenendus cum iis qui in eas sese reciperent, quæ nuptiæ decernendæ essent filiabus hæredibus fratres non habentibus constituitur (26-36).

243. Deuteronomium continet orationem Moysis paræneticam ad populum, qua, ut eum ad fidelem legis observantiam inclinaret, beneficia a Deo accepta recordatur, ingratum populi animum et durum ingenium vehementius increpat, præcipuas leges in memoriam revocat, exceptis quæ ad sacerdotes et levitas referebantur (cum hic cum populo universo ageret), quasdam explicat, immutat, derogat aut novas condit novæ populi conditioni aptas, cum jamjam Jordanem transiturus esset; ad hunc transitum populum disponit electo Josue in ducem, pulcherrimum canticum edit ab omnibus memoria tenendum, quo ad fideliorem legis observantiam populum moveret, Dei agendi rationem cum ipso defenderet, et futuras calamitates legis transgressioni tribueret; solemni ac prophetica benedictione populo valedicit, ac, in montem ascensus, ibi moritur, occulte sepelitur, a populo lugetur solemnibus triginta dierum exequiis, brevis texitur ejus apologia, ac Josue in ejus locum succedit.

244. Scopus igitur Pentateuchi est quidquid ad populi constitutionem theocraticam respiciebat litteris consignare, eamque firmare et stabilire; *unde nihil ibi est quod ad hunc scopum plus minusve non accedat, et unitatem operis intrinsecam non demonstret.* Non ergo spectari debet ut opus proprie historicum; ac narratio originum mundi non ibi est effectus artis narratoriæ orientalibus familiaris, qui *rem ab ovo exordiuntur*, sed veluti introductio apprime necessaria ad relationes populi hebraici cum Jehova, et ejusdem populi destinationem futuram perspiciendam. Ob id silentio præterit plurima, quæ historicus vix præterire potuisset, ut habitationem ægyptiacam per quadringentos fere annos, res gestas ac mansiones israelitarum a secundo ad trigesimum nonum libertatis annum, quæ vix subindi-

cantur brevi ennumeratione (Num, 33), multa rapidissimo cursu narrat, quædam ordine non prorsus chronologico, præsertim in Deuteronomio, ubi scopus Moysis loquentis id non ferebat; attamen peculiari systemate chronologiæ consultum fuit, aut numeratis annis ortus progenitorum, aut principalioribus festis, aut aliis subindicationibus veluti casu datis (v. g. Gen. XLVII. 9; Ex. XII, 40 coll. Gen. XV, 13). Neque etiam tamquam proprie *codex legum* spectari debet, præsertim cum nostris comparatus, in quibus omnia ordine materiarun disponuntur, et aliena rejiciuntur, non secus ac ipsa legum fundamenta; sed Pentateuchus omnia complecti debuit quæ totam populi hebraici, tamquam populi electi et a Deo ipso instituti et recti, civilizationem constituebant; ac proinde quidquid ipsi scire et credere debebant, quidquid erat agendum sub omni respectu, quidquid erat sperandum, omnem israelitarum vitam religiosam, moralem, politicam, socialem, litterariam, artisticam, domesticam. Qui igitur Pentateuchum objurgant, quia *historiæ classicæ regulas non servat*, aut quia *plurima continet in codice legum non arte ac methodo disposita;* ii prius noscere debent quomodo antiqui populorum institutores munus suum perficere consueverant, qualis erat rudiorum gentium indoles, quare omnia fere regulis sujicere opus erat ad eas educandas ac dirigendas. Nempe rem antiquam ad propria tempora et mores trahunt, quod sanam criticam et ipsum fere sensum communem lædit.

CAPUT II.

Controversiæ circa auctorem Pentateuchi: hodiernæ rationalistarum sententiæ.

245. Circa auctorem Pentateuchi una est christianorum omnium, qui rationalismo non adhæserunt, et judæorum sententia, illum Moysi tribuens, excepta conclusione Deuteronomii, et forte parvulis adnotationibus (glosas). Hanc nostris temporibus validissime tuiti sunt inter alios Ranke, Hengstenberg, Drechsler, Koenig, Welte, Kürtz, Hævernick, Keil, Scholz, Haneberg, Danko, Glaire, Lamy, Schoebel, aliique plures, qui rationalistarum objectiones penitus contriverunt,

ac veram causam aperuerunt, qua Pentateuchi genuinitatem agressi sunt rationalistæ, ita ut eam nunc fateri cogantur, ut passim facit Renan: nempe incredulitatem quæ *a priori* rejicit omnem Dei in homines supenaturalem influxum, omne miraculum omnemque prophetiam. Mortis Moysis narratio (Deut. XXXIV) brevi post ipsum adjuncta est probabiliter a Josue vel Eleazaro Aaronis filio; et forte etiam ab eodem benedictio qua Moyses populo valedixit et multa futura singulis tribubus prophetavit (XXXIII), ac denique canticum a Moyse antea litteris consignatum (ib. XXXII), una cum versu ultimo cap. XXXI. Juxta Welte incipit additio cap. XXXII, 48; juxta Schultz cap. XXXI, 1. Nonnullas adnotationes archæologicas aut geographicas hac illac occurrentes posteriori manu adjectas fuisse (v. g. Gen. XIV, 7, 8; Ex. XVI, 36; Num. III, 47) putant cum aliis Wouters, Jahn, Haneberg; imo posterior hic quædam antiquata nomina propria aliis recentioribus fuisse substituta (v. g. Dan pro Lessen Gen. XIV, 14), cui contrarius est Welte. Moyses est etiam auctor psalmi 89, non vero sequentium, præter splendissima cantica Ex. XV; Deut. XXXII.

246. Singularis est et paucorum sententia (R. Simon olim, nunc Kürtz, Delitzsch, &c.) Moysem plura scripsisse, alia alios coætaneos, ejus forte mandato et directione, quæ omnia paulo post ipsius mortem in unum collecta sunt. Sed hic jam in re explicanda minime conveniunt. Hæc Delitzsch habet, postquam Moysi tribuerat descriptionem legis sinaiticæ (Ex. XIX-XXIV), aliorum fragmentorum ac Deuteronomii: «cæteras leges a sinaitico deserto ad campestria Moab Moyses verbo tradidit, quas descripserunt sacerdotes. In codicis formam redactæ sunt paulo post adeptam terram promissam. Hic jam coeptum est historiam Israëlis describere nonnisi in postera sua parte agnitam. Quidam, ut Eleazarus, filius Aaronis, sacerdos, scripsit magnum opus בראשית ברא (Genesim), in quo recepit *librum foederis* (leges sinaiticas, Ex. XIX-XXIV), ac forte ex Moysis postrema oratione breviter complexus est, quemadmodum Moyses illum propria manu descriptum reliquerat. Alter dein, ut Josue vel unus ex illis זקנים quibus Moysis spiritus datus fuerat (Num. XI, 25) hoc opus perfecit, illa forsitan auctoritate motus, ac Deuteronomium illi adjecit. Ita forte processit *Thora*, a duobus auctoribus non sine subsidio documentorum ampliorum, quæ litteris erant consignata.» Simili modo loquitur Kürtz: «Pentateuchus mosaicus est, quamvis enim non omnia quæ ejus substantiam constituunt, ab ipsius Moysis calamo procedant, tamen redactio reliquarum partium, atque coordinatio totius, ab illis originem habent, qui Moysis cooperatores, discipuli et coævi fuere, et magna quidem ex parte sub ejus oculis atque mandato.» Quæ quidem opi-

nio authentiæ operis absolute non contradicit, sed hypothesibus fundatur minime subsistentibus, satis imaginariis, ac rem non demonstrantibus. Quod a fortiori dicendum erit de sententia illius medici Astruc, qui Genesim opus Moysis fatebatur (anno 1753), sed tantum quatenus anteriora fragmenta ipse collegerat, et sicut scripta erant, in unum conjunxerat; unde explicabat ille eas, quæ sibi videbantur repetitiones, fragmenta inconnexa, abruptæ transitiones, diversitas stili, &c.—Ii *labores critici*, aliique similes *exegetici*, quibus præsertim omnia in Pentateucho explicare conabantur veluti a *scopo Moysis humano* procedentia (etiam in illis quæ vere Deus jusserat, quod isti adhuc non inficiabantur); atque asserebant in Pentateucho Deum (vel solum Moysem) sese captui hominum illorum accommodasse, ita ut res politicas et leges civiles et domesticas in forma religiosa tradiderit; ii, inquam, labores viam pararunt primum *naturalistis*, qui, quæ supernaturalia ibi sunt, omni conatu naturaliter explicare contendebant; ac demum hodiernis *criticis*, qui, *criteriis tantum internis ducti*, ac linguarum orientalium cognitioni fidentes, sed vere *divinam providentiam repudiantes*, quoniam deistæ, aut materialistæ, aut præcipue pantheistæ sunt, tertiam sententiam invenerunt statim explicandam.

247. Putant itaque hodierni rationalistæ Pentateuchum in præsenti ejus forma nonnisi post plura secula a Moysis tempore ortum fuisse; ad ejus vero compositionem finalem adhibita fuisse antiquiora opera et relationes scriptas, quæ, juxta aliquos, a Moyse aut ab ejus ætate plus minusve proveniunt; juxta alios hæc etiam sero post Moysem originem habuerunt, et pauca admodum aut nulla mosaica documenta comprehendebant. Sic Herbst, ad rationalistas in hoc accedens, asserit collectionem esse factam adnotationum Moysis, tempore Davidis aliis antiquis documentis completam: Bleeck et Bertheau, inter septem legum mosaicarum classes, quas in Ex., Lev., et Numeris distinguunt, multas esse Moysis defendunt. Renanus *vix* notum fuisse Moysem asserit antiquis hebræis ut legislatorem, minime vero ut historicum, ac tandem seculo 8.° ante Christum ortum fuisse Pentateuchum, ita ut quæstio super ejus genuinitate mosaica minime tractari mereatur, cum jam sit *a scientia* damnata. Alii denique seculo 7.°, tempore nempe Josiæ, fraude compositum fuisse contendunt a *veteratore illo sacerdote Hilchiah* (Helcias).—Hypotheses R. Simonis et Astruc, inepta exegesis seminaturalistica Lecleri et D. Michaelis medio seculo 18°, philosophia materialistica tunc vigens, quæ religiones omnes positivas fraudi hominum tribuebat, ac libros mosaicos proinde rejicere debuit, deismus etiam qui revelationem externam

ejusque notas distinctivas miracula ac prophetias rejicit, criticismus denique Kantii, qui in verum pantheismum successit, cum vera religione, ac genuinitate et veracitate librorum Moysis incomposibilem: hæc sunt *vera criteria interna*, quibus utraque repellitur, ut postea patebit in argumentorum solutione. Certe talia sunt hæc argumenta, ut in omnibus antiquis scriptoribus græcis et romanis similia aut majora inveniantur (præsertim in Muhammede et nonnullis orientalibus scriptoribus, qui ut genuini habentur), quos tamen ii critici et orientalistæ haudquaquam repudiare solent, sed contra non semel libris hebræorum objiciunt. Notissimum est quid acciderit Gesenio præclaro inter omnes hos criticos et plurimis linguis versatissimo, qui tamen ut veram accepit inscriptionem foeniciam ex professo a quodam inventa, ac pariter Sanchoniatonis librum etiam falso compositum. Simile accidit turbæ criticorum germanicorum cum opere anonymo quod prius Fichtei fetus fuit, et ab illis *ob criteria interna* turmatim Kantio tributum est; quum vero veritas prodiit, pariter *criteriis internis indubiis* demonstrarunt non Kantio convenire sed ejus potius discipulo. Quid cum hujusmodi sapientibus agas? Nempe hoc principium altius repositum tenendum est: *hominibus et historiæ ac traditioni semper est credendum, nisi error demonstretur*; absque hac namque fide humana societas impossibilis est, ac naturaliter et necessario homo homini credit. Igitur in rebus historicis prima sunt testimonia, quæ quidem numeranda sunt et ponderanda: deinde *criteria interna* multum juvare possunt, tum ad testimonia æstimanda et clarius intelligenda, tum ad ea repudianda, si id exigat ratio peremptoria. Igitur *critica* sine *historia et traditione* manca est et coeca, ac in absurdos imaginationis partus necessario inducet. Ceterum hæc systemata critico-philosophico-exegetica, quæ ad tres classes reduci possunt, ad hypothesim nempe *fragmentorum*, *documentorum originalium* et *retractationis supplementariæ*, rursum exponebimus ac refutabimus in nostra Hermeneutica; hic tantum subjicimus nomina celebriorum hujusmodi hostium contra authentiam sacrorum librorum, ac præcipue Pentateuchi. Inter naturalistas germanos eminebant D. Michaelis et Eichhorn (quorum quidem systema ab omnibus fere posterioribus ex parte adhibetur), deinde venerunt, Corrodi, Berthold, Vater, de Wette, Gramberg, Staehelin, Hartmann, Bohlen, Vatke, Ewald, Hupfeld, Tuch, Knobel et George; in Anglia Davidson, Colenso; in Gallia Renan, Nicolas, cum pluribus aliis germanicos auctores expilantibus; præter alios qui contra prophetas aut evangelia præcipue insurrexerunt, et exceptis etiam multis qui rem non pertractant, quatenus jam judicatam supponunt eo ipso quod Biblia quid-

quam religiosum et supernatnrale admittit. Et hoc vere esse fundamentum laborum suorum fatentur candide inter alios de Wette, Baur, Strauss, Rénan, Reville, &c.

CAPUT III.

Vindicatur Moysi Pentateuchus argumentis externis, internis et indirectis.

248. Auctorem Pentateuchi vere Moysem fuisse demonstrant argumenta *externa*, *interna* et *indirecta*.

1.° Hæc fuit universalis judæorum fides, quam sua ætate demonstrant Christus et Apostoli, qui Pentateuchum ut opus Moysis allegare consueverunt, v. g. Mar. XII, 26; Luc. XXIV, 27; Joa. V, 46; Act. XV, 21; Rom. X, 5 &c., et quidem absque ulla accommodatione ad vulgatam judæorum coævorum opinionem, quæ, si erronea fuisset, in verum errorem Christus dilapsus fuisset, ait enim Joa. V, 46: «Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi; *de me enim ille* SCRIPSIT». Si qui Patres videntur Esdræ actualem Pentateuchum tribuisse, ideo est, quia admiserunt rabbinicam fabulam de omnibus hebræorum libris in destructione Templi deperditis, et ab Esdra miraculose restauratis, et quidem supposita genuinitate antiquorum, et fidelitate restaurationis. Sed hæc jam oblita sunt, et universalis christianorum et judæorum fides post Christum circa genuinitatem Pentateuchi notissima est, nec nisi a Spinosa primum negata hæc genuinitas fuit, et De Wette hanc opinionem *scientifice probare* prior tentavit.

Reliqui Bibliorum hebraicorum libri Moysi Pentateuchum adscribunt. (a) Clarissima hujus rei mentio invenitur 4 Reg. XXII, coll. 2 Par. XXXIV, qua de re alibi satis dixi-

(a) Hic notandum est non semper allegari *librum legis*, *Torah*, ut opus Moysi, sed absque alia sæpe denominatione; vel dicitur *lex Jehovæ*, *liber legis Jehovæ*, *lex*, *liber legis Moysis*, *liber legis Jehovæ per manum Moysi*, *mandata Jehovæ*, *præcepta Moysis*, &c.; quæ synonyma esse evincitur ex eo quod apud eumdem auctorem diversa denominatio occurrit (comp. Jos. XVIV, 26 cum XXIII, 6); quia

mus (n.° 189), sicut etiam de multiplicibus Jeremiæ locis ad Pentateuchum alludentibus. Librum Danielis IX, 11 et præsertim libros Esdræ allegare superfluum foret, passim namque id ibi occurrit. Amos Pentateuchum supponit, tacite allegat vel imitatur (præsertim hebraice, ut in seqq.) V, 8; IX, 6; II, 9; coll. Deut. II, 24 et Num. XXI, 24; II, 10 coll. Ex. XIV, 21 et Deut. VIII, 2; IV, 11 coll. Gen. XIX, 24. Oseas VI, 7; XII, 3, 12, &c. coll. Gen. XXV, 25; XXVIII, 5, &c.; XI, 8 coll. Gen. XIX, 24; VIII, 13 coll. Deut. XXVIII, 68; XI, 3; coll. Deut. I, 31-32; XIII 6 coll. Deut. VIII, 11-14.—Isaias I, 2; coll. Deut. XXXII, 1; LI, 10 coll. Ex. XIV, 21; LII, 4 coll. Gen. XLVI, 6; LIV, 9 coll. Gen. IX, 15; LIX, 1 coll. Num. XI, 23; LXIII, 11-15 coll. Ex. XIV, 29 et Deut. XXVI, 15.—Michæas I, 2; II, 13; VII, 14-17; II, 8; III, 4; VI, 1...; VII, 13, comp. Deut. XXXII, 1. Num. XXII-XXIV; Deut. XXVIII; XXXVIII, &c. Idem reperitur apud Ezechielem, Zachariam, Malachiam; Abdiam 10 coll. Gen. XXVII, 42, &c.—Quomodo libri qui dicuntur sapientiales Pentateucho in omnibus respondeant, eorum collatio facile demonstrat.—Psalmi, etiam qui Davidi ab omnibus fere tribuuntur, *librum legis* aut expresse aut implicite sexcenties laudant; satis sit allegare ps. I, 2.—Missi prædicatores a rege Josaphat in civitates et oppida Judæ (2 Par. XVII, 7-9) *librum legis Domini* explicabant, quod dein imitatus est Ezechias (2 Par. XXX, 1-27, præsertim v. 16, 18).—Multo ante hæc tempora jam templum, sacerdotium totumque externum cultum juxta præscriptiones mosaicas ordinaverat David. Confer etiam monarchiæ tempore 2 Par. XXIII, 18, XXX, 15, 16; XXV, 4; 4 Reg. XIV, 6; XVII, 37.—In libro Judicum sæpe ad res in Pentateucho relatas allusio fit, v. g. III, 4..; XI, 15..; et canticum Debboræ, quod antiquissimum adversarii fatentur, manifeste alludit ad Deut. XXXIII.—Denique liber Josue apertissime nostram thesim evincit (conf. I, 7, 8, 13, 17; IV, 10, 12; VIII, 31-35; XI, 15-20; XXIII, 6; XXIV), quo postremo capite alloquitur

nullus unquam auctor nominatur, sed solus Moyses, aut nullus; quia demum nulla est ratio qua constet alium fuisse apud hebræos librum, qui regula juris haberetur, cui omnes obsequium præstare deberent, et cujus observantiam tam præclare, constanter et vehementer prophetæ inculcare conarentur.

populum Josue jam moriturus, ac plurima in memoriam revocat in Pentateucho descripta; quod imitatus est David (3 Reg. II, conf. v. 3), et solemnis et consuetus perorandi modus fuisse postea videtur (conf. Act. VII; XIII, 16..). —In hebraica historia plura inveniuntur facta quæ legislationem mosaicam et historiam Pentateuchi supponunt, quorum nonnulla jam allegavimus (conf. Jud. XVII, 13; 1 Reg. XXII, 18-19; 2 Reg. XV, 24, ubi de *sacerdotio et ministerio levitarum* sermo est; de *festis* vero 1 Reg. I, 3; II, 15; Is. I, 11-14; Oseas II, 11 &c.; de *nazaræis*, Judicum XIII, 7; XVI, 17; Amos II, 11-12, &c.).—Omnis igitur hebraica literatura super Pentateucho nititur et ab eo pendet; omnis religio, leges, mores, destinatio, historia, dogmata, spes, ipsa vitia, ut elatio judæorum quia Moysem habebant (conf. evangelia passim), absque Pentateucho antiquissimo et vere mosaico non intelliguntur; hoc dato, omnia cohærent, quod tota archæologia biblica demonstrat.—Ex dictis tria hæc ad minus plena evidentia fluunt: 1.° historiam in Pentateucho narratam primo post Moysem tempore agnitam ab hebræis fuisse, 2.° *librum* exstitisse in quo descripta erat lex Moysis, 3.° hunc librum eadem continuisse, saltem quoad substantiam, quæ noster Pentateuchus, ideoque narrationes in eo contentas ad Moysis tempora assurgere. Testimonium vero quod pro antiquissima origine et auctoritate Pentateuchi *e textu samaritano* non levis ponderis eruitur, ex iis constat, quæ alibi diximus de hujus textus antiquissima origine ab antiquo regno Israel, ac proinde ante tempora Salomonis et Davidis jam existentis (v. n. 197). Plura demum aliorum populorum et scriptorum testimonia nihil aliud sunt quam veluti hebræorum universalis et constantis traditionis resonantia, ob idque ab eorum allegatione abstinemus (confer ea si lubet, apud Huetium, vel apud Glaire); id saltem valoris habent, ut vere existentem hebraicam traditionem supponant, atque in nulla re contraveniant.

249. 2.° Testimonia interna, seu fundamenta in ipso Pentateucho demonstrantia Moysis opus esse evidentissima sunt. Sane non solum ibi dicitur quædam a Moyse scripta fuisse, sed totam legem ab eo levitis traditam fuisse *coram facie Jehovah* custodiendam (conf. Ex. XVII, 14; XXIV, 4, 7; XXXIV, 27; Deut. I, 5; IV, 8; XXVIII, 58; XVII, 18; et præcipue XXXI, 9...; et 24...). Igitur auctor Deutero-

nomii vult *totius legis* auctor haberi, qualis ipsum Deuteronomium solum esse non potest, nisi cum tribus præcedentibus conjunctum, cum potius sit *legis repetitio usui populi destinata, et anteriora instituta explicans atque in aliquibus immutans*, ut dictum est. Genesim autem ab Exodo separare impossibile est cujus manifeste est introductio necessaria (v. supra), et illius finis hujus initio repetitur. Ex transcripto ultimo loco explicari potest, quod multis placuit et inverosimile non est, solum nempe Deuteronomium a populo summa cura discendum fuisse, et in festo expiationis a sacerdotibus explicandum; solisque regibus injungi præceptum integrum legis exemplar possidendi a sacerdotibus accipiendum; unde nihil mirum si in reliquis hebræorum libris Pentateuchus non admodum frequenter et expresse nominetur, sed tantum ad legem et historiam ibi contentam infinitæ allusiones fiant.—Auctor Pentateuchi in quatuor posterioribus libris apparet ut testis oculatus, et ita proprio charactere et qualitatibus notus, ut coætaneus rerum quas narrat necessario habendus sit (conf. e. g. Ex. XV, 22-27; Lev. XXIV, 10-11; Num, VII; Deut. I, 1-2; XXXI, 14... &c.)—Ordo et dispositio legum non systematice dispositarum, sed prout conditæ sunt, narratis eventibus et circumstantiis, quæ occasio legibus condendis fuerunt; ita ut sit ibi mixta historia civilis et religiosa populi cum legibus promulgatis, cum notitiis singularum personarum, canticis, aliisque quæ a posteriori auctore antiqua monumenta coordinante nullo modo procedere possunt, hic enim omnia ordine collocasset, præsertim si ipse quidquam de suo adjecisset, aut adjicere posset. Igitur postremi quatuor libri temporis mosaici sunt. Genesis autem ante eos scriptus est, tum ex dictis, tum ex eo quod ad eum in reliquis quatuor fit perpetua allusio (Ex. XIII, 19; XXXI, 17; Num. XXVI, 19; Deut. XXIX, 23, &c.); ergo et Pentateuchus integer illius ætatis est.—In Pentateucho talis est rerum ægyptiacarum discriptio in ordine politico, religioso, sociali, in moribus, natura soli, scientiis, artibus, &c., ut reliqua omnia documenta longe excedat, etiam ipsas historias hujus regionis; quæ quidem descriptio monumentis hieroglyphicis et investigationibus recentibus nullibi impugnatur, confirmatur non semel. Igitur ab auctore Ægypti aliquando incola scriptus est; quod pariter dici

debet de deserti arabici descriptione, quæ, fatentibus viatoribus hujus regionis, mira est, et omnibus numeris absoluta (ita præsertim Laborde); et adeo loca inspicientibus inservit, ut plures ex præcipuis mansionibus israelitarum adhuc optime determinari possint, reliquæ difficulter, in amplissimo illo deserto ac post tria et amplius annorum millia (a).

Colligitur ex iis omnibus omni certitudine, quæ a critica scientia expectari potest, Pentateuchum ætatis mosaicæ opus esse. Nullus autem alius præter Moysem designari potest ejus auctor aliqua vel minima probabilitate, nullus alius usquam indicatus fuit, nullus alius tam præclaro operi conscribendo par esse potuit; ergo, quamvis adducta loca (Deut. XVII, 18; XXVIII, 58..., et speciatim XXXI, 9, 24) non de toto Pentateucho, sed tantum de postremo libro intelligenda essent (b), certo ex dictis concluditur etiam reliquos quatuor priores ab eodem Moyse fuisse conscriptos. Eam etenim sententiam, quam secundo loco recensuimus, quacumque demum ratione intelligatur, sequentia momenta explodunt: a) intima coordinatio, perfectus nexus et unus scopus totius Pentateuchi (v. supra), quod demonstratum est ab ipso Ewald *[Die Composition der Genesis]*, et post ipsum præclare ab Hengstenberg, Keil, Schoebel, &c.); b) ipsorum librorum excellentia, cui nullus coævus præter Moysem sufficiens esse valuit, multoque minus auctoritatem habere potuit ad illos hebræis relinquendos tamquam codicem religiosum, politicum, historicum &c., c) nec in ipso Pentateucho nec in traditione universa invenitur vel minimum fundamentum ejus compositionem tribuendi vel totalem vel partialem alio aut pluribus præter Moysem; d) rationes, quibus opposita nititur sententia nullius ponderis sunt, ut ex dictis et dicendis clarum fiet.

250. 3.° Argumenta indirecta rem nostram demonstrantia plura sunt, quarum pauca attingemus: a) Nullus ad-

(a) Argumentum hoc mire evolverunt Hengstenberg, *die Bücher Moses und Aegypten*, Berlin 1841, et W. Osburn *Israel in Ægypto* Londini 1855, et circa topographiam deserti arabici Laborde, *Comment. geogr. ad Ex. et Num.*

(b) Ita inter neotericos Delitzsch, et Kurtz lutherani, contra Hengstenberg, Haevernick, Keil, Schultz, pariter acatholici.

versariorum demonstrare potuit contrariam sententiam. Plures quidem sunt, qui dicant inauthentiam Pentateuchi rem esse scientifice demonstratam, nullus vero qui dictum evincat; imo, post opera præstantissima et prorsus indestructibilia Henstenbergii et Ranke, nullus aut ea legere ausus est, aut si legit, eorum argumenta refellere tentavit, atque unicam repetunt una voce cantilenam, nempe, plura esse in Pentateucho impossibilia et legendaria, *quia plura recensentur miracula*; alia autem argumenta critica, philologica, aut, si superis placet, scientifica, ante laudatos auctores opponi solita nullus serio repetit, quæ prorsus contrita fuere. b) Repudiato Moyse ut auctore Pentateuchi, mira est inter adversarios discordia in alio vel aliis designandis, sicut in determinandis fragmentis, quæ mosaica sunt, aut coætanea, vel si sint aliqua, vel quanta, vel qualia (a).

(a) Ita Ewald quinque præcipuos auctores numerat mira securitate et serietate, quorum primus tempore Gedeonis vixit, et e tribu Juda erat (hoc eruit ex Gen. XLIX, 9-10, nempe quia prophetias respuit auctor, remque considerat sub eodem aspectu quo considerari possunt indici *Puranas*, aut codex *Manu;* hoc valet pro sequentibus allegationibus), 2.s vixit tempore Davidis, et erat e tribu Levi (Gen. XVII, 6, 16; XXXV, 11; aliaque loca de regibus agentia, præsertim edomitis cap. XXXVI, quo in loco adversarius accipit pro catalogo *principum* tribuum edomitarum, catalogum *locorum*, quibus degebant principes antea recensiti, Gen. XXXVI, 15-19 coll. 40-43, ubi legitur לְמֹקְמֹתָם בְּשֵׁמֹתָם. Hic tamen v., 31 glossema posterius esse potest ubi dicit: *antequam* regem haberent filii Israel; sed ante Saulem scriptum fuisse catalogum istum evincitur ex eo quod octo reges edomitici ab Esau ad Saulem pervenire nequiverunt). Tertius auctor seculo IX vixit, et optimus fuit propheta, sicut anterior optimus legislator et politicus; in regno Israel degebat et composuit historiam infantiæ Moysis, Josephi, aliaque miraculosa, quibus etiam characterem propheticum tribuit, interpolavit Num. XII, 6-8 et verbum invenit adeo rarum בלעדי (Gen. XIV, 24, vulg. *exceptis*), quod unde didicerit Ewald omnes ignorant. Quartus auctor ille est a quo hodiernus Pentateuchus et liber Josue procedunt, 8° seculo vixit, antiquas legendas liberrime corrupit (hæ legendæ diversæ a diversis his auctoribus retractatæ sunt), et elementum messianicum invexit. Postremus venit *deuteronomicus*, medio seculo 7°, orator fuit, ægyptius, et finxit cap. XXVI Levitici a 3 ad 45 versum ac orationes suas pulcherrimas Moysi tribuit. Deinde alii inferiores 6.s 7.s 8.s quidquam perfecerunt, atque ita

c) Si longa post Moysem seculorum serie Pentateuchus ab uno vel pluribus, utut poëtis, et oratoribus, et ingenii acumine et audaci ac vivida imaginatione donatis, compositus est; explicent adversarii immunitatem ejusdem ab illis lapsibus et erroribus chronologicis, geographicis, archæologicis, historicis, aliisque, in libris ita compositis magno numero numquam non inventis, quos tamen hic non esse interpretes nostri toties demonstrarunt, quoties ab incredulis objecti sunt. Explicent completum et harmonicum systema theologico-religiosum; traditiones omnes omnigena perspicuitate et sinceritate expositas, quæ populorum reliquorum vaga dogmata et nebulosam historiam mire explicant; sine quibus antiqua populorum historia chaos inextricabile est; quibus positis omnia cohærent; quibus innixi philosophi unicam rationabilem historico-philosophicam explicationem dederunt originis mundi, plurimarum veritatum et institutionum quæ hac illac sparsæ inveniuntur, et mediante Pentateucho mire colligantur. ¿Num hæc invenire potuit auctor israelita tempore a Moyse ad Davidem transacto, quum populus valde rudior fuit ac pene barbarus? d) Si Pentateuchus vel editus vel in re substantiali immutatus est inter Davidem et tempora Asmonæorum, explicari nequeunt constitutio antiquissima, dogmata, mores, institutiones religiosæ, literatura universa populi hebraici, ita Pentateucho cohærentia, ut ex eo prodiisse viderentur etiam illi qui rem ignoraret; præsertim postquam in duas nationes divisus populus est se mutuo odientes; explicari nequit existentia textus samaritani, de quo alias; explicari nequit esdrina restauratio, et fere fanatica posteriorum hebræorum adhæsio *suæ legi*, *Moysi tributæ*, quidquid dicat Renanus immani memoriæ lapsu deceptus (conf. supra in argum. extrins.); explicari nequit quomodo privatus homo duos po-

prodiit Pentateuchus ac liber Josue ab antiquis legendiculis (*decires, fablas*, juxta antiquos hispanos), et magnis artificibus mira illa sua *spontaneitate creatrice* (qua vere prodiit *Thalmud, Eddæ, Puranæ* &.: cur hæc exempla ac similia non consideravit adversarius, ac infinitam inter hæc et Pentateuchum distantiam inde manantem?); et *eadem spontaneitate creatrice, dotibus æstheticis, liberrimo et audaci imaginationis volatu* (id vere a Renano dictum est, *imaginatione, non scientia*), Ewaldus demum invenit, et attonito humano generi tradidit.

pulos decipere potuit. in codice utriusque fundamentali, quin ullus reclamaret ex Juda, si in Israel hæc facta sunt, aut versa vice; intelligi nequit quare nulla fuerit, quam sciamus, prophetarum reclamatio contra hujusmodi impostorem (neque enim magnæ ejus qualitates *artisticæ*, oratoriæ, &c., imposturam sanctificare valent, nisi apud eos qui omnia probant, quæ sibi pulchra videntur, aut a vivida imaginatione, aut perspicaci ingenio prodeuntia): nempe, innumeræ difficultates criticæ exoriuntur prorsus insolubiles; dum, admissa genuinitate Pentateuchi, nihil inexplicabile est præter *miracula et prophetias*. En verum et unicum adversariorum argumentum. Sed inexplicabile non est incredibile, ac multo minus absurdum, et totius humanitatis sensui, ac proinde *sensui communi* contrarium, ut est profecto ordinis supernaturalis rejectio. Miracula namque, seu aliis verbis, influxum Dei manifestum vel occultum in mundum omnes homines semper crediderunt et adhucdum credunt, paucis exceptis materialistis, pantheistis vel scepticis; et illa quidem rationem suffcientem habent in Dei omnipotentia, ac voluntate assequendi in mundo scopum sibi in creatione propositum; existentia vero Pentateuchi absque Moyse nullam habet rationem suficientem, esset *proles sine matre parata*.

CAPUT IV.

Solvuntur multiplices adversus genuinitatem Pentateuchi difficultates.

251. Jam a nemine opponi potest contra genuinam Pentateuchi a Moyse originem, artem scribendi tunc ignotam fuisse (conf. Archæol.), de ipso loqui Pentateuchum in tertia persona, quasdam sibi laudes tribuere (nempe suam missionem quandoque defendere coactus est, ut postea Paulus, Gal. et 2 Cor.), geographiam locorum trans Euphratem callere non potuisse (quasi non valuerit hæc loca percurrere 40 annis quibus cum madianitis fuit, quando juxta plures librum Job adornavit, aut interpretatus est, si tamen fecit): futilia hæc sunt, nec temporis moram merentur.—Linguam Pentateuchi contra ejus an-

tiquitatem nihil evincere constat a) ex eo quod hebraica lingua parum immutata sit lapsu temporis, antequam frequentiores fuissent relationes cum ceteris populis; b) quia Pentateuchus servat quasdam linguæ propietates speciales et archaismos, v. g. הוּא et נַעַר pro masculino et feminino genere, pronomina הֵלָּה et הֵאָל pro suffixis nominum, status constructos cum וֹ aut יֹ -, nominibus mensium propriis caret, quos numero ordinali designat; c) quia nulla est linguistica nota, quæ tempus posterius necessario postulet; d) quia, ut alibi diximus (Archæol. ac infra in Herm.) hujusmodi argumenta levioris ponderis sunt, cum historia linguæ hebraicæ nemini bene pateat, ac vera sit Horacii sententia: «multa (verba) renascentur quæ jam cecidere, cadentque quæ nunc sunt in honore;» nihil igitur mirum si quædam verba et locutiones in Peutateucho essent, quæ in mediis libris non apparerent, bene vero in posterioribus; denique parva aut fere nulla linguæ immutatio per annos 1000 occurrit in arabica litteraria hodierna cum lingua Korani comparata, in Joanne Chrysostomo cum Demostene, &c., judicio Hanebergii; quod etiam fatetur Renan (*Hist. des Langues Semit.* pag. 120).—Si qui libri aut monumenta allegantur in Pentateucho (Num. XXI, 14, 17, 27), hæc tempore Moysis jam exstabant, nec ut antiqui fontes citantur. Si (Deut. I, 1) supponi videtur scriptorem cis Jordanem fuisse ex versione vulgata (*trans*), non ita constat ex hebræo, cum vox עֵבֶר significare possit *cis*, *trans*, *transitus* ac proinde verti posset *in transitu Jordanis*, *quando jam erat Jordanis transitus faciendus*, *contra illum locum quo Jordanem israëlitæ transituri erant;* vel non agitur de determinatione aliqua geographica, sed de ipsius loquentis respectivo situ; vel denique correctio est post transitum Jordanis facta. Nec inverosimile videtur quinque priores versiculos Deuteronomii ab illo scriptos fuisse, qui librum in hodiernum statum disposuit, adjiciens ultima capita, nempe Josue, vel Eleazar (conf. n 245).—Adnotationes quædam circa permanentiam alicujus rei *usque ad diem hunc* v. g. Gen. XXXV, 20; XLVII, 26; Deut. II, 22; III, 14, non multo posteriorem redactionem postulant in usu biblico (conf. Mat. XXVII, 8); vel adjectæ parvulæ glossæ sunt, una cum Deut. III 11; Ex. XVI, 33...; Num. III, 47; XVIII, 16, quæ minime genuinitati et integritati operis officiunt. Ita Haneberg, qui plura allegat similia exempla, ut Homerum, Tullium, pluresque arabicos scriptores; et lex generalis esse videtur antiquiorum operum, quæ tamen ob has explicativas adnotationes nullius substantialis momenti, minime inauthentica habentur. Hæc porro animadversio, si necessitas postularet, extendi posset ad canticorum fragmenta (Num. XXI), catalogum principum edo-

mitarum (Gen. XXXVI), et adnotationes Gen. XII, 6; Lev. XVIII, 28 cum aliis similibus. Sed in plerisque locis difficultas optime componitur absque tali concessione, quam demum satis immutavit Haneberg in postrema operis editione (1863).

252. De Richardi Simonis et Astruc hypothesibus circa compositionem Pentateuchi supra diximus; primæ vero fundamenta minime ac nullibi inveniuntur, alterius autem statim cum fundamentis tertiæ sententiæ supra positæ refellemus; nihil tamen impedit quominus Moyses antiqua monumenta habuerit, etiam scripta, quæ ipse in compendium redegerit, aut transcripserit paucis immutatis; quod nec genuinitati Pentateuchi officit, nec unitati (cum illis Moyses usus fuerit proprio criterio a Sp. Dei illustrato), neque veracitati et supernæ inspirationi. Juxta tertiæ sententiæ patronos est Pentateuchus aut collectio documentorum a diversis auctoribus procedentium, et longe post Moysem facta; aut duo vel tria scripta antiqua, altero *elohistico*, altero *jehovistico* (quæ nempe Deum suum vocabant Elohim aut Jehovah, et forte diversæ religionis erant) a posteriori auctore retractata sunt, et uni medio systemati accommodata (plerique ex iis cogitant Deuteronomium a speciali alio auctore procedere); aut denique antiquum documentum elohisticum a posteriori auctore jehovistico retractatum est (manipulado, retocado, refundido). Prima hypothesis fere derelicta est, eamque tantum tuentur Vater et Hartmann; secunda ab Astruc male inventa, defenditur, diversis immutationibus factis, ab Eichhorn Hupfeld et Davidson; tertiam diverso modo explicat Tuch, Staehelin, de Wette, Bleeck, Knobel, Ewald, Renan, &c.

Contra horum sententiam agunt omnia fere argumenta superius adducta, præsertim interna, ut unitas scopus et compositionis, quæ intimius rem consideranti non difficile apparet, ac legum dispositio eo ordine quo promulgatæ sunt; quapropter non semel repetuntur, derogantur, immutantur, quod in posteriori scriptore, *præcipue si eminentior artifex fuit* (artista), *magnus poëta, profundiori ingenio ac vividiori imaginatione præditus*, concipi penitus nequit. Deinde, cum hypotheses quas impugnamus nullo externo fundamento, *sed internis tantum criteriis* fulciantur, hæc sunt hic analysi tradenda. a) Dispositio adversariis apparet fragmentaria, multis hiatibus laborans. Ast hoc pendet e charactere Pentateuchi, nec plene historico, nec plene formam *codicis legum* præseferens, atque ex consuetudine veterum legislatorum, et aliorum scriptorum, de qua re supra diximus. b) Quæ videntur *inscriptiones* et *formulæ finales* (Gen. II, 4; V, 1; VI, 9; Lev. XXVI, 45, &c.), non demonstrantur ab antiquioribus documentis procedere; et proprium locum occupant. Sic e. g. Gen. II,

4 est veluti epilogus eorum quæ dicta sunt de omnium rerum creatione, et *apta transitio*, ut rhetores dicunt, ad ea quæ hominem respiciebant uberius exponenda. Similis in omnibus objectis ratio facile appareret. c) Repetitiones procedunt, aut ex ea, quam diximus, totius operis dispositione; aut tales non sunt v. g. Ex. XXXIX coll. XXVIII; Num. XI et XX coll. Ex. XVI et XVII; Gen. II coll. I, ut paulo ante diximus; aliæ veniunt quando describitur opus factum, ad denotandam perfectam exemplaris antea descripti imitationem, aut exactam præcepti adimpletionem quod sæpe occurrit tum hic, tum in totis bibliis, tum in antiquis profanis scriptoribus, ut Homero, ac præsertim orientalibus; aliæ denique studio factæ sunt ad intimius et solemnius inculcandum leges et præcepta, Dei benignitatem et favores, ac populi ingratum animum, quo totum Deuteronomium spectat. d) Contradictiones plerumque disparent statim ac majori attentione loca antilogica considerantur, et ab antiquis interpretibus feliciter fere semper conciliatæ sunt. Sic v. g. Gen. XI, 26... coll. XII, 1... Abraham exiit primo cum patre Thare de Ur, deinde post hujus mortem de Charran (conf. Act. VII, 1) (a), sed non erat natu major inter filios Thare, etsi prior numeretur (Gen. XI, 26). Sic Gen. XXVI, 34; XXVIII, 9; XXXVI, 2 conciliantur, si probabili conjectura tres uxores Esau binomias fuisse dicas, quod nullus impugnare potest, et satis consuetudine fundatur; hinc Abram et Sarai et Jacob nomina mutaverunt, etquidem Jacobo nomen Israel imponitur Gen. XXXII, 28, confirmatur vero ib. XXXV, 10. Plurimæ apparentes contradictiones meræ sunt difficultates in opere antiquissimo, ac multa supponente, quæ coætaneis vulgaria erant nobis ignota, vix non necessario existentes; sicut plurimæ sunt in libris græcis et romanis, quas grammatici sæpius declarare nesciunt, eruditi et archæologi ac philologi in dies componunt, ex multis quæ supersunt. Quomodo hæc in libris Moysis non occurrent? Sed omnes, ante quam rationalistæ eas objecerint, sæpissime viderant Patres et interpretes, qui etiam verosimiles concordiæ modos invenerunt, quos plurium scientiarum incrementum quandoque superat, aliosque meliores, et non semel perfectas conciliationes invenit. (Conf. num. 708).

254. Sed ob multas difficultates, quæ in enumeratione et ordine mansionum israelitarum in deserto occurrunt, pauca hic adnotabi-

(a) P. Patrizzi concedit S. Stephanum forte memoria lapsum fuisse dum Abrahæ vocationem in Ur factam asserere videtur, Lucam vero Stephani orationem fideliter narrase: alii communius duas vocationes distinguunt.

mus. Si caput XXIII Numerorum, ubi hæc enumeratio fit (aptisimo nempe loco, postquam regio ultrajordanica jam expugnata et divisa fuerat, ac populus Jordanem erat transiturus) conferatur cum cap. XIV, XX ac XXI, cum Ex. passim et Deut. I et II, primo aspectu non leves apparebunt difficultates et contradictiones. Sed caput hoc documentum authenticum est majori diligentia loca denotans, quæ minori denotari antea poterant quando israelitis notissima erant; et tamen omittens eas stationes quas populus perlustravit post rebellionem cap. XIV narratam, exceptis Monte Gadgad, Jetebatha et Hebrona (quia loca erant probabiliter habitata), inferiori statione, nempe Asiongaber, et superiori iterum, id est, Kadesch (v. 36). Hinc rursus descendentes, quoniam in 1° mense anni 40 adhuc erant, peragrantur montes Seir contra mare rubrum, sed usque Tsalmonam tantum veniunt, unde rursus ascendentes regionem ultrajordanicam occuparunt. Ad difficultates solvendas sciendum est: Kivroth Hatava (*sepulchra concupiscentiæ*) XI, 34 idem esse ac Tabhera (*incensio*) ib. v. 3: desertum Pharan (XIII, 1) aplissimum esse, multasque ibi mansiones factas fuisse, quarum duæ tantum numerantur cap. XIII, 1, 27, omnes autem cap. XXXIII: in cap. XXI, 11—13, 18—20 minus accurate, ut diximus, loca designari, v. g. numeratur torrens Arnon, sed non ipse locus torrentis, et in cap. XXXIII vocatur hic locus Diblataim: bis descendisse hebræos a Kadesch seu Bene-Jaakan post primam ascensionem a mari rubro, ac secundam ab Asiongaber: denique Beer, (*Solitudo*), Mathana, Nahaliel et Bamoth non numerari cap. XXXIII, quoniam propriæ mansiones non fuerunt, sed loca brevioris stationis ad quamdam requiem sumendam. His prænotatis et charta geographica præ oculis habita, ita ordinari possunt israeliticæ mansiones magna probabilitate, et opinionibus De la Borde et Hengstenberg aliquantum immutatis:

Stationes israelitarum in deserto (Num. XXXIII cum loc. parall.):

Omissis prioribus de quibus nulla difficultas, numerabimus 1° stationem circa mare rubrum, v. 10; deinde desertum Sin, Daphka, Alusch, Raphidim, Sinai (in montibus Horeb), Sepulchra concupiscentiæ (seu incendium), Hatseroth, Rithma, Rimon-Parets, Libna, Rissa, Kehalatha, Schafer, Harada, Makeloth, Thahath, Tharah, Mithka, Haschmona, Moseroth, Bene-Jaakan (hæc est Kadets seu Cades) v. 31. Hinc reversi sunt ad meridiem et, inter alias omissas stationes, venerunt Hor Haguidgad (*Mons Gadgad*), Jotbatha, Hebrona... Asiongaber (Ailath, in mari rubro); unde rursus ascendentes pervenerunt Kadets

(v. 36), ac iterum descendunt ut regionem edomitarum circumeant (v. 37), et inveniunt Montem Hor (*Mosera*) et Tsalmona; deinde ascendunt per iter deserti Moab, ad orientem Edom, inveniuntque Phunon, Oboth, Ieabarim, Dibon-Gad (=*Zared*, Deut. II, 13), Diblataim (= *Arnon*, Num. XXI, 13), Nebo (=*Phasga*, in montibus Abarim) et campestria Moab contra Jericho inter Bath-Haischimoth et Abel-Haschitim (pratum acaciarum).

255. Argumentum contra unitatem Pentateuchi ejusque auctoris, quod solemne rationalistis est atque ut rei plenam demonstrationem jactitant, est duplex nomen Dei ibi apparens, tamquam si e fragmentis constaret, quibus aut solum Elohim, aut solum Jehovah Deus vocaretur, quæ deinde aut fere integra inserta sunt, aut permixta; unde distinguunt illi partes *elohisticas*, *jehovisticas*, *mixtas* et *latentes*. Huic argumento adjiciunt diversitatem scopus et idearum, ac differentiam in charactere linguistico.

Sed hæc nominum permutatio minime necessario postulat diversitatem fragmentorum vel auctorum; quin potius sæpissime alterutrum nomen usurpatur in propria sua significatione, quæ si in omnibus locis distingui nequit, et in pluribus utrumque nomen aptum foret, adhuc unus idemque auctor manifeste posset utroque sibi familiari uti. Ceterum unius alteriusve nominis usus nec semel in Genesi, ubi præcipua difficultas est, certum criterium esse potest distinctionis fragmentorum, præsertim in fragmentis *mixtis* vel *latentibus*; unde multum adversarii digladiantur in determinandis partibus *elohisticis* et *jehovisticis*, et novissimi eorum aperte fatentur neccessitatem alia criteria huic adjungendi ad rem suam conficiendam.

Hæc ut melius percipiantur, sequentia animadverte: a) Inter fragmenta (ita ea dicimus, nomen, non theoriam, ab adversariis sumentes) quæ universim Deum Elohim aut Johovah dicunt (Elohim Gen. I, 1—II, 3; VI, 9—22; VIII, 1—19; Jehovah IV, 1—16; VI, 1—8; VII, 1—9; Jehovah-Elohim II, 4—III, 14), alia sunt quibus utrumque nomen usurpatur (mixta, v. g. Gen. XXII, 1—19, XXVIII, 10—22, et quidem hæc sunt fragmenta historica ab uno certe auctore venientia), et alia nullum fere ex iis nominibus adhibentia (*latentis characteris*, v. g. Gen. XI, 10—32; XXIII: XXXIV; XXXVI; XXXVII: XL). Præter hæc nomina Dei sunt etiam in Pentateucho: El, Adonai, El Schaddai; El-Eelion (*Deus excelsus, altissimus, summus*). Ab Ex. VI, 2 discimus nomen Elohim ut characteristicum totius fragmenti accipi non

posse.—b) Jam a Patribus hæc nominis Dei permutatio fuerat animadversa (Tert. cont. Hermog. III), et in ejus causam inquisitum, quam ex græca ac latina versione invenire nixi sunt (Jehovah=κύριος=Dominus, Elohim= θεός=Deus, sed loc. cit. Ex VI, 2 vertitur etiam *Dominus* in Vulgata, ubi juxta consuetudinem verti debuisset hoc v. «Locutusque est *Deus*, Elohim, ad Moysem dicens: ego *Dominus*, Jehovah»).—c) Elohim non venit ab אלה=אול, fortem esse, (ita Reinke), sed ab אלה in significatione arabici *aliha*, timere, (ita Delitzsch, sed hæc omnia satis incerta videntur, et verbum arabicum potius significat *adoravit, coluit*, item *stupuit, confugit*, quæ de Deo optime dicit possunt). Jehova ex היה=הוה, esse, (conf. Ex III, 14, et utrumque articulum apud Gesenium, edit. Drach). Jehovah est nomen *proprium* veri Dei (Ex III, 18), Elohim appellativum, quod etiam adhibetur ad falsa numina designanda, et creaturas quæ Deum repræsentant. Tunc adhiberi solet nomen Elohim, cum Deus ut ens supramundanum, esse absolutum, creator et rector omnium depingitur; Jehovah vero cum sistitur tamquam cum hominibus agens, ac præcipue cum Israële foedere junctus. ¡Quam bene quadrat duplex nomen Jehovah-Elohim (Gen. II, 4.....) ubi ab Elohim facta mundi creatio depingitur in historia, quæ salutem hominum ut medium et finem respicit, et docere intendit Deum creatorem ipsum esse Deum liberatorem et totius historiæ rectorem! ¿Quis non advertet qua intentione Noe Elohim Japheti dilatorem nominaverit Jehovah tamquam Deum Semi, (Gen. IX, 26, 27); et Abraham illum Deum, quem Melchisedech *El Eelion* vocat, tamquam Jehovah-El-Eelion designaverit (Gen. XIV, 19, 22)? Similia loca plura sunt. (Ita Delitzsch, ut demonstret diversitatem nominis Dei ab unius ejusdemque auctoris scopo procedere vocabulis synonimis apte acuteque utente. Quæ, si non semper advertatur intentio, nihil evincit contra libri unitatem; præsertim quia alibi etiam adest nominis immutatio (v. g. 2 Reg. VI), et alia nomina Deus sibi tribuit, ut Deus Jacob &c.—d) Ex verbis Ex VI, 3: «Ego sum Jehovah... in nomine El-Schaddai *(omnipotens)* apparui eis (cognitus ab eis fui ut *omnipotens*, et nomen meum Jehovah non indicavi eis,» minime erui potest *nomen* Jehovah Patriarchis ignotum fuisse, ut Hanebergio placuit; sed id sibi volunt, hebræos nempe proxime ampliorem revelationem habituros operum Dei, quæ ipsis Patriarchis non nisi ex parte tradita erat, qui nempe nondum assequuti fuerant, nondum cognoverant nec laudaverant totum ambitum, extensionem, magnificentiam divinæ potentiæ quæ sub nomine Jehovah designantur, et israëlitarum oculis paulo post erant revelanda et ostendenda. Ita Kürtz et Delitzsch; unde necessarium non est ejusdem Hanebergii sententiam admittere, qui nomi-

num permutationem ex parte procedere affirmat ab illis monumentis scriptis quibus Moysem usum fuisse nullus inficiatur, quamvis nec demostratum est (sed circa hæc conf. supra).

256. Denique contra partitionem Pentateuchi ob *diversitatem idearum et scopus auctorum, ac characteris linguistici*, accipe sequentia: α) Talis partitio Pentateuchi, quoniam externis fundamentis caret, necessario subjectiva opinione et sententia peragenda est; unde tot inter hujus sententiæ patronos contrarietates et lites, quas recensere longum esset. β) Ideæ et scopus diversorum fragmentorum, non obstantibus allegatis differentiis, sunt in essentialibus, imo in multis specialibus proprietatibus, identicæ; ita ut hoc quidam adversarii fateantur, ut Knobel, nec confirmari queant objectæ diversitates in scopo et ideis horum fragmentorum aliquo gravi fundamento, et absque quorumdam adversariorum reclamatione. γ) Pariter in *charactere linguistico* inter plures speciales proprietates invenitur magna conformitas. Sic in toto Pentateucho sunt illi archaismi supra dicti: הוּא pro הִיא, נְעָר pro נַעֲרָה (ex 195 locis, 36 in Deut.), quorum ratio ab adversariis non redditur, nec in quo precipue differant auctor *jehovista*, *elohista* et *deuteronomicus* unanimiter explicatur. δ) In opere longo, diversas res continente, diversis temporibus etsi ab eodem auctore spatio forte 40 annorum conscripto, pro diversitate adjunctorum populi cui erat tribuendus ut codex religiosus, legalis, historicus, &c., impossibile fere est ut non inveniantur vocabula et locutiones diversæ, sicut diversæ ideæ ac scopus partialis; numquam autem inveniuntur contraria. ε) Si de Deuteronomio speciatim sermo sit, ætas provecta Moysis, scopus paræneticus longæ hujus orationis, auctoritas, quam ipsi tribuebat pessima israëlitarum agendi ratio ac tot labores pro illis suscepti, religio erga Moysem quæ novam illam generationem occupabat post primam terræ ultrajordanicæ expugnationem, character populi durus quo nimis erat prævidenda futura defectio, zelus religiosus et amor patriæ in legislatoris pectore ardens..... sufficientissime explicant quamcumque styli, imo et idearum, si qua sit, differentiam. In Genesi vero nihil prohibet quominus Moyses antiquioribus monumentis usus fuerit, ut diximus, quorum peculiarem dicendi modum aliquantum servaverit aut fuerit imitatus. ϛ) Denique omnino certum est tres præ-

dictas distinctionis notas pluribus in locis simul inveniri, *ubi materia contenta unum vel alterum Dei nomen proprius postulat, et specialem dicendi modum*. Inveniuntur etiam aliis non paucis locis, sed non simul; atque *critica scientia* abundat sententiis circa interpolationes, omissiones et retractationes, ubi partes librorum constitutivæ in hodierno suo statu talem scissionem minime patiuntur.

257. Quam futilia vero sint argumenta criticorum super hac re paucis his exemplis eorum incertitudinis ostendemus. Juxta Delitzsch, Gen. VII. 1-9 jehovisticum est, *forte juxta elohisticum exemplar;* XXV, 21-34 jehovist. *sed partibus elohisticis mixtum* etc. In elohisticis fragmentis Gen. XVII, 1; XXI, 1 procedit vox *Jehovah* a jehovista (ita Knobel), quemadmodum reliqua non elohistica in fundamentali documento; «nam fieri non poterat quin jehovista, qui in generali retractatione originalium scriptorum omnia percurrit, non huc illuc quædam sibi familiaria fragmenta antiquiorum loco poneret præter voluntatem, et etiam peculiaria antiquioribus adderet». «Ipse redactor ausus est quasdam documenti originalis correctiones systematice juxta aliud addere» (ita Hupfeld). «Aliqua fragmenta originalis scripti in propriam scribendi indolem ita convertit auctor, ut impossibilem reddiderit criticam analysim» (Delitzsch). «Ut defendi possit opinio textum originalem opus fuisse connexum et satis complete servatum tenens, necessarium est eum, qui textum complevit, plura reliquisse, ubi manifeste hiat» (Knobel et Bleeck). Hinc recte loquitur Ranke: «liber de suis adversariis vindictam sumit; iis qui æternum sibi cavent antiquus gravisque auctor portas clausit librum intelligendi;» et Keil, postquam rem gravissime pertractavit per integras 32 paginas, hæc habet: «Ex omnibus concludere possumus nomina Elohim et Jehovah nequaquam ut criteria accipi posse ad determinandos fontes seu origines Geneseos; ac novis criticis objicere debemus contradictionem, quam incurrunt, dum ex una parte usum pure mechanicum nominum Dei in Genesi respuunt, ac pluribus in locis eorum mutationem ex clara notitia differentiæ eorum explicant; ex alia vero, ubi hanc non percipiunt, ad pure mechanicum prædictum usum redeunt, et nomina Dei pro notis characteristicis diversorum auctorum accipiunt.»

CAPUT V.

Axiopistia seu credibilitas Pentateuchi: nonnulla objecta: locus Pentateuchi in ordine divinæ revelationis, ejusque præstantia: episodium Balaami.

258. Axiopistia Pentateuchi ex ejus genuinitate plane fluit et adjunctis omnibus auctoris ac connexionis tum illius, tum etiam libri, cum populo israelitico. Nam Moyses testis fuit immediatus eorum quæ in quatuor posterioribus libris narrantur. Quæ vero Genesis continet, pauca sane pro tot seculorum historia, atque ita præcipua, ut ab hominum memoria difficile exscidere possent, ex antiquioribus scriptis documentis Moyses habere potuit, ac certe ex orali traditione. Hac traditione historia creationis a Deo Adamum edocta, priorum parentum felicitas, lapsus ac tres filii nati, parvulæ tabulæ genealogicæ, facinus Caini, Lamethi, ac proverbium inde ortum, prævaricatio hominum generalis, diluvium, revelatio ac prophetiæ noachichæ, paucissima illa quæ de filiis Noe ac præcipuis populis inde ortis post babelicam dispersionem narrantur, facta denique domestica Abrahami ac posteriorum Patriarcharum usque dum in Ægyptum descenderunt, facili negotio servabantur; præsertim tam longa hominum vita, inter tribus nomadum, quæ domesticas traditiones incredibili fere religione servant; quod de arabibus omnes orientalistæ ac viatores testantur. Ab Adamo ad Noe et Sem primam traditionem et historica facta præcipua optime servari potuisse, demonstratione non eget; a Noe vero et Sem ad Moysem tantum interjacent Abraham, Jacob et ii qui viderunt pariter Jacob et Moysem, qui proinde ea quæ narrat optime novit. Quod si aliquos vel plures generationum gradus in Geneseos tabulis omissos fuisse alicui videatur, traditionis servandæ et solidandæ sufficientissima media erant documenta scripta, quorum existentia per anologiam cum ægyptiacis Moyse anterioribus comprobari potest.

Falsa vero Moysem data opera narrasse *præterquam quod nullus rationalistarum jam admittit et manifeste im-*

possibile est, respuit necessario character Moysis, narratio prorsus objectiva et a spiritu partium aliena, testimonium tot coævorum ejusdem populi, quibus etiam præcipua facta in tribus mediis libris contenta ipse viva voce explanavit in Deuteronomio. Eadem demonstrant perpetua hebræorum traditio, libri scripti, religio, leges, mores, tota demum biblica archæologia, quæ et Pentateuchum supponit cum suis legibus, et factis quibus fundatæ sunt, et realem omnium existentiam; quæ quidem argumenta, ut obiter dicam, integritatem etiam libri substantialem demonstrant; quam proinde pluribus tueri necessum minime est, et adversariorum est contrarium ostendere, quod nondum perfecerunt.

Quod multa contineat miraculosa, nihil moramur; imo hæc miracula incredulis hominimus terrorifica, ac imposibilitas manifesta tot tantorumque mendaciorum, si Pentateuchus genuinus sit, Moysi adscribendi, sola vera causa fuit novis criticis ea inveniendi ac tuendi imaginaria, aerea, ac nusquam in historia fundata systemata, quæ supra recensuimus, quibus historia Pentateuchi miraculosa posterioribus correctorihus, retractatoribus, poëtis, aliisque nescio quibus, tribuitur . Cum autem, si hæc vera forent, historia Pentateuchi dissimillima ac prorsus alia esse deberet, quam quæ Moysi semper tributa fuit, ac paulo ante ipsi vindicavimus; patet integritatem ac veracitatem Pentateuchi confundi cum ejus origine mosaica.—Si Pentateuchus admittatur ut authenticus, quia *genuinus est et verax*, et *incorruptus manet*, admittere debebimus Deum mundum et hominem creasse, cum hoc fuisse locutum, scopum vitæ docuisse, in rebus humanis quandoque occupari, dum ad finem creationis assequendum, qui ex abusu libertatis periclitari coeperat, opportunum fuit, quædam denique stupenda sed prorsus Deo digna miracula patrasse in favorem populi hebraici primum, ac mediate totius humani generis: insuper alia plurima haberemus ad rectam philosophiam et hominum historiam mire prorsus et divine congruentia. Si vero hypotheses rationalisticæ admittantur, omnia in archæologia hebræorum chaos sunt et æternum absurdum; scientia critica penitus evanescit, quæ, si tot fundamentis suffulta, quot pro genuinitate Pentateuchi recte allegantur, adhuc deficit, numquam aliquid probare potest; scepticismus historicus esset amplectendus; historiæ primævæ hu-

manitatis esset valedicendum, nisi, rejecta hac sola gravi ac perspicua, fabulis vedantorum indulgere velis, aut illis imaginariis theoriis, quæ homines ex naturali *materiæ cosmicæ* evolutione et progressu ortos admittere non verentur, contra sensum hominum communem, contra omnium populorum antiquas traditiones, contra scientias ipsas physicas ac naturales, quæ hominem non nisi ex homine generari docent, ac pariter in terra non semper exstitisse ostendunt. Igitur ab aliqua causa *extra materiam cosmicam* primi hominum parentes progeniti sunt, quam nos cum Genesi Deum dicimus, quæque, si homines creavit et ad aliquem finem creavit, nil mirum si hunc finem ab ipsis adimpleri postulat, et adjutoria præstat, et prevaricationes punit, et peculiares voluntates, cum tempus opportunum est, ostendit, denique si revelationem proponit ac miracula patratur. Inter duas has oppositas sententias electio facilis est.

259. Quæ contra characterem plane historicum Pentateuchi opponi possunt, præter nunc exposita, ex falsa exegesi plerumque procedunt, ut cum de antilogiis sermo est; alia e philosophicis systematibus materialisticis, deistis, aut pantheistis veniunt; alia a scientiis physicis contra historiam creationis objiciuntur, aut contra diluvium et unitatem speciei humanæ, cui postremæ subsidia conferunt historiæ, sic dictæ, philosophicæ. Primæ classis argmmenta, cum e textus male assecuto sensu oriantur, facili negotio solvuntur si sanæ hermeneuticæ regulæ interpretem dirigant, et antiquiores et classicos consulat ubi fere omnia feliciter explicantur. Reliqua longiorem expositionem postulant, et a viris catholicis et protestantibus solvuntur in apologiis pro christiana religione, seu *demonstrationibus evangelicis*, quarum præcipuas edidit Migne. Conf. præsertim Wiseman (Discursos sobre las relaciones entre la religion y la ciencia, ad calcem libri Du Clot, Vindicias de la Biblia, ed. Barcelona); Glaire (Les Livres Saints vengés); Historias præcipuas a viris catholicis post paucos annos editas, ut Cantu, Riancey, Rochbacher, Darras; Introductiones ad Historiam seu Philosophias Historiæ, ut Schlegel, Buchez, &c.; Anthropologias sanam doctrinam habentes, ut Fredault; Geologias pariter sanas, ut Marcel de Serres, Laurent, Vilanova; Naturales Historias quæ a materialistis auctoribus non veniunt, quales sunt innumeræ, et apud nos Manuale Botanicum a Colmeiro, et Zoologicum a Perez Arcas editum; denique Revisiones illæ (Revistas), quæ ad Christianismi tutelam scientificam destinatæ sunt; quas inter eminent Annales de Philosophie Chrétienne. Plura item sunt opera anglica ac præcipue ger-

manica de hac re præstantissime tractantia, in quibus numeramus Reusch, Bibel und Natur (*Biblia et Natura*), et Schultz, Die Schoepfungsgeschichte nach Naturwissenschaft und Bibel (*Historia creationis juxta Scientiam et Biblia*). Hæc demum pertractabimus ex parte in Sect. 4.ª

260. Ex dictis jam colligitur quanta sit Pentateuchi præstantia et influxus, non solum in religionem, sed etiam in scientias, præsertim philosophicas et historicas. Vera religio absque illo intelligi nequit; scientiæ naturales plura et non spernenda principia ibi sumpserunt, quod ignorant multi; geologia ex intentione illum impugnandi ac defendendi nata est; anthropologia, ethnographia, historia universalis absque traditionibus in Pentateucho servatis principium, progressum et terminum propriæ investigationis ignorarent; tota literatura judaica et christiana ab illo maxime pendet, profana non parvam accipit lucem: Pentateuchus et Evangelia, etiam si ab illorum divino charactere abstractio fiat, præcipuum fundamentum sunt totius humani generis civilizationis. Sed, quod ad disciplinam nostram proprius accedit, continet Pentateuchus veluti expositionem totius ordinis in revelatione divina a Deo servati, institutiones in populo hebraico postea vigentes, sæpe tamen derelictas ob populi defectionem; quod nihil evincere contra ipsius genuinitatem et auctoritatem, similia exempla declarant inter christianos ab institutis suis deficientes, ac omnes populos leges suas transgredientes. Præcipuæ hæ institutiones fuerunt sacerdotium, sacrificia, dies festi, leges hæreditatum, poenales, agrariæ, &c. de quibus passim in posterioribus libris occurrit sermo: item cultus, dogmata, disciplina morum; multi denique *Typi* novam legem præfigurantes, ac messianicæ prophetiæ v. g. protevangelium Gen. III, 15, verba Noë IX, 26, vocatio gentium ad Dei gratiam per Messiam XII, 3; XVIII, 18; XXII, 18; XXVI, 4; XXVIII, 14, prophetia Jacobi de Schiloh, seu Messia XLIX, 10; verba Balaami Num. XXIV, 17-19, prænuntiatio Magni Prophetæ a Moyse facta Deut. XVIII, 15, 18, 19.

261. Balaami episodium pluribus de causis ab incredulis et rationalistis impugnatur, quod tamen præter inspirationem propheticam, et prodigium, quo Deus asinæ verba humana dedit, nihil difficultatis habet. Sed Deus ad vaferrimi illius auguris cupiditatem et malas

artes puniendas, ac simul nomen suum et electionem populi israelitici finitimis gentibus ostendendam, in ore asinæ verba formavit, quemadmodum in Sina inter tonitrua et fulgura locutus est (conf. 2 Pet. II, 15), nec ratio ulla apparet simplicem narrationem (XXII, 28-30) aliquo modo torquendi. Ad agendi modum Balaami et singularem nominum Dei mutationem in hoc loco, qui certe non e diversis documentis aut auctoribus consutus est, hæc videntur tenenda. Balaam (hebr. Bilaam) homo veterator erat, et tamen communi superstitioni obnoxius, qua singuli populi suos deos magis minusve potentes habere credebantur; cumque jam pervulgata fuissent prodigia Jehovæ in Ægypto et in deserto facta, ille se etiam illius magni Dei favores assequi posse coram populis illis gloriabatur, ut majorem faceret quæstum. Hinc a Balak expetitus, difficultates objicit, atque nonnisi ex mandato sui Jehovæ ire posse affirmat. Sed veram Dei apparitionem videns et mandatum sentiens, quamvis invitus, ire recusat, donec secundo expetitus voti compos fit, Deum tamen ob pravum suum finem offendens. Hæc extraordinaria quidem erant Balaamo, sed non talia, quæ a suis superstitionibus liberare sufficerent, cum ille vere se cum diis commercium habere crederet eorumque voluntatem in visionibus addiscere, et potentia frui. Post apparitionem tamen Angeli gladio armati valde timuit ac vere proposuit nihil aliud loqui, quam quod Jehovah loqui juberet aut saltem permitteret. Hinc fluit posterior ejus agendi ratio, et usus nominis Jehovæ, cujus adjutorio gloriabatur, quod tamen, ita exigente stilo prophetico, per vocem Elohim aliquoties, præcipue vero per vocabulum El et Schaddai immutat, dum Moyses narrator constanter voce Elohim utitur, nisi quando specialis ratio est verum Deum a communi appellatione cujuslibet numinis distinguendi. Denique Balak etiam utitur voce *Jehovæ* quam a Balaam sæpe audierat; cum enim ex eo maledictionem extorquere minime potuisset, ipsum magno stomacho remisit, dicens: «revertere ad locum tuum... Dominus privavit te honore disposito», id est, ille Jehovah in quo tantum gloriaris, ipse te privavit mercede quam alioquin accepisses; falsarius es, et tuus Jehovah nihil potentiæ habet contra hostes meos, recede a me. Ex quo rursus patet quid ex nominum Dei immutatione contra unitatem et genuinitatem Pentateuchi erui possit.

CAPUT VI.

Conspectus historiæ biblicæ post Moysem: Josue: ejus liber: quisnam fuerit auctor: nihil vetat quominus ipse Josue librum scripserit: difficultates.

262. Vivente adhuc Moyse illum terræ tractum hebræi obtinuerunt, quem tribus Ruben, Gad ac dimidia Manasses trans Jordanem occuparunt; deinde duce Josue terram cisjordanicam debellarunt ac sorte inter reliquas tribus distribuerunt. Non tamen omnes prorsus civitates et oppida occupare valuerunt, omnesque hostes aut occiderunt aut fugarunt; sed philistinorum terram integram, plura loca et hostes non paucos reliquerunt, etiam contra præceptum Moysis ac Josue, qui ante completam terræ occupationem sorte eam distribuit, ut unaquæque dein tribus rem perficeret. Quædam etiam loca debellata amiserunt rursusque subjecerunt, plura solo æquarunt, quæ ab hostibus reædificata sunt, ac nova bella excitaverunt. Hi incolarum Palæstinæ residui populique finitimi, israelitis fuerunt perpetuum scandalum et incitamentum ad idololatriam ac foedisimas superstitiones, ipsique veluti *clavi in oculis, et lanceæ in lateribus, et adversarii in terra habitationis* (Num. XXXIII, 55).

263. Sæpe namque prævaricantibus hebræis, in hostium manus duramque servitutem traditi sunt, donec beneficiorum Dei memores ac prævaricationum poenitentes Deus liberabat, suscitatis ad id muneris heroibus, quos dicebant *judices* (שֹׁפְטִים, inter cartaginenses similis fuit *suphetarum* nomen, non potestas), quorumque officia, munia ac dignitatem superius descripsimus (Archæo. 113). Tota igitur hebræorum historia hujus temporis versatur in descriptione prævaricationum populi, ac punitionum subsequentium, atque Dei providentiæ eum poenitentem et ad meliorem frugem conversum liberantis ac bonis omnibus cumulantis. Inter hæc parvulum venit episodium Ruth, aliique duo in libro Judicum contenti, qui temporum illorum hominumque characterem et conditionem felicissime depingunt. Judices quatuordecim fuerunt, nempe Othoniel, Aod, Samgar, Debbora (cum Barach), Gedeon, Thola, Jair, Jephte, Abesan, Ahialon, Abdon, Samuel, Heli et Samuel, quorum historia texitur in libro Judicum, exceptis duobus postremis, de quibus in primo Samuelis seu 1 Regum narratio est. Tunc populus regem petiit a Samuele,

juxta consuetudinem gentium, idque concessit Deus eligens Saul e tribu Benjamin, quem sors deinde designavit. Ast, cum infidelis esset Dei mandatis ac theocratico regimini, a Deo reprobatus est, et a philisthæis devictum et occissum successit David, e tribu Juda, qui hebræorum res politicas, religiosas, publicum bonum ad altissimum evexit gradum. Post quasdam vero calamitates, quibus Davidis peccata correcta a Deo sunt, successit Salomon, gloriosissime ac magnificentissime regnans, templum jerosolimitanum extruens, plura scripta relinquens, qui tandem ex officio decidens punitus est regni scissione, quem obtinuit filius ejus Roboam super tribus Judæ et Benjamin, quibus sese adjunxerunt levitæ, reliquas vero Jeroboam filius Nabath circa annum 975 ante J. C.

264. Paucis deinde narratur duorum populorum historia, præcipue in rebus religionis, donec ob utriusque facinora ac regum peccata, eorum potiti sunt reges assyrii et babylonii, nempe Teglatphalassar, Salmanassar et Sargon populi decem tribuum (an. 721), Nabucodonosor autem regni Judæ (an. 588). Continentur hæc, simul cum historia plerorumque prophetarum, in quatuor libris Regum, duobus Paralipomenon ac partim in scriptis propheticis. Cyro persarum rege babylonicum imperium occupante, potestas in patriam redeundi hebræis captivis facta est; quod perfecerunt sub ducibus populi Zorobabel, Josue, Esdra ac Nehemia, templum et civitatem Jerusalem reædificarunt, et antiquam theocratiam restaurarunt, sub potestate persarum primum degentes, deinde regum Syriæ. Quibus cum Ptolomæis Ægypti rem habentibus, multa mala judæi passi sunt, præsertim sub Antiochi Epiphanis tyrannide. Ab hac liberati sunt illustri Machabæorum seu Asmonæorum familia post plura heroica bella, donec in potestatem venerunt romanorum circa ætatem Christi. Horum temporum historia continetur in libris Esdræ ac Machabæorum, una cum episodiis Tobiæ, Estheris et Judithæ singularibus libris contentis. Interea scriptus est liber Job poëticus, collectio psalmorum, opus præcipue Davidis, tres Salomonis libri, Parabolæ, Ecclesiastes ac Canticum, libri prophetarum a nono ad quintum seculum, denique liber Ecclesiastici in Palæstina ac liber Sapientæ in Ægypto.

265. Josue filius Nun, hebraice primum הוֹשֵׁעַ, *servator, salus*, deinde יְהוֹשׁוּעַ, *Dei salus, cujus auxilium a Deo est*, fidelis Moysi servus et amicus hanc ab eo nominis mutationem probabilius recepit, cum amalecitas in deserto devicit (conf. Ex. XVII, 10-13 cum Num. XIII, 9). In græca versione dicitur *Jesus Nave*, Ἰησοῦς Ναυῆ, per apocopem in primo nomine et errorem librariorum in altero, erat

siquidem vertendum *Jehosua filius Nun*. Ipso nomine et munere Palæstinam debellandi ac populo distribuendi Jesum Christum adumbravit, quod Patres communiter adnotarunt.

266. Liber suo nomine insignitus continet præcipua ejus gesta, nempe: a) occupationem potioris partis Palæstinæ (cap. 1-12); b) ejusdem distributionem ab eo et pontifice Eleazaro factam, designatis civitatibus refugii ac leviticis (13-21); c) reditum partis exercitus tribuum ultra Jordanem degentium (22); d) postrema Josue verba ad populum, ad exemplum Moysis (23-24); e) mortem denique Josue et Eleazari sacerdotis (XXIV, 29-33). Miro candore et simplicitate omnia hæc narrantur; prodigia magna quibus Deus populum adjuvit in terræ promissæ occupatione; primam tabulam geographicam, et quidem minutissimam et exactissimam offert, quæ alicubi facta sit; nomina locorum, hominum, verba ac orationes integras summa fidelitate refert, quæ fidem a legente sua ingenuitate extorquet, nisi animus ad refellendum quidquid miraculosum est sit inclinatus.

267. Haberi potest hic liber ob contentam materiam veluti Pentateuchi appendix, sed unum cum ipso volumen quandoque composuisse minime est admitendum; Pentateuchus namque Moysi fetus est, character linguæ diversus, mentionem Penteteuchi ut libri jam completi in libro Josue legimus, in eo denique repetita est terræ ultrajordanicæ descriptio et distributio, quæ vix in uno volumine comprehendi potest admissa, bene vero in altero, ubi documenta originaria possessionis cujusque tribus et familiæ ad futuram memoriam et ad lites dirimendas describi oportebat (a) (conf. VIII, 31; XXIII, 6; I, 8). Scriptus fuit lingua hebraica, et quidem purissima, ac mosaicæ simillima, nisi quia arcaismi Pentateuchi proprii (vide 256) hic jam non inveniuntur.

268. Quis fuerit auctor libri Josue certant eruditi inter Esdram, Samuelem, Eleazarum, Phineesum ipsumque Josue, imo quidam multorum auctorum et documentorum esse farraginem tenent, quorum decem numerat Van Herwerden, ea securitate ac certitudine, iisdemque fere funda-

(a) Hæc continentur cap. 13-21, quæ vocabulo nunc technico diceremus *protocolos* distributionis terræ ac titulos proprietatis.

mentis (stylo, dictione et narrationis argumento) quibus in determinanda compositione Pentateuchi Ewaldus aliique nisi sunt. Nos demonstrare aggredimur ita librum Josue rerum quas narrat esse synchronum, ut nihil inpediat quominus ipsius Josue fetus sit, paucissimis forte exceptis adnotationibus casu vel data opera in textu receptis, unius ad summum facti narratione (XIX, 47), et notitia mortis et sepulturæ Josue ac Eleazari. Et sane ante tempora Achabi regis scriptum fuisse librum facili negotio evincitur ex 3 Reg. XVI, 34 collato Jos. VI, 26; sed majoris ponderis est locus 3 Reg. IX, 16, ubi narratur regem Ægypti igni tradidisse Gazer ætate Salomonis, coll. Jos. XVI, 10, qui ait chananæum habitasse *usque in diem hanc tributarium:* ergo unte Salomonis ætatem liber certo scriptus est. Sed ante septimum Davidis annum jam editum fuisse demonstrat 2 Reg. V, 6-8, ubi occupatio arcis Sion narratur et jebusæorum exturbatio, cum tamen Jos. XV, 63 legatur «Jebusæum autem habitatorem Jerusalem non potuerunt filii Juda delere; habitavitque Jebusæus cum filiis Juda in Jerusalem *usque in præsentem diem.*» Verum quidem est etiam post Salomonem remansisse Jebusæos, quos mutatis temporibus benignius tractare poterant israelitæ: sed non remanserunt in Sion nec Jerusalem, nisi forte quidam veram religionem professi, ut probabiliter ille Areuna fuit qui aream Davidi vendidit (2 Reg. XXIV, 16...), quique a versione vulgata regis titulo donatur, sed non ab editione sixtina, versione arabica, syriaca, græca, nec ab aliquibus hebraicis codicibus.—Liber Judicum ante septimum Davidis annum editus est (infra 276), illo tamen anterior est liber Josue; omnia namque hic narrata alter supponit; occupationem et distributionem Palæstinæ sorte factam, Dei adjutorio et prodigiis fuisse debellatam, limites cuilibet tribui assignatos, quæ si jam conscripta non erant vix silentio prætermisisset; a Josue morte narrationem exorditur, quædam in libro Josue contenta declarat atque repetit, et quandoque ad verbum (conf. Jos. XXIV, 28-31 cum Jud. II, 6-9; Jos. XVI, 10 cum Jud. I, 29 &c.). Ex iis colligimus auctorem libri aut rebus narratis supparem fuisse, aut saltem coævis documentis usum, quod certissime demonstrant: a) orationes et verba Caleb (Jos. XIV, 6-12), Finees (XXII, 16-20), tribuum (XXII, 21...), ipsius Josue (XXIII-XXIV) accuratissi-

me relata, quæ tamen orali traditione servari vix poterant; b) minutissima quævis temporum, personarum, locorum adjuncta, una cum loquendi modo illius qui rerum testis fuit proprio (sic V, 1 ubi Vulgata legit: *donec transirent*, hebraice legitur, *donec transissemus* עד־עברנו); c) assertio illa (IV, 9) lapides in alveo Jordanis erectos adhuc permansisse, quod post multum temporis vix possibile fuit; d) illa etiam (VI,2 5) Raab et domum patris ejus habitavisse inter filios Israel *usque in præsentem diem*, nulla facta mentione nuptiarum cum Salmone (Mat. I, 5); e) descriptio Palæstinæ minutissime facta, nec ordine geographico, sed sortitionis (XV-XIX, vide supra); f) Sidon appellata *magna* quasi Sidoniorum esset metropolis (XI, 8; XIX, 28), cum tamen Davidis tempore potior esset Tyrus; g) limites Palæstinæ septemtrionales et meridionales designantur diversa ratione ab ea quæ vulgaris postea fuit (XI, 17; XII, 7); h) lingua et stylus remotissimam antiquitatem sapiens (vide supra 267), ac omnia denique ætati Josue congruunt, nec quidquam recentiorem postulat.

269. Si igitur auctor libri Josue coævus fuit, nihil impedit quominus ipsi Josue illum tribuamus, ac multa sunt quæ suadeant: 1.° utilitas ac necessitas limites et possessiones tribuum et familiarum scripto consignandi; 2.° memoria tantarum rerum, miraculorum ac beneficiorum Dei ad remotam usque posteritatem transmittenda; 3.° Moysis exemplum, quod in pluribus secutus est Josue; 4.° locus (XXIV, 26) in quo legitur «*scripsit quoque omnia verba hæc in volumine legis Domini*», qui perinde ac Deut. XXXI, 24, non de una concione, sed de libro integro accipi debent, præsertim quia nullus ausus fuisset a Deuteronomio evellere quæ ibi Josue scripserat, si locum (XXIV, 26) intelligas de concione tunc habita, et scripto consignata in ipso volumine autographo Legis Domini, et non potius ea cum volumine Legis scripta servasse et in eodem loco reposuisse; 5.° diversus stylus in narratione mortis Josue servatus (XXIV, 28...) et laudes ipsi tributæ, quæ alienam manum subindicant, ut pariter evenit in fine Pentateuchi; quæ quidem additiones haberi possunt veluti præambula librorum subsequentium, quæ postea ad præcedentes translata sunt ut proprium eorum complementum; 6.° tota narratio spiritum Moysis refert, ut fidelissimo ipsi discipulo con-

gruebat, perpetuusque respectus invenitur ad Moysis præcepta, minas, promissa, agendi rationem (Conf. VI, 17-19; VII, 6-10; XXII, 1-6; XXIII, 1-16; XXIV, 2-28; deinde I, 7, 8, 13, 14, 15; III, 6-8; IV, 10, 14, 21; VI, 17-19; VIII, 30-35; IX, 21-27; XIV, 6-7; XVII, 4; XVIII, 1, 6, 7; XX, 2-9; XXI, 2-3; XXII, 5, 8, 9; XXIII, 11-13, 15-16; XXIV, 5-13); denique hæc est judæorum, Patrum ac interpretum communis opinio, ipsa libri denominatione confirmata, a qua absque necessitate recedere non præstat, nec ullum est insolubile argumentum pro contraria sententia ut statim patebit.

270. Objiciuntur enim quædam civitatum ac locorum nomina ætate Josue posteriora, quæque proinde ipse adhibere nequivit, et aut diversum auctorem, aut posteriores interpollationes arguunt, et libri authentiæ officiunt: v. g. Hebron (XIV, 15), Dabir (XV, 15), Cariathbaal (XV, 60), Jebus (XVIII, 28), Tyrus, veluti urbs munitissima, quæ tamen nonnisi post 300 annos erecta fuit, Cabul (XIX, 27 comp. 3 Reg. IX, 13), Jecthel (XV, 38 coll. 4 Reg. XIV, 7), Galilæa (XXI, 32) et Galilæa montis Nephtali (XX, 7), quæ divisio babylonicam captivitatem subsecuta est, Bethel Luza (XVI, 2 coll. Jud. I, 22), denique distinctio montium Judæ et Israel (XI, 21) quæ schisma decem tribuum consequi debuit.—Verum idem locus diversa nomina simul habere potest, atque Hebron, Dabir et Jerusalem reipsa habebant præter has proprias denominationes, (a) *Tyrus* hebraice significat *munimentum rupis*, et quoddam munimentum supra rupem fundatum designare valet, cujusmodi non unum tantum erat; ac certe celebriorem Tyrum in insula fundatam post antiquam Tyrum dirutam hic non significat, sed antiquam in continente sitam, judicio Gesenii (v. ad vocem צור). *Cabul* hic oppidum designat, 3 Reg. IX, 13 regionem; unde nulla est difficultas. *Jecthel* erat forsitan nomen oppidi Judæ antiqui, quod Amasias tribuit rupi in valle salinarum captæ, sicut novis locis nomina antiquorum imponere homines solent; præsertim si accedat aliqua analogia aut nominis significatio diversis locis conveniens, ut in casu nostro (nam יקתאל, *à Deo subactam*, congruit ci-

(a) Gen. XXXV, 27; Jos. XV. 49. Jerusalem primo vocabatur Salem, שלם, *pacem colens*, deinde Jerusalem, ירושלם *domus*, seu, *habitatio pacis*, *Jebus* a Jebusæis, *civitas David*, quod nomen obtinuit postquam ab hoc rege ars Sion capta est et urbs tota in metropolim erecta.

vitati et rupi munitæ). Galilæa, גְּלִיל, גְּלִילָה, *circulum, regionem* significat, ac quamlibet designare potuit primo, deinde vero specialem provinciam. *Bethel Luza* (una eademque civitas est) prius Luza dicta, deinde Bethel a Jacobo appellata; unde primum nomen, cum jam obsolesceret, a viro quodam bethelita alii civitati datum est (Jud. I, 22) ut patriæ recordaretur. Distinctio montium Israelis et Judæ ante schisma jam obtinuit, et ex potentia ac speciali Judæ prerogativa processit (Gen. XLIX, 8-10), atque ex ipsa geographica dispositione (v. n. 289).

271. Idem fere dicas de aliis difficultatibus. Nempe *Domus Dei, et thesauri* VI, 19; et IX, 23 memorati, sunt tabernaculum ejusque thesauri, non templum salomonicum (conf. Ex. XXIII, 19; XXXV, 5; Num. XXXI, 25...; Deut. XXIII, 18; 2 Reg. VIII, 11, &c.). Nonnullæ civitates et loca distributa sunt antequam expugnata fuissent, et earum incolæ pulsi, ut Gabaon, Caphira, Beroth et Cariathiarim: sic aliquæ antilogiæ evanescunt. Phrasis *usque ad præsentem diem*, non longum tempus dilapsum postulat (Deut. III, 14; X, 15; Mat. XXVII, 8; XXVIII, 15), imo aliquoties in libro Josue parvum temporis lapsum exigit v. g. XXII, 3, et satis familiaris auctori fuisse videtur. Allegatio libri Justorum (X, 13) quisquis ille fuerit (conf. 187), non fit ad fidem eventui conciliandam; sed simplex adnotatio est miraculum hoc ibi fuisse consignatum. In conventu Silunte habito (XXII, 9) non fuisse Josue gratis asseritur et contrarium potius v. 1 subindicatur. Denique facta posteriora hic narrari, si mortem Josue excipias, nemo demostravit; sed expugnatio Hebron et Dabir per Calebum, *cum adhuc is robore valeret*, ætate Josue absque dubio facta est. Danitarum autem expeditio et expugnatio Lais, etsi Jud. XVIII narretur, multo ante contigisse ex eo evincitur, quod Jonathan Moysis nepos, et Phinees Josue æqualis, adhuc in vivis essent (Jud. XVIII, 30; XX, 28), nec sit simile vero per multum temporis familiam daniticam (de familia namque sermo est, non de tota tribu, conf. hebr.) absque ulla possessione fuisse; igitur ætate Josue contingere potuit. Nec contrarium omnino evincit phrasis illa *in diebus illis non erat rex in Israel*, aut facinus Michæ, agitur enim de quadam legis transgressione a privato levita clanculum facta, quæ proinde notitiam Josue fugere valuit, præsertim quia posterioribus ejus annis facta est, quando respublica hebræorum arctioribus unius principis vinculis non obstringebatur, sed formam foederativam servabat, in nova patria nondum solidata. Quod si duo ii eventus longius narrantur in libro Judicum, nemo mirabitur qui iis repetitionibus in bibliis occurrentibus assuetus sit, nempe genus narrandi hiulcum,

ordo chronologicus non amussim servatus, et amplior opportuna occasio rem preteritam jamque descriptam rursus narrandi, has frequentes repetitiones in Bibliis explicant; nullo ergo demonstrari potest argumento vel hos duos eventus libro Josue additos fuisse, vel post ejus mortem evenisse; quod nec liber Judicum directe declarat, dum inter res post Josue mortem præterlapsas occasionem sumit quasdam repetendi ad narrationis complementum, quæ ante Josue mortem evenerunt ab eoque cursim narrata sunt; eo vel magis, quod expeditio danitarum, de qua major est difficultas, veluti in appendice sit libro Judicum inserta, ac proinde in monumento antiquissimo descripta esse poterat.

CAPUT VII.

Fides historica huic libro debita: diluuntur contraria objecta.

272. Fides libri Josue historica ex ejus genuinitate liquido fluit, etiamsi non ab ipsissimo Josue fuerit conscriptus, et ex factorum quæ in eo narrantur natura; hæc enim publica fuerunt, solemnia, coævis vulgatissima, maximæ gravitatis, quæ omnes attingerent, quæque proinde fraudi locum minime concedebant. Deinde plurima monumentis consignata sunt v. g. *Jordanis transitus* aggestis lapidibus (Jos. IV, 9, 20), *circumcisio* voce Galgal (גלגל *devolutio* opprobrii, id est, præputii), *Hierichuntis expugnatio* ipsa Raab ejusque familia libere servata, *Achani lapidatio*, quæ simul expugnationem Jericho et victos israelitas ante Haï testabatur, tumulo lapidum congesto (conf. VI, 23, 26; VII, 26), *eventus gabaonitarum* perpetuo eorumdem famulatu (IX, 27), *bellum pro eis susceptum et quinque regum mira debellatio* ingentibus saxis ante speluncam congestis qua capti sunt (X, 27), aliaque plura VIII, 29; X, 39; XXII, 10...; XXIV, 26. Adde totius narrationis sinceritatem, quæ demonstrat narratorem verissima, quæ narrat, credidisse; intimum rerum descriptarum nexum, quæ si omittas, aut alterius naturæ fingas (non miraculosa), jam non explicabis

hebræorum omnium fidem post hæc tempora perpetuam (a), nec virtutem bellicam post eam ignaviam qua in Ægyptum reverti volebant audita chananæorum potentia (Num. XIII-XIV), nec internecinum bellum adversus idololatras chananæos, quorum institutis tam proclives erant hebræi, unde post Josue aliter sese gesserunt, quando «surrexerunt qui non noverant Dominum et opera (facinora) quæ fecerat cum Israel (Jud. II, 10-11)»: quæ verba demonstrant Palæstinæ occupationem Deo miracula patranti ab hebræis adscriptam semper fuisse, habentque hujusmodi miracula suam rationem sufficientem in scopo Dei erga populum Israelicum, traditiones sacras purumque Jehovæ cultum servaturum inter superstitiosissimas ac flagitiosissimas gentes, quibus puniendis arma hebræorum in eas Deus convertit ac prodigiis adjuvit.

273. Nec quidquam evincere valent adversus rem demonstratam quæ oponi solent difficultates, quæque, si optime componere non possemus, nihil aliud demonstrarent, quam rem difficilem esse nec profundius assecutam. Ecquidem (XV, 63) asseritur *filios Judæ* non valuisse jebusæos Solymorum expugnare, ac cum ipsis habitasse usque ad præsentem diem, idemque de *filiis Benjamin* legitur (Jud. I, 21). Sed utrumque verum est: nempe Jerusalem inter terminos Judæ et Benjamin sita hujusque propria, ab ambabus tribubus expugnata est, ac dein magis a judæis quam a benjamitis habitata. Quod Deus promisisset chananæos delere Deut. XXXI, 3 ac postea penitus non adimpleverit, promissione conditionata et hebræorum infidelitate explicatur (conf. Jud. II), nec liber Josue absolute deletos fuisse asserit, sed contrarium supponit (conf. X, 39—40, cum XXIII, 5—13, præsertim versiculo 4; XI, 16—23; XII, 7... cum XIII, 1...); unde vis determinatur illius loci (X, 39—40) quo asseritur nationes illas ita debellatas ac contritas fuisse, ut nullus vivente Josue contra hebræos insurgere eisque molestiam creare auderet; minime vero omnia prorsus loca capta, omnesque habitatores interemptos fuisse. Idem dicas de crabronibus contra gentes chanaaniticas mittendis (Deut. VII, 20); id enim diserte non narratur, sicut plura alia omittuntur, subindicatur tamen

(a) Conf. ps. LXXVII, 54-55 coll. XLIII, 3-4; Jud. VI, 9; ps. LXVII, 13-15; Is. XXVIII, 21; Act. VII, 45; Hebr. IV, 8; ps. CXIII, 3-5; Habac. III, 8; Mich. VI, 5; Habac. III, 11-13; Hebr. XI, 30-31; Jac. II, 25; 3 Reg. XVI, 34; Jud. XVIII, 31; XX, 1, 18, 26; Ecclesiasticus XLVI, 1-11, et ex libri receptione in canone.

aperte XXIV, 12 (a). Contraria objiciunt qui testes profanos rerum hic contentarum postulant, cum tamen tam remoti temporis historici non subsistant (Sanchoniaton enim posterior est, ac valde dubiæ auctoritatis); etiamsi non desint indicia hanc libri Josue narrationem confirmantia, quales sunt tot coloniæ circà hæc tempora a Phoenice procedentes, quæ a parvula regione oriri non potuissent, nisi e nationibus chananæis a Josue fugatis redundantes incolas accepisset; (b): dum alii e contra, eventus mirabiles in libro Josue narratos fabulis accensent similibus apud diversas antiquas gentes repertis; non advertentes has fabulas temporibus præhistoricis a profanis auctoribus tribui, minime vero in casu nostro apud hebræos, cum liber Josue charactere plane historico gaudeat, nec ulla sit ratio eum veluti legendarium habendi, simul ac miracula possibilia admittas ac realia, cum historice probantur nec Deo indigna sunt. Immo non absurde crederes vagas has diversarum nationum traditiones (c) circa stationem solis, a reali eventu hic narrato originem sumpsisse: nec desunt qui illi adscribant ac perturbationi terræ subsequenti diluvium Ogiges, apud græcos celeberrimum. Sed iis non indigemus.

274. Plura alia objiciuntur adversus prodigiosa illa ac stupenda quæ hic narrantur Dei opera: transitum Jordanis, expugnationem Jerichuntis, pluviam lapidum ac solis stationem. Sed mera τερατοφοβία (metus miraculorum) ea objicit, aut loca historici libri nimis poëtice exponit, aut ridicule contorquet ad rem naturaliter explicandam. Satis proinde est libri plane historici simplicem nudamque narrationem opponere, rem Deo possibilem esse, quod nemo jure negabit, ac causam Deo dignam exstitisse. Hæc autem eadem est, quam in divino erga populi hebraici delectum scopo non semel indicavimus: veræ reli-

(a) Neque hæc metaphorice accipienda sunt, quod hic locus declarat, vis vocabuli צרעה, et analoga exempla quæ refert Mungo Park in narratione missionis in interiores partes Africæ.

(b) Et quidem, omissa inscriptione quam Procopius (*in Vandalicis*) in Africa tingitana se reperisse testatur, quam ipse ita vertit: «nos sumus qui fugimus a facie Josue prædatoris»; ex vetustis monumentis probat Allix (Bisoph's Watson Theological Tracts vol. 1 pag. 354) Carthaginenses Tyriis Josuam fugientibus oriundos fuisse, Sidonios ingruentibus undique calamitatibus patria expulsos coloniam in Leptim deduxisse.

(c) Reperiuntur in Homero, Herodoto, Xenophane, Platone, Virgilio, Varrone, Alcorano, apud sinenses, indos, Floridæ ac Otaiti incolas.

gionis conservatio, ejus propagatio, humani generis ad suscipiendam Messiæ redemptionem et doctrinam præparatio; quibus hic accedit convenientia supernaturalis Dei influxus, et quidem manifesti et splendentis, ne israelitæ animo caderent, aut exitum belli sibi tribuerent, ut auctoritas Josue ducis post Moysem confirmaretur, ut gentes illæ Deum noscerent ac timerent, et suorum scelerum poenitentes propriæ saluti prospicerent, quod gabaonitæ fecerunt; cum lex exterminii ex illarum gentium a Deo prævisa pervicatia tantum procederet. Itaque vere exsiccatus est Jordanis, vere corruerunt prodigiose muri Jerichuntis, ac ridiculæ prorsus sunt omnes contrariæ inventæ explicationes v. g. terræ motu, aut subita arietum ac militum vi, aut proditione, aut cuniculis (nescio quare non sulphurico pulvere) urbem captam fuisse; presertim cum contra Haï fusos hebræos candide fateatur historicus, et humana media ad eam debellandam adhibita, quin miracula multiplicaret, aliunde omni fide destituenda apud coævam generationem, et præcipuorum horum eventuum optime gnaram. Pluvia lapidum grando maxima probabilius longe fuit (conf. X, 11; Is. XXX, 30, Ezech. XIII, 11, 13; XXXVIII, 22; textum arab., græc. LXX, Ecclesiasticum XLVI, 6, similemque locutionem apud latinos et hispanos, cum de majoribus grandinibus sermo est); utrum vero proprium miraculum fuerit ignoro; a Dei speciali providentia processisse ordinem physicum morali accomodante cum sibi placitum est, uti v. g. ad Ecclesiæ preces facere credimus, penitus affirmo. Idem de statione solis, quæ, quomodocumque facta sit, sive terræ statione in motu circum axem diurno, sive radiorum solis prodigiosa refractione, ita ut videretur immotus spatio fere unius diei, quod magis arridet, sive alia ratione evenerit, certe evenit, ut ex fide digna ac simplici narratione constat, aliorum hagiographorum fide confirmata (Habac. III, 11; Eccli., XLVI, 5). Vix adnotare debemus Josuem vulgari locutione usum fuisse, nec systematum astronomicorum ullam rationem habuisse; lunæ mentionem ex fervido enthusiasmo ac consueto hebræis parallelismo fecisse, non autem quasi ejus lucem exoptasset, unde narratio dein de sola statione solis loquitur; systema planetarium nihil pati necessario debuisse, presertim si sola radiorum solis maxima refractione res perfecta fuit; optime israelitas per totum diem dimicare valuisse, ob victoriam elatos, alimentis ac nonnulla requie singulatim recreatos, quod liber non affirmat, nec tamen negat, et alibi fieri consuevisse novimus (1 Reg. XIV); ita solem stetisse ut lento gradu in occasum descenderet, dum interea fulgura et grandines mittentes nubes illum aut occluderent, aut discooperirent spatio plus minusve unius diei ab illo momento quo Josue mi-

raculum plena fide exoravit. Quod si fingas ad tertiam fere horam vespertinam, perduravit dies alias fere duodecim, atque locum reliquit nocti, licet parvulæ. Denique in favorem israelitarum eorumque ducis patratum miraculum fuit, non gabaonitarum; qui aliunde, etsi non recto prorsus modo, bonam rem perfecerant se hebræis subjiciendo atque veram religionem amplectendo; ipsis vero imputare mendosum stratagema, nimis durum foret, cum in bona sua fide illud perfecissent. ¿Quisnam philosophus gentilis mendacium officiosum, præsertim ob bonum finem, damnavit, quod potius Plato ac Tullius diserte admittunt? Evangelium illud improbat, sed gabaonitæ lege evangelica judicari non debent. Id ipsum dicas de Raab jerichuntina, *vere meretrice*, (a) et mendacii rea; quæ tamen ad verum Deum conversa est, auditis ejus mirabilibus et ab exploratoribus edocta quos salvavit: hæc Deus præmio donavit, non scortationem aut mendacium, neque sacræ literæ id laudant.

CAPUT VIII.

De libro Judicum, ejusque ætate et auctore: difficultates quibus Samueli abjudicatur ejusque unitas impugnatur.

275. Liber Judicum hiostorico-pragmaticum epitome est illarum rerum quæ ab expugnata Palæstina ad tempora regibus proxima evenerunt, quo regimen theocraticum fastidientes hebræi discerent: ex sua erga legem Deumque fidelitate publicam quietem, independentiam, felicitatem, omnisque generis bona expectanda fore; sub Dei providentia speciali modo ipsos constitutos esse; omnia bona non a propria industria et labore, sed a Deo suum populum imperitante procedere; peculiarem destinationem populum israëliticum habere, ac proinde foederibus, ritibus, moribus reliquarum nationum animum parare non debere; ex fraterna totius populi conjuntione maxima bona, magnam vero calamitatem ex disjuntione, atque ex qualibet legis

(a) Cum talis sit usualis potestas vocabuli זוֹנָה, gr. πόρνη, nec solida ratio eam *hospitam* fuisse probet, imo illa ætate vix, aut ne vix quidem hospitia erant, nisi publica aut gratis concessa.

transgressione oriri, etiam in illos qui crimen non admiserunt, sed insontem tolerarunt; verbo: apologiam texit theocratiæ, electis præcipuis eventibus historiæ temporis regiminis foederativi, ut jam regimen monarchicum habentes hebræi, ab observantia et scopo legis Jeohovæ minime deflecterent, quod ex populi conditione maxime timendum erat, sæpius evenit, ac in historia ecclesiastica et christianorum populorum, imo in quolibet individuo nimium repetitur, æqualibus fere miserandis consecutionibus; unde etiam liber hic *ad correptionem nostram scriptus est* (1 Cor. X, 11).

276. Auctor libri diversus habetur: Phinees, Ezechias, Jeremias, Esdras, vel, quæ rationalistarum communis opinio est, ex variis fragmentis male assutis ortus dicitur, aut etiam ab ignoto auctore ex singuli judicis annalibus ad verbum expressis aut aliis scriptis monumentis. Inter judæos autem ac maximam christianorum partem Samuelis fetus habetur, hancque sententiam probamus argumentis fere rem conficientibus. Et sane ante septimum Davidis annum scriptum fuisse librum evincit locus Jud. I, 21 cum 2 Reg. V comparatus; nam phrasis illa «habitavitque jebusæus cum filiis Benjamin in Jerusalem, *usque in præsentem diem*», ad tempora auctoris refertur et antiquis annalibus, si qui erant, libere, sed fideliter, usum fuisse auctorem evincit. Aliunde, jam tempore regum vixisse probat dictum illud repetitum «*in illo tempore non erat rex in Israël*», et historia Samsonis qui post Heli mortem et ante Samuelis judiciariam potestatem floruit. Denique liber 1 Regum vulgatissima supponit, et non ipse narrat, plura facta hic descripta (1 Reg. XII, 9-12 coll. Jud IV, 2; VI; XI, 2; XIV), cum tamen priora capita 1 Regum a Samuele, vel ex ejus scriptis originem habeant, qui proinde hæc facta silentio non præteriisset, nisi in opere jam tunc exstante consignata vidisset; imo quandoque verba ipsa libri Judicum a coævis Davidis ad literam fere usurpata narrat 2 Reg. XI, 21, (compara cum Jud. IX, 53). Scriptoris propositum tempori Samuelis convenit, cum hebræi, sicut regem exoptarunt ad reliquarum gentium imitationem, ita timendum erat ne in omnibus imperium Jehovæ repudiarent, proprias calamitates ex neglectis gentium moribus ac ritibus, prosperitatem vero ex illarum imitatione profluxisse rati. Nec ratio reddi potest cur ab obitu Josue narrationem exorsus

auctor, eam in Samsone abrumpat, cum multa evenerint sub Heli, Saule, Davide, &c., proposito scopui peropportuna, nisi quia historiam institutionis regum ipse scribere constituerant, cui brevis narratio eorum quæ sub Heli facta sunt, cum propria scriptoris vocatione et regimine peropportunam introductionem offerebat. Lingua denique omni chaldaica ac seriori locutione immunis, ac quasdam cum Pentateucho communes servans, quæ postea obsoleverunt, eamdem sentiam confirmat, una cum iis dicendi modis, qui vetustissimæ illius ætatis conditionem, mores, consuetudines graphice describunt. (Tales sunt e. g. *tradere* (hebr. מכר vendere) *in manus inimici*, *irruit super eum spiritus Domini*, חרם pro שמיש ad *solem* designandum, *more sidoniorum vivere* pro quiete et secure, sacerdotes *parentum* nomine appellati, &c.; II, 14; III, 8; IV, 2; XIV, 19; XV, 14 coll. 1 Reg. X, 10; XI, 6; XVI, 13; XVIII, 10, unde hæc locutio ætatis Samuelis propria videtur; VIII, 13; XIV, 18, (hæc duo hebr.); XVIII, 7; XVII, 10; XVIII, 19).

277. Igitur nihil prohibet quominus liber integer Samuelis fetus sit, multa vero suadent: a) ingenii indoles, munus officii, auctoritas ad fidem faciendam; b) scriptoris mens, gestorum delectus ac libri conclusio in Samuelem aptissime quadrant; c) iis quæ auctor passim ingeminat simillima sunt, quæ Samuel populo ingerit (1 Reg. VII, 3; XII, 14-16, 20, 24, 25); d) totum eumdemque auctoris scopum per integram vitam et agendi modum Samuel curavit, cujus proinde gesta alius auctor ægre omnino concipitur præteriisse (vide supra); e) adde denique futilitatem aliarum sententiarum, fidem judæorum, quæ ex Thalmude aliisque plurimis constat, communem denique PP., theologorum, ipsorumque scriptorum nostri temporis sententiam, qui plerique nobiscum consentiunt, exceptis illis rationalistis, qui fidem libri historicam ob miracula narrata reformidant.

278. Samueli opus abjudicant simulque diversorum fragmentorum farraginem vident, qui auctoris consilio non assecuto, nec ordinem narrandi rerum magis quam temporum sollicitum hujus aliorumque veterum callentes, caput III ad III, 6 primum documentum habent, a III, 7 ad XVII secundum, a XVII ad finem tertium, aut etiam primum trifariam partiuntur, I-II, 5; II, 6-22; III, 1-6. Nempe ap-

tissima hic invenitur introductio ad futuros eventus juxta auctoris scopum scite narrandos, quomodo nempe israeliticæ tribus mandatum transgressæ sunt cunctos chananæos propriæ sortis interimendi, vel ignavia, vel metu, fiduciæ in Deum defectu, vel denique majori utilitate quam sibi visæ sunt percepturæ, tributa ab illis accipiendo. Expositurus autem bella Judæ auctor altius assurgit, ac nonnulla repetit in libro Josue narrata, eoque vivente facta, imo ipsi tributa tamquam omnium duci, quamvis de rebus bellicis singularis tribus ageretur. Adnotat deinde quomodo omnes fere tribus chananæis devictis pepercerunt, aut ob timorem non sunt agressæ; reprehensorem Angelum inducit; mortem rursus et funera Josue narrat ut agendi rationem hebræorum ab ultima ipsius allocutione et benedictione exordiatur; quæ repetitiones non semel occurrunt apud antiquos, etsi *arti contrariæ* nostris criticis videantur. Quæ I, 8 sententia contraria videtur v. 21 ac simul Jos. XV, 63, intelligi debet de jebusæis *arcem Jerusalem* habitantibus, quos delere nequiverunt filii Judæ cum benjamitis urbem vastantes (vide 273); aut si id non placeat, filii Judæ Jerusalem propriæ sorti finitimam aggressi sunt ignique tradiderunt; benjamitæ vero, qui postea eam incoluerunt una cum judæis, expugnationem arcis neglexerunt, quæ quidem omissio jure ambabus tribubus vitio vertitur. Similiter tribus Judæ potita est tribus philisthinorum urbibus (I, 18), quæ tamen in ipsorum potestate supponuntur (III, 3), quia non deleti, ac viribus valentes eas recuperarunt; quod quidem liber sicut et alia plura aut omittit, aut diserte non narrat. Causa cur Deus chananæos non delevit multiplex esse potuit, ac nulla proinde est contradictio si una alterave diversis locis adnotetur (conf. II, 22; III, 1; Ex. XXIII, 29; Deut. VII, 22) propriumque Dei est omnia prospicientis, eodem medio diversos fines attingere. Quod si diversos eventus ac Judicum facta aut cursim attingat, aut libere fluat ac diffuse narret, nihil aliud eruitur quam auctorem non sibi proposuisse proprie historiam scribere, sed expositionem eorum eventuum, qui suo scopui propius accederent; unde nullus fere hic invenitur qui rem ab auctore intentam non demonstret, totaque populi conditio apparet ut series continua fortunatorum eventuum ac divinæ protectionis, vel maximarum calamitatum, pro observantia Legis aut ejusdem transgressione; nihil aliud autem historia dignum tunc contigisse nemo defendere poterit, præsertim cum ad plenam narrationis intelligentiam non semel alia amplior desideretur. Sic quia per Gedeonem et Samsonem plura Deus persecutus est quam per Othonielem, Aod, Samgar &c., pluribus auctor ea narrat: gesta Debboræ cum Barac præclara sed non multa, brevi sed vivida

narratione exponit: Abimelechi tyrannis, Jephte e domo pulsus, filii Gedeonis necati, hincque Joathanis apologus, ipse Jephte ab ephraimitis impetitus, Samson philisthæis traditus... aliquid evincunt ad hebræorum eruditionem, præcipue religiosam juxta auctoris scopum (v. g. ingratum animum erga suos liberatores hebræis objicit, ac mala subsequentia exponit; quæ contra Legem facta sunt magnas calamitates creasse docet). Si ex gemina conclusione (XV, 20; XVI, 31) duplicem Samsonis historiam hic videres, aut vitam aut interitum ipsius in alterutra earum desiderares, quod incongruum est; si vero duplex diversarum narrationum fragmentum credas, non adeo apte cohærere potuisset; quarum hypothesum necessitas nulla est, cum hagiographis mos sit eadem clausula et narrationi universæ, et variis ejusdem partibus finem apponere; unde (XV, 20) narratis quæ Samson pro patria fecerat contra philisthæos «*in diebus Philisthiim*», monet quodammodo lectorem sequentia ad ducis suprema spectare, quæ propterea XVI, 31 liberiori ac minus determinata clausula concludit. Quæ postremam libri partem spectant, licet de rebus chronologice prioribus agant, quam quæ immediate antea narratæ sunt, ac veluti appendices spectari possint; ab eodem tamen auctore procedere evincit idem prorsus stilus (conf. XX, 18 cum I, 1 et XVII, 11 cum I, 27 hebr.), et germanus scriptoris scopus. Cum ad Judices non hæc spectarent, earum narratio potiorem turbasset, si ordo chronologicus servatus fuisset; omissis vero illis, præclarum documentum ad auctoris scopum amissum fuisset, quo ex superstitioso Michæ sacrario et sacrilego danitarum cultu, ex gabaitarum flagitio, quod benjamitis exitium tulit, discerent hebræi quæ quantaque ex violato religionis cultu, et ex corruptis moribus reipublicæ pestis immineat, quomodo paucorum culpa patria in pernitiem ruat, qualis conveniat animorum ac virium conjuctio, ut quæ prave peracta sunt depellantur, ne insontes pereant; quæ quidem conjunctio a diebus Josue defuit, a Samuele restaurata fuit, ac sub Davidis regno redintegrata. His postremis capitibus præsertim hebræorum conditio, ingenium, ac status fere anarchicus felicissime depinguntur; quod oblique per totum librum factum etiam est.—Objicitur denique phrasis «in diebus illis non erat rex in Israel»; vocem *videntis* tempore Samuelis usitatam, ætate vero scriptoris obsoletam (conf. IV, 4; VI, 8 cum 1 Reg. IX, 9); *domum Dei*, id est, arcam non fuisse in Silo, quæ tamen nonnisi tempore Davidis Jerusalem advecta est, et post templum erectum nomine *domus Dei* donata; denique captivitatis assyriæ hic mentionem fieri. Sed satis est ut primis regum annis scriptus fuerit liber, ut phrasis objecta adhiberi posset ad significandum illla flagitia sub

regibus fieri non potuisse; præsertim cum dicta phrasi Judicum interregnum significari possit, vel potius minima debilisque eorum potestas, quæ spontanee magis quam coacte agebatur, unde vincula politica tribuum ac civitatum fere prorsus resoluta erant, ac quilibet audebat quidquid placebat. Vox *videns*, רֹאֶה, ideo vulgaris erat ante Samuel, quia proprie significat prædicentem futura et occulta declarantem (adivino), sed non publico prophetarum ministerio donatum; quod cum a multis temporibus in Israële non esset, vox *nabi*, נָבִיא, quæ prophetam talem designat, obsolescere aliquantum coepit, publico tamen ac splendido Samuelis ministerio restaurata: nempe omnis *propheta* erat *videns*, sed non e converso; unde qui tunc erant, cum publico prophetico ministerio (conf. infra 368...) non fungerentur, sed privatis consultationibus privatorum hominum respondere consuevissent, vulgo videntes appellati sunt; post Samuelis tamen multorum annorum ministerium propheticum, qui ipsum consulturi erant jam non dicere debebant *eamus ad videntem*, sed *eamus ad prophetam*, quem cognoverat omnis Israël *a Dan usque Bersabee*; et ipse Samuel de Moyse aut Debbora loquens, proprio *prophetarum* nomine eos appellare debuit. *Domus Dei* nomine non solum templum, sed tabernaculum appellatum fuisse superius diximus (vide 271), quod tamen Saulis tempore jam non erat in Silo, sed in Nobe, arca vero Cariathiarim; cum ergo idolum Michæ apud danitas manserit tempore quo arca Dei in Silo, cumque illo sublato jam superfluus esset omnis sacerdos, denique cum sacerdotes Jonathanis nepotes ibi mansisse dicantur *usque ad diem captivitatis suæ* (a), patet minime hic sermonem esse de captivitate assyria, sed de privata illius terræ calamitate ab hostibus accepta, vel de captivitate arcæ (b).

(a) Hebr. עַד־יוֹם גְּלוֹת הָאָרֶץ, *usque ad dies captivitatis*, seu, *nuditatis terræ*, quæ intelligi potest vastitas terræ hebræorum a philisthæis facta quando et arcam tulerunt, et inter israëlitas loca munita habebant, (1 Reg. X, 5; XIII, 3) et fabros ferrarios captivos duxerant, (1 Reg, XIII, 20), et forte præcipuos civium (ps. LXXVII, 61), quod liber non narrat, sed ex cc. ll. probabiliter conjici potest, et ex natura belli tunc solita.

(b) Præsertim si cum Wigand et Bleeck legas הָאָרוֹן pro הָאָרֶץ *arcæ* pro *terræ*, quæ litterarum commutatio difficilis non fuit; sed nobis magis arridet sententia superioris adnotationis.

CAPUT IX.

Fides libri historica: solvuntur objectiones: aliæ difficultates contra auctoritatem illius divinam: expenditur votum Jephte, facinora Samsonis &.

279. Fides libri historica ex pluribus constat: 1.° auctor Samuel aut saltem coævus, pius certe et eruditus fuit, quod ipse liber satis aperte declarat; 2.° usus est documentis scriptis, vel saltem maxima religione memoria servatis, ut ex minutissima rerum descriptione patet v. g. in cantico Debboræ, cujus antiquitatem et authentiam rationalistæ admittunt ipsumque per se declarat, in apologo Joathanis, in legatione Jephte, in verbis Gedeonis &c., quæ omnia suo antiquitatis charactere ad tempora, quibus edita sunt, lectorem necessario perducunt; 3.° monumentis passim res hic descriptæ perennatæ fuerant, præsertim nominibus impositis v. g. *locus flentium*, (II, 5), *palma Debboræ* nomine appellata (IV, 5), *Ephra* (hinnula) Gedeonis munus et oblatum sacrificium memorans (VI, 11), altare dictum ab eodem *Domini pax* (VI, 24), nomen *Jerobaal* (quocum Baal litigat) ipsi a conterraneis adscitum (VI, 32), rupis et torcular Oreb et Zeb (VII, 25), *Ramathlechi* (elevatio aut projectio maxillæ, XV, 17), *fons invocantis* (ib. 19): adde puellarum conventum annuum ad fatum filiæ Jephte commemorandum (XI, 40), arcam e Silo semotam (XVIII), exiguum benjamitarum numerum (XIX-20), quæ perpetuum memoriale erant rerum locis citatis contentarum. Imo talis est factorum delectus in libro Judicum, talisque natura ac consecutiones, ut vix e memoria hominum auctori coæqualium excessisse concipias; 4.° plures eventus sunt, et quidem qui absurdiores et incredibiliores rationalisis videntur, qui Samuelis ætate locum habuerunt, ut tota Samsonis historia; unde si auctor libri Samuel est, quod omnia suadent, tempus non fuit quo extraordinaria facta legendarum naturam induerent, et ex naturalibus miraculosa fierent; 5.° quæ hic narrantur ita cum præcedenti ac subsequenti hebræorum

historia, moribus, ingenio, ita inter se cohærent, ut hac sola circumstantia characterem plane historicum induant, et fidem a lectoribus spiritu partium vacuis sponte obtineant, quippe quæ potius quam historiam, philosophiam historiæ Israëlis per id temporis offerant; 6.° hoc agnoscunt celeberrimi rationalistæ De-Wette, Rosenmüller, Gramberg, Bauer, Studer &c., quorum primus ait: «¿quæ alia in toto V. F. narratio pulchrior atque sincerior ea quam legimus Jud. VIII, 9, 11 seq.?» Secundus vero sua facit verba Pareau sequentia: «habet hæc libri pars (I—XVI) indicia summæ cum antiquitatis, tum historicæ auctoritatis perquam luculenta. Quæ in illa narrata legimus ex temporum illorum rationibus tam bene conveniunt, hominumque ætatis illius mores tam vivide et fideliter depingunt; ut a seriori scriptore talia confingi potuise nequaquam credibile sit.» Quod si plura dein rationalistæ ex hoc libro admittunt sive antiquiora sive recentiora, plura item repudiant; hac sua agendi ratione demonstrant, sola jam dicta τερατοφοβία in rebus criticis ipsos duci; quod non est scientiam criticam colere, sed actum incredulitatis edere contra omne id quod divinam actionem prodit: hoc autem in absolutum pyrrhonismum necessario descendit; 7.° hebræorum ac christianorum perpetua fides res in hoc libro narratas semper admisit, et a pluribus hagiographis auctoribus confirmantur v. g. 1 Reg. XII, 9-11; 2 Reg. XI, 21; Os. IX, 9; X, 9, 14; ps. LXVII, (ex cantico Debboræ plura sumit); LXXXII, 10-12; 4 Reg. XVI, 3; XVII, 8; XXI, 2; Is. I, 26; ps. LXXVII, 56-66; CV, 34..., Eccli. XLVI, 13; Mat. II, 23 (ad nazaræos universim alludens), Act. XIII, 16-19; Hebr. XI, 1-30.

280. Nec contra fidem historicam libri quidquam evincunt nonnullæ difficultates chronologicæ, cum hujus rei non fuerit auctor admodum sollicitus (sic anni semper integri numerantur), nec minuta annorum adnotatio necessaria sit historico libro ad fidem faciendam, nec mens auctoris fuerit proprie dictam historiam condere, nec denique solidæ rationes desint difficultates componendi, admissa quorumdam Judicum simultanea existentia, quæ ex ipso libro ac 1 Regum vix non aperte indicatur. Tota rei difficultas in eo consistit quod (3 Reg. VI, 1) ab exitu ex Ægypto ad erectionem templi salomonici fluxerunt 480 anni; a quibus si demas 40 peregrinationis in deserto, præterlapsos a morte Moysis ad primam israelitarum subjectionem (III, 8), annos dominationis Heli, Samuelis, Saulis, Davidis ac 3 Salomonis; minime re-

manent 400 fere, quos æquant qui hic recensentur anni exteræ subjectionis ac dominationis cujusque Judicis. Probabilis autem valde est, quam subjicimus, Ghiringhelli, Marsahmi, Keilii, Rohrbacheri, Hulskampi, &c. computatio. Ab exitu servitutis ad mortem Moysis 40 anni; ad mortem deinde Josue probabiliter 27; ad mortem seniorum, de quibus Jud. II, 7 sermo est 32; tempus subjectionis sub mesopotamiis (III, 8) 8; pax Othonielis (ib. 11) 40; servitus sub Eglone (ib. 14) 18; pax per Aod adepta 80 (interea dominatur Samgar in Occidente, Jabin, Debbora cum Barach in Septentrione III, 31; IV-V, 32); madianitæ hebræos subjiciunt 7 annis, Gedeon 40, Abimelech 3, Thola 23, Jair 22 (simul juncti a morte Moysis 300, quos recenset Jephte coætaneus, Jud. XI, 26); philisthæi dein dominantur per annos 40 inter Jairum et Samuelem, quod quidem tempus ita computamus: summum sacerdotium Heli a secundo Jairi anno incipit atque perdurat annos 40, quorum proinde 20 jam ad rem nostram in Jairo numerati sunt; Samson, durante servitute philisthinorum, alios 20; Samuel deinde ad Saulem regem conjecturaliter 16 (interea trans Jordanem Jephte, Abesan, Ahialon et Abdon 49 annis); Saul 40; David 40; Salomon ad templi erectionem 4=480. Locus vero Act. XIII, 20 in vulgata et græco variat, sicut in diversis græcis codicibus, et non incongrue intelligi potest de anno quo Palæstina sorte distributa est inter hebræos post Patriarchis factas promissiones, vel potius si vulgata lectio græca teneatur, de anno quo regimen Judicum coepit intelligi debet; nam dativus casus non elapsi temporis diuturnitatem indicat, sed præsens, quo aliquid contingit, ita vero se habet: κατεκληρονόμησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν. Καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσιν τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα ἔδωκεν κριτὰς ἕως Σαμουὴλ τοῦ προφήτου· «divisit eis terram eorum. Et post hæc *quasi anno quadringentesimo et quincuagesimo* (potius quam *post annos* quadringentos.....), dedit eis judices usque ad Samuelem prophetam». Alia lectio græca minime contemnenda congruit cum vulgata; (conf. edit. Tischendorfii criticam 7.am). Si Chusan Rasathaim rex Syriæ dicitur III, 10, et ib. 8 rex Mesopotamiæ, nulla adest difficultas, nam Mesopotamia dicitur hebraice *Aram Naharaim*, atque ita dicitur versu 8; versu vero 10 simpliciter dicitur *Aram*, subintellecto Naharaim, quia proximum erat vocabulum, nec æquivocationi locum necessario dabat; vulgata tamen vertit *Syria*, quam significat vox Aram si stricto sensu accipienda foret. An autem Mesopotamia cuidam regioni tunc fuerit subjecta nemo demonstravit, contrariumque probabile est ex hoc ipso loco. Civitates Jairi a filio Manasses ita dictæ, sub ditione Jairi Judicis fuerunt, quas præterea ipse reædificavit ac propriis filiis 30 earum tradidit (ex 60 ita vocatis

antiquitus), ac vetus nomen forte jam cum ipsis urbibus fere oblitum restituit ac confirmavit. Aliæ antilogiæ minoris momenti sunt.

281. Sed præter parvulas has difficultates aliæ maximo impetu objiciuntur aut contra nonnullorum eventuum veritatem, aut prodigiosam eorum naturam, aut demum narrationis theopneustiam. Samgar sexcentos philisthæorum occidisse vomere (III, 31) credere renuunt; sed nihil impedit quominus intelligatur Samgar cum quibusdam aliis agricolis quos ipse tumultuario junxit, ac *stimulis bovum* armati omnes rem perpetrarunt, quæ solo duci ex more tribuitur. Quadraginta duo millia ephraimitarum a galaaditis occisa sunt, non quia vocabulum *schibolet* male pronuntiabant (XII, 6), sed alia de causa, nec omnes in vadibus Jordanis perierunt, sed in toto illo duarum tribuum bello. Jabin rex Asor (nomen urbis a Josue incensæ, sed postea reædificatæ, ac simul regionis illi subjectæ) 900 falcatos currus (IV, 1-15) habere non potuisse nemo probavit, præsertim ignota eorum forma et prætio, sicut Adonibezec regulum alios 70 inferiores se regulos debellare ac mutilare non valuisse (I, 7). Gedeonis victoria e suo stratagemate, Dei adjutorio et hostium pavore ac perturbata mente orta est; nec aliæ similes alibi non narrantur. Tercentas vulpes, seu canes aureos (chacales), seu canes syros, ut Ehremberg putat, Samson cum amicis aut solus post satis temporis colligere valuit, ut hostium campos incenderet; quod belli genus non ipse solus adhibuit. Cum vero semel et iterum fortitudinis prodigiosæ exempla philisthæis dedisset, facile eis magnum pavorem injecit, cum asini maxilla armatus unum occidit, alterum prostravit, tertium in fugam vertit, unde mille fere viros fudit (conf. Archæol. 66, nota): ceterum Samsonis vires supernaturales certo fuere ex sua ac scriptoris sententia et rei veritate, non tamen in ipsius, sed in populi gratiam a Deo concessæ; unde nihil refert si flagitiosus homo fuerit, qui tamen ad Deum conversus aliquando est, et novas vires petiit quamvis capillis jam longioribus esset; quod demonstrat in ipsis capillis vires positas non credidisse, nisi quatenus eorum tonsio prevaricatio erat contra votum nazaræatus. Sic apes favum mellis in calvaria leonis exsicata fecerunt, non carne mixta, cum vox *post aliquos dies* (XIV, 8.) hebraice sit *post dies*, et aliquoties annum integrum designet, ut hic probabiliter; bene igitur mellis inveniri potuit in leonis calvaria. Gazæ portas non Hebron usque, sed ad montem portavit qui est contra Hebron; ceterum et illud possibile fuit. Agendi ratio cum dilectis ab eo philisthæis feminis non bene quidem sibi constaret, si de homine ageretur amoribus non irretito; sed qui hujusmodi sunt, numquid non amentes omnia fere contra regulam faciunt? Maxilla in qua fons erupit, non illa fuit qua Samson philisthæos

debellavit, sed locus ita appellatus postea ob insolitum eventum, qui cum rupibus et scopulis abundaret, nonnulli ex iis *dentes* dicti sunt, ac illorum cavitates *alveolus dentis*, a quorum uno mirabiliter prorupit *fons invocantis in maxilla*. Nempe hebraice est Ramathlechi רמת לחי *elevatio*, seu, *collis maxillæ*, et res ita narratur: «*et aperuit Deus dentis loculamentum quod in maxilla*», significans Deum difidisse rupem, cui cum *maxillæ* nomen postea factum sit, tropice ipse hiatus *dentis alveolus* dictus est; unde fons durabat scriptoris ætate, quod de maxilla asini nimis durum esset. Denique templum seu theatrum quo, sublatis duabus columnis quibus fulciebatur, Samson denique periit, ad spectaculum illum ac vindictam de potentissimo hoste ac summo odio prosecuto forsitan cursim ædificatum fuit ita, ut in medio fere duæ essent columnæ quibus undique contignationes sustentabantur, quas ipse ambabus manibus attingere potuit ac divina potentia fretus excussit ac subvertit, cujus quidem ædificandi modi ac similia exempla in oriente præsertim non rariora sunt, et aliqua profert Jahn (Archæol. bibl. pag. 235, edit. germ.).

282. Ad facta mirabilia quod spectat brevis responsio est, quam in hermenentica enucleabimus; quæ nempe ut mirabilia narrantur, talia re vera fuisse, ac *naturalistice* intelligi non posse nisi detruncato textu, gratis admissis hypothesibus, sensu communi non semel oblito. Sed non omnia divinæ Providentiæ argumenta, quæ in hoc libro narrantur, miracula sunt, nec talia dicuntur; bene vero Deo tribuuntur omnia moderanti, atque naturalibus etiam viribus ac phænomenis utenti ad scopum suum obtinendum. Imo notatu dignum est, populum hebraicum ejusque scriptores, ut prisci homines fere universi, omnia prospera vel adversa Dei operi ac voluntati immediate tribuere consuevisse; ac proinde eventuum extra naturam positorum minus sollicitos esse debuisse. Hinc minor esse debuit propensio ad facta minus solita exaggeranda, atque in vera prodigia vel miracula convertenda; unde qualis fuerit singulorum eventuum natura adhuc ex simplici narratione ac omni candore plena discernere possumus. Ita discimus victoriam Barac miraculo interveniente a Debbora fuisse prædictam ac Dei adjutorio consecutam tempestate utentis ad Sisaræ exercitum profligandum. Gedeonis victoria naturali modo evenire quidem potuit ob panicum terrorem inimicorum; sed tota agendi ratio Gedeonis miracula supponit, quibus á Deo ad liberandum populum excitatus est, alioquin stolidum prorsus eum diceres, qui triginta hominum millibus in domum remissis, cum tercentis innumerum exercitum madianitarum aggressus est. Ita etiam veram Angeli aparitionem ad parentes Samsonis singularis hujus destinatio, vita, res gestæ ac vires vere

prodigiosæ ostendunt, præsertim ex harum amissione detonsis capillis; non enim ipse scivit eos fuisse detonsos, nisi cum irruentibus philisthæis, animi simul ac corporis dimissionem, lassitudinem ac nervorum inertiam persensit, quippe se voti nazaræatus violati reum, ac simul singulari illo robore a Deo in peccati poenam privatum statim esperimento didicit, nihil autem conferret adversus sententiam nostram, si Samson is supernaturalibus viribus et ingenio non semper debito ordine usus fuisset; aliud est enim donum Dei, aliud hujus doni usus vel abusus.

283. Graviora sunt quæ adversus divinam libri inspirationem et autoritatem rationalistæ objiciunt, ex eo quod multa miracula hic legantur patrata in gratiam populi perditis moribus et efferatis, idololatriæ ac superstitioni dediti (Jud. I, 6; VIII, 16; XX, 18..; XXI, 15-24; XI, 24; XVII, 12-13; XVIII, 30; XI, 27 ..), ex tributa laude Aodo, Jaheli, Samsoni, utut mulieroso ac suicidæ, qui omnes legem naturalem violati sunt, et tamen tamquam speciales Dei legati ac sancti a populo, a prophetide (V, 24...) a Paulo (Hebr. XI, 32) habiti sunt. Ad hæc respondemus non tantum in populi hebraici gratiam, multoque minus quatenus crudelioris, idololatræ, superstitiosi atque a lege mosaica aberrantis hæc miracula fuisse patrata; sed in gratiam totius humani generis per doctrinæ revelatæ conservationem et internum externumque influxum ad præparandas gentes gratiæ Dei et redemptioni; ad hoc vero obtinendum diversis agendi modis utitur Deus pro diversa temporum, personarum aliorumque adjunctorum conditione (conf. Joa. XVI, 12). Addo hæc etiam adjuncta præ oculis habenda quoties gradus bonitatis et malitiæ dimetiendus est unius populi, generationis, aut unius etiam individui; fierique posse ut, quæ magis exsculto in crimen vertenda forent, ob inculpabilem instructionis defectum aut indifferentia, ut dicunt, aut etiam meritoria opera sint. Denique mosaicam legem aut alium quemcumque Scripturæ librum hebraicum populum crudeliorem, superstitiosiorem, alteriusve noxæ reum effecisse nonnisi summa injuria dici potest, ut jam attigimus non semel (n. 102, 103, 130 et alibi), ac simul demonstravimus naturalem populi duritiem ac rusticitatem, non tamen aliis coætaneis majorem, causam fuisse quarumdam institutionum ac legum, quæ delicatis nostris moribus minus cultæ ac morigeræ videntur: sed distingue tempora et concordabis jura. Quod si ad particularia descendamus, facile cujusque objecti loci rationem reddere erit. Sic Adonibezec regulo eadem poena imposita est quam ipse septuaginta aliis imposuerat, ob idque se juste punitum fatetur (I, 7): viris Socoth senioribus, qui exercitum parvulum patriæ liberatorem contempserant, ac inedia laboranti

subsidia detrectaverant et contumeliis affecerant, terribilis imponenda erat poena, ut omnes discerent patriæ in publicis calamitatibus ac necessitatibus pro viribus deservire. Similiter benjamitæ facinus immane gabaitarum patrocinantes (XIX—XX) anathemati erant tradendi, resque in criminis odium ad mosaicæ legis defensionem peracta fuit, Deo consulto utrum adversus filios Benjamin *fratres* dimicandum esset (XX, 23), ac legatis missis ad benjamitas ut facinoris reos traderent puniendos. Quod si ex odio quidquam factum est, hoc ab auctore libri non laudatur; tota autem res ex Dei providentia manavit, qui benjamitis bis victoriam concessit, ut undecim tribus ita exacebatæ intempestivæ miserationi ac indulgentiæ locum non darent, sicque benjamitica tribus justam punitionem reciperet, nempe anathema, quod reipsa factum est, omniaque armis et flammis tra lita fuere, exceptis sexcentis viris qui in Remmon confugerunt (bi. 47). Dolentibus autem omnibus unius tribus exterminium, Jabes Galaad, quæ Siluntem ad conventum non venerat, ac sola inter universas Israel urbes nec legatos miserat, nec partem in bello sumpserat, quod uno animo gesserant omnes israelitæ, diris devota est, poena quidem severiori, sed veris delinquentibus imposita. Omnes igitur gladio perierunt, exceptis quadringentis virginibus, quæ cum aliis ducentis in Silo raptis a benjamitis, consilio a senioribus accepto, residuis Benjamin filiis nuptui traditæ sunt ut una tribus non periret. Hic autem modus uxores inveniendi moribus illius temporis non valde alienus erat, cum fere semper virgines inconsultæ marito traderentur, nihilque violatum est præter patrum raptarum *jus proprietatis*, quod tamen æquo animo dein tolerarunt, ut pote qui exterminium tribus defleverant ac impedire maxime cupiebant.—Jephte interrogatio, vel potius argumentum *ad hominem* (XI, 12...), quo jura Israelis tuebatur ex Jehovæ patrocinio, quo terram ultrajordanicam debellaverat, non necessario supponit eum aut dei Chamos ammonitarum existentiam admisisse, aut etiam ipso adjuvante ammonitas occupasse terras quas possidebant. Quæ explicatio, si vera non esset, nihil inde contra nos flueret; non enim laudatur Jephte ob sua argumenta, nec phrasis «*irruit in eum Spiritus Dei*» aliud significat quam impetum quo contra ammonitas perrexit, exercitum collegit ac patriam liberavit. Idem dicas de Micha ejusque idolo ac sacerdotio (cap. XVII), in qua re non fuit vera idololatria, sed cultus superstitiosus contra legem exhibitus Jehovæ, in illo idolo repræsentato. Sed hæc privatorum hominum prævaricatio fuit, ut dein simile danitarum peccatum (XVIII, 30), quod, quid contra libri divinam autoritatem habeat, plane non video.

284. Simile judicium ferendum est de voto Jephte celeberrimo

nimiumque vexato; quod utrum in occisione ac crematione filiæ, an in ejus perpetua consecratione in Dei servitium servata virginitate, constiterit, interpretes disputant et adhuc sub judice lis est. Hebraico textu bene perspecto, moribus judæorum, Jephte dignitate ac cultura, ipsaque natura rei, probabilior videtur nuncque communior longe est secunda sententia, præsertim: a) quia Jephte personam respiciebat in voto faciendo, non quodlibet animal, cum phrasis *egredi obviam* (XI, 31) nusquam nisi de personis accipiatur; b) quia verba optime reddi possunt: «quicumque egressus fuerit.... erit Domino, *et quidem* in holocaustum», sensu nempe figurato, pro oblatione perfecta, perpetua et irredimibili; c) quia humana sacrificia abominatio hebræis erant, ac propter ea chananæi summo odio prosequendi (conf. etiam Lev. XVIII, 21; XX, 3; 4 Reg. III, 27; XII, 31; Deut. XVIII, 10); d) quia certum est feminas exstitisse quovis tempore servitio tabernaculi ac dein templi destinatas (Ex. XXXVIII, 8; coll. 1 Reg. II, 22), ut ex ipso nomine conficitur: הצבאת, *militantes*, (conf. Num. IV, 23; VIII, 24), LXX *jejunantes*, Onkelos *orantes*, Aben-Esra *orantes et legis verba exaudientes*; species nempe monialium orationibus, jejuniis, ministerio loci sancti, ac castitati servientium; unde nimium offendebant filii Heli cum illis peccantes universum populum eas venerari solitum (conf. Luc. II, 37; 1 Tim. V, 5; Lev. XXVII, 4 coll. Num. XXXI, 28-40); e) quia filia Jephte nonnisi defectum prolis ob virginitatem servandam deflevit, et puellæ quotannis convenientes per quatuor dies in paschate, non ad *lamentandam*, sed ad *laudandam* filiam Jephte conveniebant (a); f) denique, ut cetera taceam, quia verba quibus voti solutio narratur ita verti debent: «fecit ei sicut voverat, *ideoque* ignorabat virum»; et si post duos tantum menses, votum solvisset Jephte, contra legem peccasset (Deut. XXIII, 21), qui ob legem servandam tot angustias admiserat et filiæ charissimæ et unicæ virginitatem, ac proinde prolis spem omnem, quod præceteris bonis hebræi æstimabant, religionis causa exuerat. Quod si ex ignorantia religionis mosaicæ vero holocausto filiam cremavit, ipsi soli erit imputandum, *militi leges non callenti*, nec propter hoc factum ab hagiographo laudatur. Locus Lev. XXVII, 28, 29 de hominis ἀνάθεμα, חרם *exsecratione*, non de ἀνάθημα, נדר, *consecratione*, intelligi potest, in qua postrema nulla aderat hominis occisio, nisi rem á

(a) Phrasis hebr. מימים ימימה, *a diebus ad dies*, semper de paschate accipitur; לתנות autem *ad laudandam*. Et sane quatuor dies in festo præcipuo potius ad lætam rem, quam ad luctuosam opportuni erant.

Moyse summe detestatam, tamquam Deo gratam commendari ab ipso credas; proinde sola *exsecratio* חרם (ib. 29) rei, ut puta animalis, occidenda erat vel destruenda, sicut et hominum exterminio a Deo damnatorum, ut erant chananæi; sed ii gladio peribant, minime vero in sacrificium Deo offerebantur (Num. XXI, 2,..; Jos. IX &c.); homines vero *consecrati* aut vitæ nazaræorum, aut servitio loci sacri in perpetuum vel ad tempus pro natura voti mancipabantur, vel redimebantur pecunia, nisi de perfecta et absoluta consecratione ageretur, quam dicit Jephte *in holocaustum*, quæque redimi non poterat. Anathematis vero lex aut in solos patriæ hostes, aut in idololatras directe, oblique vero in gravissimorum criminum reos lata fuit (Deut. XIII, 12—18) et applicata est Core, Datham et Abiron, Achan, gabaitis ac patrocinantibus benjamitis &c. (a)

285. In Aodi facinore duo sunt: occisio tyranni per summum nefas patriæ vastatoris ac nullo jure eam subjicientis, et quidem prædonum turba pro exercitu adjuti; et medium ad id electum, nempe mendacium. In hoc utrum Aod peccaverit penitus ignoro, cum antiquis non apertum esset num hæc mendacia peccata fuerint, præsertim ob magnum finem admissa: certe nobis peccata sunt, et Aodi facinus, si ex evangelica lege esset judicandum, excusationem nullam haberet,

(a) Hæc fere omnia ex Ghiringhello desumpsi, qui tamen sententiam mutavit ob argumenta, quæ ex epistola ab eo accepta hic subjicio. «Mea retractatio circa votum Jephte incruentum tota nititur vi illorum verborum; *offeram eum in holocaustum;* quæ quidem poëtice et mystice diversam significationem habere possunt, sed in soluta oratione historica, et absque ulla explicatione subsequenti aut subintellecta, aliud significare nequeunt quam holocaustum abrahamiticum; excepta tantum reali adimpletione. Denique Jephte is non erat qui de alio sacrificio cogitaret, quod parvi apud eum valoris fuisset. Verba *fecit sicut voverat*, eufemismum sunt; illa vero *ignorabat virum* non consequentiam voti, sed crudeliorem depingunt illius mortem, qui hæredem non relinquit.» Ast verba Jephte religioso ac patriotico fervore prolata, ideoque *poëtice*, ab historico ita narrata sunt, ideoque illo sensu accipi possunt, qui a sapienti professore possibilis esse concedi-tur: verba *ignorabat virum* juxta leges grammaticas, ut consequutio voti accipi possunt. Denique nescio unde didicerit doctissimus homo Jephte parvi fecisse quodlibet aliud sacrificium; imo illius acervus dolor et querelæ (XI, 35) intelligi nequeunt si jam de sacrificio abrahamitico in voto concipiendo cogitaverat, cum nullam aliam prolem haberet. Ob has similesque rationes, et altera sententia in sua probabilitate relicta, quam recenter tuetur etiam Danko, pro prima Ghiringhelli opinione standum esse judico.

nisi crassa ignorantia et inculpabili fuisset perpetratum. Hæc autem ignorantia facillime in Aod admitti debet, totumque factum minus pravum haberi, consideratis temporibus, personis ac causa præsertim; cum pro alia simili multo barbariora græcorum et romanorum facinora ad sidera tolli passim videamus. Utrum in Jahelis facinore proditio vera exstiterit nemo ex libro Judicum demonstrare potest (cap. IV et V); (a) laudatio vero quæ ipsi tribuitur, heroicam fortitudinem, patriæ charitatem ac redemptionem respicit, non autem facti moralitatem; crudelitas vero quæ primo aspectu apparet (V, 27), descriptio poëtica est mortis Sisaræ, non crudelitatis indicium. Similia de Samsone dicenda sunt, nec ejus cum feminis agendi ratio a quopiam probatur; nec phrasis illa «*nesciebant quod res a Domino fieret*» aliud quam Dei providentiam ex affectibus Samsonis philisthinorum punitionem ac israelitorum libertatem quærentem significat; nec justitia in iis aggressionibus defuit, cum de homine auctoritate prædito sermo sit (XVI, 31) adversus publicos patriæ hostes quolibet modo pugnante. Denique in fine vitæ non ipse propriam mortem directe quæsivit, sed philisthinorum; in ejus proinde facinore pravitas suicidii deest, adest vero heroica virtus ac factum in aliis heroibus summe laudatum. Quod denique Paulum spectat (Hebr. XI, 32) Samsonem cum aliis laudantem, nihil difficultatis habet, nam ibi diversa bona illis *distributive*, *non collective* tribuuntur, fidesque eorum laudatur, quæ certe Samsoni non defuit, neque ob eam reprehensionem meretur. Nihil igitur est, cum propositæ ac solutæ objectiones maximæ sint, quod hujus libri divinam auctoritatem lædat.

(a) Jahelem bona primum fide hospitio Sisaram recepise credo, cum extra tentorium sita eum fugientem vidit; deinde vero exercitum victorem offendens persequentem Sisaram, simul consideravit et infensum populi sui hostem domi recepisse (etsi familia sua pacem cum rege Asor haberet, nam patria propriæ familiæ præferenda est), ac ob id accusari ab exercitu victore posse, quasi patriam prodidisset: quibus cogitationibus affecta, ad patriæ salutem intendens facinus suum patravit, ac demortuum Sisaram victori exercitui ostendit.

CAPUT X.

Libri Ruthæ materia contenta, consilium, lingua, ætas, auctor, veritas historica ac moralitas.

286. Liber Ruth, ita dictus est a moabitide Ruth, cujus conversio ad hebraicam religionem, et matrimonium cum Booz, Davidi avo, hic narratur. Ab hebræis olim inter *prophetas priores*, nunc inter *hagiographos* recensetur, et hebraica puriori lingua, archaismis referta potius quam chaldaismis, et quidem in popularibus loquentium dialogis, non in ipsa narratione, ab ignoto auctore conscriptus est, quem communior ac valde probanda sententia dicit Samuelem, nec quidquam grave in contrarium adduci potest. Auctoris consilium, quod videtur fuisse exemplum præclarum exhibere virtutis in privata ac pauperi familia; Dei providentiam commendare erga pios et bonos, quos etiamsi paupere res ac miserandi sint, imo alieni populi, bonis cumulare novit; Dei etiam altissima consilia et potentiam admirationi tradere, qui ex fere exstincta ac paupere familia Davidem regem et dein Christum Dominum oriri fecit, unde etiam vocatio gentium subindicabatur ac peccatorum resipiscentium (Ruth, Raab, Thamar), et hebræorum supercillium reliquas gentes aut odientium aut contemnentium sapienter damnabatur; hoc, inquam, auctoris consilium in Samuelem optime quadrat; genealogia item ad Davidem perlata (vers. ult.) quin eum regem dicat, nec laudibus extollat, quod in posteriori scriptore vix credibile est; phrases hic atque primis capitibus 1 Reg. a Samuele valde probabiliter compositis occurrentes (a); accuratissima denique rerum atque eventuum descriptio, quæ magis ex traditione desumpta videtur, quam ex documento scripto, cujus nullum adest indicium,

(a) V. g. «*hæc faciat mihi Deus et hæc addat*», etiam postea, sed non multo adhibita, locutio item Ruth IV, 15 et 1 Reg. I, 8 tantum occurrens, sicut vocabula פַּלְמוֹנִי אַלְמֹנִי de certo quodam viro aut loco usurpata tantum Ruth IV, 1 et 1 Reg. XXI, 3; 4 Reg. VI, 8 hebr., gr. ὁ δεῖνα, arab. *fulan*, unde hisp. fulano.

præter ipsam difficultatem conservationis oralis totius historiæ: omnia hæc aut supparem aut non multo recentiorem auctorem postulant, qui alius post Samuelem difficulter invenitur; nec esse potuit Esdras conjugiorum cum alieniginis acerrimus hostis, nec nisi gratis omnino dicitur aut Heli, aut Nathan vel Ezechias. Nec dicti archaismi cum veris aramaismis confundendi sunt, ac proinde recentiorem compositionem minime supponunt, præsertim quia ex populari lingua desumuntur, sicut et quædam vocabula hic tantum occurrentia *[apax legomena]*; nec hujusmodi argumenta, si sola sint, multum ponderis habent; nec phrases «*in diebus unius Judicis, quando Judices præerant*» citra initium regni Davidis descendere cogunt; nec denique inverosimile est quædam obsolevisse a tempore quo hæc historia locum habuit, ad illud quo scripta fuit, ducentorum nempe fere annorum.—Quisquis vero auctor fuerit, historiam certe texuit, non idyllium finxit, quod adæquato fine et scopo careret, vera falsis mixta narraret (nam Ruth vere exstitit et uxor Booz fuit, Mat. I, 5), quod hebræis auctoribus insolens est, præsertim accedente totius narrationis ingenua simplicitate, miro candore, descriptionibus, moribus depictis, collocutionibus, affectibus, omnigenis virtutibus in familia populari et a rebus publicis et armorum strepitu aliena, totius libri viva atque, ut ita dicam, loquente veritate, qualem certo apud Homerum et Herodotum frustra quæreres. Item nomen propinqui Booz ab auctore libri ignoratum, nec pro voluptate fictum, ut in conficto idyllio factum fuisset, origo moabitica familiæ davidicæ assignata, quæ probro potius quam honori cedebat ex populi hebraici præjudiciis, id ipsum evincit: ut vere historicum hebræi semper habuerunt (1 Par. II, 4....), et christiani (Mat. I, 3-6; Luc. III, 32), ab auctoribus hagiographis edocti; ex quibus etiam atque ex syncera pietate ubique spirante constat ejus auctoritas divina.—Quæ tamen vera historia pulchritudine facile omnes sui generis sive veras sive fictas immensum superat, simulque docet quantum præstat simplex veraque narratio humanorum affectuum, ac popularium collocutionum, præ poëtarum figmentis, eorumque qui ad libitum fictas historiolas (novelas) quotidie edunt. Nec rationalistæ invisum habent librum hunc, cum miracula nulla referat, et, paucis exceptis, in ejus posteriori origine vindicanda immorantur

vel pulcherrimum imaginationis fetus habent. Priorum fundamenta sunt jam dicti chaldaismi (de quibus satis), oblivio nominis propinqui Booz, et desuetudo moris contractus firmandi calceo soluto et parti tradito; quæ postrema post ducentorum fere vel saltem centum annorum lapsum, facile evenire potuerunt

287. Qui fidem historicam elevare volunt, imo divinam libri doctrinam, objiciunt 1.° antilogiam (I, 1-2) in vocabulo *ephratæi* Elimelecho tributo, cum tamen ephraimita non esset, sed bethlehemita; 2.° Noemi nunc divitem nunc pauperem dici (ib. 21 coll. IV, 3-6); 3.° quatuor generationibus spatium 400 annorum includi; 4.° aliter redemptionis et *leviratus* legem quam in Lev. XXV, 25 et Deut. XXV, 5... hic depingi; 5.° contra fidem libri Judicum hebræorum mores depingi suaves, pios, mites, castos, unde idyllium potius sapit, quod ex personarum nominibus earum casibus accommodatis majus robur accipit; 6.° denique contra bonos mores peccare tum ex consilio Noemi ad Ruth hujusque agendi ratione, tum ex altero consilio quo eam hortabatur ut rediret ad patriam suam et ad *deos suos*. Ast 1.° Bethlehem antiquitus Ephrata dicta est, et ab alia Bethlehem tribus Zabulonis distinguitur hoc nomine, vel Bethlehem Judæ; proinde vox ephrathæus hic bethlehemitam significat. 2.° Noemi se *vacuam* dicit quæ antea *plena* fuerat, ut denotet se *viduam absque liberis*, cum antea et virum et filios haberet: nihil vero hic (I, 21) loquitur de suis possessionibus; 3.° quatuor generationes 400 annos perdurasse (a Salmone patre Booz et conjuge Raab ad Isai et David) non impossibile est, sed vero similius desunt nonnullæ generationes post Obed, quod orientalibus consuetum est, a Matthæo in genealogia Servatoris admissum, et exinde probabile quod a Phinees Salmonis coævo ad Sadoc Davidi supparem septem generationes interpositæ sunt (1 Par. VI, 4—8 coll. Ruth. IV, 21—22). 4.° Leviratus et redemptionis lex non fratrem defuncti tantum respiciebat, sed propinquum (hebraice etiam *fratrem* appellatum), et omnia justa eam hic gesta narrantur (traditio tamen calcei a propinquo Boozi nonnisi consuetum symbolum fuit contractæ obligationis, seu cessionis proprii juris, non vero illa contumelia de qua Deut. XXV, 9-10), nec *nominis defuncti suscitatio* in eo posita erat quod filius adoptivus defuncti nomen haberet, sed

in eo quod ejus filius haberetur. 5.° Mores populi eodem tempore duriores et mitiores, scelesti et pii esse possunt, in diversis nempe hominibus et familiis; imo plerumque ita mixti habentur, et innumera exempla ac præclara quidem offert, quod vocant, medium ævum, ut ex *legendis* ac Sanctorum biographiis cum heroum ac regum historia comparatis abunde constat (a). 6.° Denique nihil ad nos si quidquam peccasset Noemi ejusque nurus, quas in hoc hagiographus non laudat. Ast moribus illius ætatis et gentis consideratis, pura Noemi ac Ruthæ intentione, generosa Boozi ac pia agendi ratione, nihil hic immorale invenitur. Altero vero loco Noemi minime laudat Orfam quia ad *deos suos* reversa est, nec ad id Rutham hortatur, sed tantum exponit motiva in patriam redeundi, ut ita Ruthæ amorem maxime experiatur.

Veram igitur historiam continet liber Ruth, et ad instituendos mores utilem, atque ad alios fines quos supra indicavimus; ipse denique cum libro Judicum perfectam exhibet hebræorum illius temporis descriptionem; semperque maximo ac religioso affectu legendum ibi est: quomodo Elimelech cum uxore Noemi patriam reliquit, in terra moabitica habitavit, ibi mortuus est, sicut et duo filii postquam uxores accepissent, quomodo Ruth, una ex illis, socrum secuta est, virtutibus domesticis, puritate, humilitate, pietate claruit, cum Booz matrimonio juncta fuit, atque ita mater extitit Obed, ex quo David ac Dominus Noster J. C. prodiit.

CAPUT XI.

De duobus libris Samuelis, seu 1.° et 2.° Regum, eorum ætate, auctore, unitate: fides illorum historica, solvuntur objecta, sicut et illa quæ horum librorum doctrinam et auctoritatem impetunt.

288. Duo priores Regum libri antiquitus unum consti-

(a) Nomina vero personarum significativa conditionis earum, per prolepsim sacris libris consuetam tribui potuerunt, nisi id casu evenisse dicas; et tantum in Mahalon, *ægrotus*, difficultatem haberet, qui tamen a prava valetudine jam puer ita dici potuit; Orfam vero (cervam) ita dictam fuisse *quia fugiit*, perquam puerile est.

tuebant *Librum Samuel*, et apposite quidem; tum quia eventuum ibi narratorum præcipuus auctor fuit Samuel, tum quia ab ipso vel ex ipsius scriptis magna ex parte compositi sunt, tum denique quia transitum continent ab hebræorum theocratia ad monarchiam, quæ tantum post Salomonem perfecta est; qui quidem transitus Samuele Judice ac directore fuit peractus. In tres partes distribui commode possunt: 1.ª venit historia natalium Samuelis pueritiæ sub Heli, hujus ac filiorum agendi modi, Samuelis imperatoriæ potestatis, cap. I—XII; 2.ª ejusdem perpetuum prophetæ ac judicis munus, Saulis gesta regnum adepti ac præclara Davidis regis designati facinora continet XIII—XXXI; 3.ª regnum Davidis, 2 Reg. I—XXIV. Cum reliquis Regum libris unum opus constituisse minus recte asseruit Jahn, Herbst aliique, debilibus conjecturis; contrarium tamen ostendunt *novissima verba* Davidis 2 Reg. XXIII descripta, cum tamen 3. Reg. II narretur ejusdem cum Salomone colloquium; auctor chronologiæ studiosus non est, valde vero auctor 3i et 4i Regum; narratio longior et uberior est in libris Samuelis, concisa autem ac brevis in libris Regum, adnotatis fontibus ubi copiosior haberi poterat; sermonis color et proprietas diversa etiam est, dictiones *aramaicis* affines in ultimis libris Regum frequentiores in prioribus desiderantur, ibique inveniuntur formæ poëticæ antiquioris tantum ætatis propriæ ac præcedentibus libris communes: in illis quidem occurrunt quædam proverbia ac vocabula, in posteriobus satis frecuentia; sed nihil hoc evincit, nisi ætate Samuelis jam usitata fuisse (Conf. phrasim «*mingens ad parietem*» 1 Reg. XXV, 22 coll. 3 Reg. XIV, 10; XVI, 11; XXI, 21; 4 Reg. IX, 8; «*quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures ejus*» 1 Reg. III, 11; coll. 4 Reg. XXI, 12; *unus* pro *quidam*; *vir Dei* pro *propheta*, vox *sustulit*, *removit* &c.)

289. Ætas qua ii libri conscripti sunt satis probabiliter assignatur Davidis et Salomonis coæva. Id evincunt ex parte allata argumenta, quæ auctorem priorum Librorum Regum diversum ab auctore posterioum probant et eventibus supparem, præsertim ob narrationis diffusionem ac minutas circumstantias absque aliorum documentorum indicatione, ob characterem linguæ, et universum narrati modum; deinde mors Davidis subindicata potius quam vere narrata,

omissio regni Salomonis florentissimi quidem et gloriosi, quæ ob nimis recentem aut nullam temporis distantiam prudenter admissa concipitur, vix autem in posteriore scriptore; loca 1 Reg. V, 5 et 2 Reg. IV, 3 hebr. ex quorum 1.° discimus cultores Dagon ad scriptoris tempus religioni habuisse ejus templi limina pedibus terere, ex 2.° autem verothitas in Gethaim fugisse ibique incolas fuisse ad auctoris ætatem, qui duo eventus ex eorum natura non longam temporis moram postulant. Unde, cum narrationis contextus aut coævum scriptorem, aut coævorum scripta componentem exigere videatur, aliunde vero sciamus Davidis gesta á Samuele, Gad et Nathan scripto fuisse consignata, 1 Par. XXIX, 29, hebræorum denique traditio Samuelem faciat auctorem librorum Judicum, Ruth ac saltem magna ex parte ipsius Samuelis; jure concluditur ex horum trium prophetarum scriptis, præcipue vero Samuelis, ab uno eorum, Nathano, vel Gado, hos libros fuisse compositos, vel ab alio quovis æquali et hagiographo.

Cui quidem sententiæ nulla obstant, quamvis alioquin multa obstare deberent; non distinctio Judæ et Israelis (conf. supra n. 270, et 1 Reg. XI, 8; XV, 4; 2 Reg. V, 1-5; XIX; 41); non denominatio urbis Bethel vocabulo Bethaven (1 Reg. XIII, 5), agitur enim de alia Bethaven proprie et non ironice ita appellata (Jos. VII, 2, 8, 12); non phrasis illa *facta est Siceleg regum Juda in hanc usque diem*, cum hic significetur tribui Juda ac regi ex ea oriundo obtigisse urbem in sorte Simeonis positam (Jos. XV, 31; XIX, 5); non denique locus 1 Reg. XXVII, 8, nec enim ibi deserta supponitur a multo tempore regio a gessuritis, gerzitis et amalecitis ætate Davidis habitata, sed hos populos jam á longo tempore illius regionis incolas fuisse significat hebraica locutio מיעולם. Denique contra Samuelem auctorem nihil evincit vox *propheta* pro *vidente* sua ætate usurpata (v. n. 278), nec modestissimæ laudes ipsi tributæ, quæ cum non ob vanam gloriam scriptæ sint, et in Deum potius redundent, a simpliciori sanctorum hominum et hagiographorum more non abludunt (conf. Num. XII, 3; Jo. XIII, 23; XIX, 26; 2 Cor. XII, 1—12); nec demum phrasis illa 1 Reg. VII, 15 quæ vago quodam modo intelligi debet, eo quod primis vitæ suæ annis non judicavit Samuel populum; grandævus igitur phrasim illam adhibere potuit.

290. Nec erit admitenda eorum sententia, qui ut Hævernick, aut ex multis prophetarum scriptis non historicis sed proprie propheticis, ex canticis, ex publicis annalibus, ex *libro justorum* nulla arte conglo-

batis fragmentis hos libros demum prodiisse existimant, multoque minus aliorum sententia contendentium ex iisdem fontibus, populi cantiunculis, narrationibus detortis ac *legendariis* constare; hæc enim omnia futilibus argumentis nituntur, inæquali scilicet narratione, nunc longiori nunc breviori, quæ tamen auctoris scopui apprime quadrat, Dei providentiam et ea quæ juxta vel præter ejus mandata a Samuele, Saule et Davide gesta sunt, narrare intendentis, potius quam Israelis politicam historiam; quod ex attenta lectione statim patet, ipseque de Wette adversus Eichornium et Bertholdium evidenter demonstravit, ac unitatem auctoris et scopus tuitus est. Miracula etiam hic narrari scimus; pro advesariorum autem sententia quidpiam inde erui prorsus inficiamur.

291. Fides libri historica ex auctore coævo, vel saltem coævis documentis utenti constat, ab auctoribus prophetis, dignitate conspicuis et ad fidem faciendam aptissimis scripto collectis; tum ex factorum natura, præcipuorum nempe, et multis nominibus, monumentis, consuetudinibus, proverbiis confirmatorum (Conf. 1 Reg. I, 20 Samuel pro שְׁמוּאֵל, *exauditus a Deo*, id est, *precibus impretatus;* IV, 21 Ichabod, *inglorius*; VII, 12; V, 5; VI, 17—18; X, 12; XXIII, 28; 2 Reg. I, 17..; V, 8, 20; VI, 8). Insuper jam diaria ac publicos annales tunc exstitisse certum est, quibus narrationes falsitatis argui poterant; auctor libri Paralipomenon eadem narrat; alii hagiographi plurima confirmant, psalmi præsertim, quorum plures absque libris Samuelis non intelliguntur; simplex et nullo vel minimo partium studio implicata narratio fidem omnem extorquet, ut pote quæ tum reipublicæ, tum præclarorum hominum sive laude sive opprobio digna facta eadem ingenuitate refert, ut filiorum Samuelis extorsiones ac Davidis libidines, populi victorias vel infausta proelia, rerum item hebraicarum permutationem tunc temporis peractam, et collocutorum sermones summa veritate, vividissimo stylo ac miro candore translatos. (Conf. 1 Reg. IX, 5—8; ib. 11—14; ib. 18—27; XII; XXV, 25—31; 2 Reg. VII, 18—29; XIV, 4—20; XVII, 7—13; XIX, 35—38).

292. Difficultates non paucæ nec leves saltem primo intuitu librorum 1i et 2i Regum fidei historicæ aut divinæ auctoritati opponuntur, paucis exponendæ ac refutandæ. Aiunt enim a) commemorari templum Domini (1 Reg. I, 9; III, 15) ac simul affirmari ætate Davidis nondum *in domo* Deum habitasse (2 Reg. VII, 6); b) Saulem

non cognoscere Davidem, quem secum habuerat, ac tribunum militarem constituerat, qui tamen postea exibetur puer, armis gerendis impar (1 Reg. XVI, 16-19; ib. 21; XVII, 33, 39, 55-58; XVIII, 5-6); c) philisthæum a Davide funda occisum ac multo post ab Adeodato (1 Reg. VII, 5...., 2 Reg. XXI, 19), caputque ejus in Jerusalem translatum, quæ sub jebusæis erat, arma vero in tabernaculum suum, quæ postea apparent in Nobe (1 Reg. XVII, 54; XXI, 1-9); d) Davidis magnanitatem parcentis Saulem, hujusque interitum bis ac diverse narrari, quod duplex documentum arguit, aut auctoris imperitiam; e) falsas aut exaggeratas nimium esse numerorum, ponderum, temporum rationes, ut in morte bethsamitarum (1 Reg. VI 19), in ætate Saulis cum regnum adeptus est (ib. XIII, 1), in 30000 curribus philisthinorum (ib. 5), in exercitu incredibili Saulis ac Davidis (ib. XI, 8; 2 Reg. XXIV, 9 coll. 1 Par. XXI, 5), in Goliathi statura et armorum pondere quibus tamen uti valet adolescens David (1 Reg. XVII, 4-7; ib. 51; XXI, 9), in corona Melchonis ac pondere capillorum Absalonis (2 Reg. XII, 30; XIV 26), quibus demum querqui implicitis misere periit (ib. XVIII, 9). Ad hæc respondendum: a) tabernaculum sæpe vocari *domum Dei*; ex adductis vero locis aliqua domus seu species templi videtur in Silo fuisse, quæ tamen publicum fixumque templum totius hebræorum populi proprium, et ad arcam custodiendam sacrificiaque offerenda stabili modo destinatum non fuit, sed transitorium et accidentale, in qua potius arca hospitabatur quam immorabat, nihilque aliud significare intendit locus 2 Reg. VII, 6; b) Saul secum habuerat adolescentem Davidem, tamquam citharædum et aulicum, eique armigeri munus horificum potius quam reale commiserat, saltem quatenus nusquam illud exercuit, cum bellum nullum tunc temporis fuisset. Paucis itaque diebus coram Saule transactis, hujus animo rebus bellicis immutato, ipsoque Davide exercitio pastorum rursum tradito, nil mirum foret si Sauli et Abnero ignotus prorsus fuisset; sed hoc non legitur, etsi Saul *curiosius* genus et conditionem Davidis postea inquisiverit (nec dixit: «quisnam puer iste est?» sed «cujus filius puer iste est),» quem suum generum facere constituerat post devictum Goliathum: ipse vero David non dicitur puer quasi talis revera esset, sed quia inarmatus erat ac minime bello assuetus videbatur, qui proinde regiis armis onustus procedere nequibat *quia non habebat consuetudinem*, non quasi viribus non valeret; ejusdem denique robur et dexteritas mira quidem fuerunt, sed minime incredibilia nec illius tantum propria. c) Gigans ab Adeodato occisus frater Goliathi fuit, ut 1 Par. XX, 5 aperte legitur, nihil tamen impedit quominus et ipse post fratrem devictum illius nomen sumpse-

rit (nonnulla iis in locis Vulgatæ confusio oritur ex propriorum nominum translatione): caput gigantis in Jerusalem adsportatum est non jebusæis subjectam, cum tantum arcem Sion occuparent, arma vero prius in tabernaculo Davidis, dein tabernaculo Dei in Nobe deposita fuere veluti victoriæ trophæum Deo consecratum. d) Davidis generositas Saulem parcentis bis locum habuit, et ita diversis adjunctis, ut mirum sit hæc objici potuisse; mors vero Saulis semel ab historico narratur, semel ab amalecita illo qui eum occidit (1 Reg. XXXI, 4....; 2 Reg. I, 2....); qui quidem si mentitus est, aut non bene omnia scivit, nihil hoc libri fidem imminuit, sed potius adauget. Ast cum Saul a sagitariis valide impeteretur, mortem ab armigero postulavit, ac illo renuente, super gladium irruit ac letaliter vulneratus est, quo perspecto ipse armiger idem facinus patravit, hæcque tantum cursim narrat 1 Reg. XXXI, 4...,; sed illo vulnere minime sauciatus Saul, mortem ab amalecita postulavit ac recepit. e) In numeris, ponderibus, mensuris facillime æquivocationem in textu hodierno esse posse tum rei incertitudo (conf. archæol. 81...), tum modus hæc designandi hebræis consuetus, litteris nempe, quarum una pro alia facile transcribi vel accipi potuit, satis demonstrat; ob idque critica textus desideranda esset, potius quam narrationis veracitas impetenda (conf. etiam num. 708, B). Hæ tamen difficultates ab interpretibus non infeliciter componuntur. Sic (1 Reg. VI, 19) minime asseritur quinquaginta millia et septuaginta bethsamitarum ob inspectam curiose et irreverenter arcam cecidisse, sed septuaginta bethsamitarum et quinquaginta millia de populo reliquo illuc accurrente; quæ quidem non omnia forte evenerunt priusquam Cariathiarim arca perducta fuisset, quamvis prius ex consuetudine narrentur; unde vero similius credo bethsamitas aliosque ob præsentiam arcæ illam stragem factam existimasse, deinde vero, cum multi corruerent ex iis qui eam inviserant universi Israëlis, didicerunt hanc punitionem ob arcam irreverenter inspectam accidisse. Alii textum interpretantur præposito ב vocabulo חמשים, ut significare faciant illos septuaginta quasi quinquagita millia fuisse, id est, conspicuos multoque desiderandos; alii præmittunt particulam מ, ut denotent septuaginta ex quiquaginta millibus cecidisse; alii denique, eadem litera ex præcedenti in sequens vocabulum אלף translata, huic significatum *familiæ* tradunt, ac intelligunt *quintum* ex unaquaque familia corruisse, quod analogiam quamdam cum quinque philisthinorum donariis servasset; sed prima sententia potior videtur et textui magis conformis. Cap. XIII, 1 minime significatur Saulem unius ætatis anni fuisse cum regnare

coepit, ac duobus tantum regnasse, sed jam tum regnum per annum integrum possediisse ac secundo anno ea quæ ibi narrantur accidisse. Philisthinorum exercitum triginta millibus curruum constare non potuisse nemo demostravit; probabile tamen est aut litteram esse corruptam, aut non currus, sed milites e curribus pugnantes hic subindicari, qui quidem decem erant pro singulo curru. Exercitus Saulis ac Davidis omnibus israëlitis ad bellum aptis constabat, omnibusque forsan servis ac viris regionum subditarum: sed quocumque modo minime fidem superat (conf. archæol 81.....); sicut et statura ac pondus armorum Goliath (conf. Calmeti dissert. de Gigantibus), etiam si certa esset cubiti longitudo ac sicli valor, qui forte multo minor quam post captivitatem fuit, cum græca versio duabus drachmis adæquet, ac *didrachma* vertat non semel. Unde mira quidem erat capillities Absalonis, sed non incredibilis, præsertim unguentis delibuta et aureo pulvere conspersa, pro orientalium more; nec capillis sed collo quercui subjectus occisus est. Denique corona Melchon capiti ejus non insidebat, sed erat ejusdem throni ornamentum capiti imminens (conf. hæc apud Janssens aut Glaire); si tamen hic de *pondere* agitur, et non potius de *valore* ob lapides prætiosos, &c.

293. Divinam librorum auctoritatem impugnant ex eo quod 1.° Deus *injustus* exhibetur criminum vindex in bethsamitas (1 Reg. VI, 19), Ozam (2 Reg. VI, 7), amalecitas (1 Reg. XV, 2 coll. Ex. XVII, 8 ac Deut. XXV, 17), hebræos, ac dein Saulis filios (2 Reg. XXI, 1-9), universumque populum ob Davidis fastum (ib. XXIV, 1-15); 2.° eo quod appareat *mendax*, cum regiam dignitatem Saulis posteritati nisi peccasset non defuturam asseruit, quam tamen Judæ stirpi antea promiserat (1 Reg. XIII, 13; 2 Reg. VII, 12-16; Gen. XLIX, 10); 3.° ex eo quod *absurdum* Deum exhibeat cujus *spiritu* exagitatus Saul plura contraria ac irrationabilia patratur, et superstitiosa in evocatione Samuelis committit, ubi tamen revera ipsum apparuisse legitur, ope mulieris præstigiatricis, quod auctoris superstitionem evincit; 4.° Samuel etiam multis laudibus extollitur, nempe subdolus, ambitiosus ac crudelissimus vir; sicut et 5.° David *vir juxta cor Dei*, sexcentis criminibus implicatus, prædo (1 Reg. XXII, 2), homicida (ib. XXV, 22 et alibi), versipellis (ib XXVII, 8-12; XXVIII, 2; XXIX, 8; 2 Reg. III, 13-21; XV, 34), regnandi cupidus, adulter, ferox (2 Reg. VIII, 2; XII, 31) aliisque criminibus infamis.—Sed 1.° quod quantumque fuerit bethsamitarum peccatum, quæve illius consecutiones, nisi tam acerbe punitum fuisset, qualis Ozæ imprudentia vel irreverentia, nec increduli ac rationalistæ sciunt, nec illorum est cujuslibet peccati, offensionis nempe Dei, gravitatem ac poenam promeritam dimetiri:

amalecitæ prædones erant parentum crimina imitantes nullamque emendationis spem relinquentes: hebræos, Saulis filios (*domus sanguinis*, id est, sanguinis fussi ream 2 Reg. XXI, 1), totum populum partem in peccatis habuisse multo veri simillimum est, juste proinde poenarum participes, quas aliis delictis bene multis meruerant. 2.° Deus cum sceptrum posteritati Judæ promisit, certo noverat Saulem reprobandum, sed tamen Gen. XLIX, 10 non agitur de regia dignitate proprie dicta, sed de quadam super reliquas tribus præeminentia, aut de tribus Judæ duratione, quæ usque ad tempora Messiæ *corpus nationis* constituere debebat, nec prius, sicut aliæ tribus, dissolvenda. Davidi etiam regnum perpetuum promittitur, spirituale nempe, in ejus postero Messia; regnum vero temporale ad longum tempus (*æternum* ex phrasi hebraica), et quidem conditionate pro ejus filiorumque meritis. 3.° Spiritus Domini, רוח אלהים, multa significat (conf. Drachi Lexicon) nec solum pietatem, spiritum propheticum et similia; unde quoties Saul vehementiori affectu agitur, aut canit, aut Deum laudat, aut in iram, vel invidiam, vel tristitiam vertitur, spiritum Dei in eum irruisse dicitur, cum hæc omnia Deus moderaretur, aut bona donans, aut mala permittens; quod valet etiamsi *spiritum nequam*, gr. διάβολος, dæmonem fuisse dicas, quod verum esse potest, certum minime est. Idem dicas de voce *prophetare* multa tum sensu proprio, tum translato significante (conf. infra 368). In evocatione Samuelis admittenda est Saulis superstitio ac etiam pithonisæ, quamvis hæc multa ad consulentes fallendos perageret, quod *divinorum* proprium fuit. Hinc Saul, *habitu immutato*, pithonisam adiit ne ab ea nosceretur, ut factum primo est; deinde cum hæc Samuelis personam tenui ac stridula voce simulatura (LXX vertunt apposite *ventriloquam*, conf. Gesen. ad vocem אוב) præter solitum ipsius speciem vidit, territa est, ac vere Saulem esse didicit consulentem; et ipsa quidem umbram Samuelis vere vidit (a) et Saulis vocem audivit ac futurorum eventuum prædictionem. Neque hic quidquam est Deo indignum, et nonnullæ difficultates seria lectione evanescunt, aut optima textus hebræi interpretatione (b). Nihil igitur hic est quod rationalistas offendat

(a) Vox *elohim* quam vertit hic Vulgata, deos, unum virum significat, ut patet ex Saulis interrogatione: qualis est forma *ejus?* 1 Reg. XXVIII, 14.

(b) Nempe pithonisa ex concepta opinione de animarum defunctorum sede, umbram Samuelis *e terra ascendere* vidit, ipse vero Samuel Saulem interrogat: «cur in animo habuisti me commovere ac

præter miraculum. 4.° Quæ contra Samuelem congeruntur calumniæ sunt, ut ex toto libro 1.° constat, atque ejus spiritu prophetico ac munere, quo Dei partes in omnibus agere debuit, ac aliis deficientibus ipse divina mandata complevit, ut in punitione regis ammonitarum, quem trucidavit *coram Domino* (quod non denotat in holocaustum ipsum obtulisse); unde Saulis reprobationem *ob infidentiam*, *inobedientiam*, ac *repudiationem theocratiæ*, a Deo factam, multum ipse doluit. Nec tyrannidem præcepit, sed prædixit ex more tunc regum consueto, quem dicit liber noster *jus regis*, sive *jus regni*; denique ab ipso Saule semper honore affectus, post mortem desideratus, atque a populo ab omni calumnia liberatus fuit. 5.° David autem *vir juxta cor Dei* dicitur, quatenus non sicut Saul summam potestatem sibi in populum tribuebat, rejecta Dei potestate ejusque regimine, sed potius eam amplexus est, legem theocratiæ servavit, ac se Dei vicarium semper habuit. Ipsius autem vitia atque peccata aut liber noster reprehendit, aut simpliciter narrat, aut non talia sunt, vel saltem longa excusatione digna, attentis moribus ætatis illius ac jure belli consueto, præsertim in populis illis latrunculis atque perpetuo prædonibus, qui hebræum circumdabant; ab iis ergo singulatim enumerandis supersedemus, cum hæc minime divinam horum librorum inspirationem et auctoritatem imminuant.

CAPUT XII.

Duo posteriores libri Regum: eorum ætas et auctor: historica fides: difficultates oppositæ.

294. Libri Regum qui in textu græco tertius et quartus *regnorum*, in vulgata *regum* appellantur, a veteribus hebræis ex prioribus verbis dicti sunt «*et rex David*», deinde vero *Regum liber*, in duos denique partitus. Ipsi nar-

vel invitum evocare»? ita enim erat fere vertendum לָמָּה הִרְגַּזְתָּנִי לְהַעֲלוֹת אֹתִי; quibus verbis stultam Saulis mentem cum ethnicis communem propheta reprehendit; conf. similem versionem Gen. XXXVII, 21; Ex. XII, 48, in verbis וְיַצְלִחוּ, et liberavit eum, vulg. optime: *et nitebatur liberare eum*, et וְעָשָׂה, et fecit, vulg: :et *voluerit facere*.

rant quæ a Salomone gesta sunt, ac regibus Israelis et Judæ, præcipue sub respectu religionis actionisque Dei super eos eorumque populum, donec ab assyriis et babyloniis in exilium adsportati sunt. Historiam igitur theocratiæ hic aspicere licet et expedit potius quam historiam politicam; unde gesta prophetarum, præsertim Israelis, ubi eorum actio, numerus, et Dei manifestatio supernaturalis frequentior fuit, eo ipso quod a Dei cultu et lege magis aliena regio esset, pluribus persequitur auctor, atque ita unitatem et scribentis et scopus facile eruimus; quæ quidem pluribus confirmatur: indicatione initii ac finis cujusque regni, fontium historicorum citatione, Davide ad imitationem proposito in regendi modo Dei mandatis obsequenti, consecutionibus violatæ aut servatæ legis indicatis, cultus depravatione vel sinceritate adnotata, sicut et divinarum promissionum adimplemento, quæ præsertim davidicam domum spectabant, stylo denique ac lingua hebraica non paucis aramaismis referta.

295. Ætas et auctor librorum non certo constat, judæorum vero traditio *Jeremiæ* adscribit, a qua nulla est gravis ratio recedendi, eamque nostris diebus defendunt Haevernick, Haneberg, Ghiringhello (a). Character linguæ haud infrequentioribus aramaismis refertæ ex consuetudine cum babyloniis (non vero tot sunt, qui auctorem in Chaldæa immorantem prodant), stylus, loquendi modus, orationis succus et color, sententiarum gravitas ac verborum pondus cum Jeremia plane consentiunt. In utroque frequens ad Pentateuchum, frequentior unius ad alterum, et quidem ad verbum et per longiores pericopas responsus; quod postremum vix non apodicticum est (conf. 4 Reg. XXV cum Jer. XXXIX; 4 Reg. XXIV, 18 ad XXV, 30 cum Jer. LII), Jeremias enim ab historico non accepit quod ipse fusius narrat, historicus vero non a Jeremia mutuatus est, cum id ex consuetudine non indicet; imo post Joachimi regnum jam non indicat *librum verborum dierum regum Israel, aut Judæ*, qui sunt fontes cum *libro verborum Salomonis* perpetuo allegati, quod evincit auctorem fuisse coævum; et

(a) Bleek *Barucho* tribuit, Welte et Keil ad finem captivitatis rejiciunt, Glaire cum aliis absque ullo fere fundamento *Esdræ* tribuit, ac satis imperite etiam duos priores.

satis concipitur Jeremiam primum coætaneos eventus scripto mandasse, quem laborem scriptis propheticis adjunxit qui hæc collegit in unum, deinde vero historiam suscepisse iis libris contentam, cui priora ejus scripta fere ad verbum adjecit. Denique ante 20.um annum a Solymorum eversione scriptos fuisse libros exinde probabile fit quod Joachimum commemoret a rege babylonico Evilmerodacho, *qui biennio regnavit*, exaltatum ac honorifice tractatum *quoad vixit*, nulla facta mentione mortis Evilmerodachi, aut ejus successoris; unde videtur mortem Joachimi subindicatam illis verbis *quad vixit*, biennio illo accidisse, ac paulo post vulgatum librum fuisse: annus vero trigesimus septimus transmigrationis Joachimi decimonono respondet post Solymorum destructionem (conf. 4 Reg. XXV, 27...).

Nec oppositum evincunt *chaldaismi*, pauci namque sunt, si cum Ezechiele, Daniele, Esdra comparationem instituas; nec mensium nomina *bul*, *haetanim*, *siv* chaldaica sunt, post babylonicum exilium dicta *marcheschvan*, *tischri*, *iyar*: cum vero auctoris ætate hebraica nomina jam obsoleta aliquantum essent, addidit ipse interpretationem, quod potius Jeremiæ ætati quam posteriori quadrat. Ipse etiam adhuc puer (נַעַר, Jer. I, 6) ad munus propheticum anno decimo tertio Josiæ vocatus, nonagenarius potuit regis Joachim liberationem scripto consignare, quam etiam in Ægypto discere potuit. Pars historiæ inter ejus prophetias servata post clausulam venit quidem *hucusque verba Jeremiæ*, sed hæc nihil aliud est quam transitus a sermonibus propheticis ad fragmentum historicum. Nec consensus hujus narrationis cum 4 Regum minus evincit pro nostra sent entia ex eo quod idem fere habeatur inter 4 Reg. XVIII, 13 ad XX, 19 cum Is. XXXVI—XXXIX; nam Ezechiæ gesta in *visione Isaiæ et in libro regum Juda et Israël* (quibus hæc verosimiliter erat inserta) descripta fuerunt (2 Par. XXXII, 32), unde nihil mirum si utrumque scriptum conveniat; ast Jeremias cum libris regum in iis consentit, quæ nullo superioris ætatis documento deprompta, coævum et unum scriptorem deprehendunt. Denique ex verbis *usque in diem hanc* sexcenties repetitis nullo modo demonstratur aut autorem Jeremia priorem fuisse (hoc esset impossibile nisi multi fuissent, quod falsum esse diximus), aut antiqua documenta *ad verbum* descripsisse; ad tempora enim Jeremiæ pervenire potuerunt, nec contrarium quisque demostrare valet, quæ allegata phrasi signantur (conf. 3 Reg. VIII, 8; IX, 21; IX, 13; X, 12; 4 Reg. II, 22; VIII, 22 (nec contrarium est XIV, 7, 22, dumodo compares XVI, 6, coll. 2 Par. XXVIII, 17); X, 27; XIII, 6; XVII, 34.)

296. Auctoritas librorum historica constat multiplici ex capite: a) annales publici passim allegantur ea formula: «*reliqua quæ fecit... scripta sunt in libro verborum dierum Salomonis* (semel), *in libro verborum dierum Juda aut Israël* (semel et tricies), atque ex ipso contextu demonstratur, ubi compendioso delectu quæ ad auctoris scopum magis spectabant scripta fuere: et multa quidem sunt quæ nonnisi ex dictis fontibus desumere auctor potuit, ut stemmata, census, aulicorum et militum ordines, bellorum exitus, præda reportata, colloquia ac orationes quandoque longissimæ, ut oratio Salomonis in dedicatione templi: et ii quidem fontes maxima narrationis veritate præstabant, a viris prophetis plerumque scripti, ut de Samuele, Gado et Nathano supra diximus, et Paralipomenon libri testantur (2 Par. XX, 34; XXXII, 32); qui in regno Israël frequentiores fuerunt, utpote corruptissimo et aaronico sacerdotio destituto; unde miraculis etiam claruerunt, aptissimis suæ missionis signis, *ad infideles non ad fideles* destinatis (1 Cor. XIV, 22); et maxima vi idololatris regibus et populis restiterunt, usque ad persecutiones et mortem (a); ob idque monotheismum servare in pluribus valuerunt, non obstante generali ad idolatriam ac ethnicos mores proclivitate, ac impiorum regum, Israelis præcipue, tyrannico impulsu. b) Ex iis jam constat nullo modo mythicam narrationem hic inveniri; præterquam enim quod *sola eventuum natura* id colligunt adversarii (quia miracula sunt), ac naturales eventus et generalem historiæ complexum cum logica pugnantes admittunt; tempora legendiculis et miraculorum mendacibus narrationibus apta non erant, ex ipsa duorum regnorum inimicitia, ac prophetarum cum regibus, populo, sacerdotibus idolorum oppositione ac bello perpetuo; nec series historiæ vel minimum intelligi posset, ac conservatio religionis et monotheismi absque miraculorum veritate, quæ aliunde Deo digna sunt, ac temporum, personarum, et eventuum conditioni maxime apta, iisque intime connexa; imo plura sunt in historia Israelis miracula quo recentior historia est, et contra genera-

(a) Hinc nil mirum si in annalibus a se conscriptis libere increpabant impios reges, quod et alii præter prophetas perficere potuerunt; unde libris regum hæ increpationes accipi valuerunt, nisi auctoris propriæ sunt.

lem populi indolem polytheisticam patrata: quæ omnia mythorum naturæ repugnant in profanis historiis descriptorum. c) Narratoris sinceritas ab omni partium studio aliena appareret, dum e. g. Salomonis sapientiæ ac florentissimi regni maximus admirator turpem ejus senectutem non obtendit, atque ex ejus mulierositate prima idololatriæ semina manasse fatetur; Israëlem damnat perfidiæ sceptrum davidicæ stirpis detrectatem, simulque defectionis causam in Roboami insolenti fastu ac tyrannide reponit; Jeroboamum ob apostasiam arguit, a Deo tamen electum fuisse refert; Israelis crimina multis insectatur, Judæ non parcit, et alterutrius egregia aut nefaria facinora æque laudat aut vituperat, plura tamen in Israële patrata miracula narrat; temporis notandi studiosissimus in apparentes tamen antilogias incurrit, quæ sinceritatis documentum sunt, si enim jam tunc inemendabiles erant, nec tam bardus erat historicus ut eas non adverteret, nec tam imprudens ut non præcaveret; ast multa coævis plana erant quæ nobis involuta, non tamen inexplicabilia, ut multorum labores evincunt; ac plerumque procedunt ex notatione integrorum annorum, ex interregnis quæ intercesserunt, atque ex regum salutationibus patre adhuc imperante (quod certo evenit in Nabucodonosore biennio ante mortem patris in regnum ab ipso vocato. d) Denique hæc historia confirmatur posterioribus hebræorum libris ac christianorum (conf. Paralipomenon secundum librum integrum ; Eccli. XLVII—XLIX; Mat. XII, 42; Luc. XI, 31; Act. VII, 49; Rom. XI, 2-4; Jac. V, 17-18, &c.) immo et profanis scriptoribus et monumentis (a). Clarus orientalista *Oppert* (conf. *Annal. philo. christ.* t. 65), hæc pro re nostra habet. «Hucusque nihil inventum est in ruderibus assyriis, quod auctoritatem librorum Regum non confirmet et

(a) (Conf. Joseph *Ant.* lib. VIII, cap. II, 8; cap. V, 3; cap. XIII, 2; lib. IX cap. XIV, 2; *contra Apion* lib. I, 14—23, Euseb. *Præp. evang.* lib. IX, cap. XXX—XLII; Grotium, *de Verit. relig. crist.* III, 16): monumenta plura describuntur in *Annal. Philosophiæ christianæ*, veluti Sesaci in Roboamum victoria, captivitas decem tribuum a Teglatphalasare et Sargone in ruderibus Ninive narrata (conf. archæol. n. 3 et 8), res gestæ Sargonis (conf. Is. XX, 1), Sennaqueribi, Assaradonis, Nabucodonosoris &c. plures in iis ruderibus ac nostris libris leguntur.

adaugeat. Unicum documentum certum chronologiæ assyricæ a græcis transmissum, *canon* nempe *Ptolomei*, respondet libris sanctis per singulos annos»; qui præterea addit nihil circa eamdem chronologiam certi statui posse, nisi per synchronismum eventuum in libris Regum narratorum. Similia habet non minus eruditus *de Saulcy*, (apud eosdem *Annales*, t. 38 et 39), qui præstantissimum ex omnibus, quod ego sciam, calculum texuit annorum a libertate judæorum per Cyrum (anno ante J. C. 536) ad tempora Salomonis proxima ac omnia mirifice componit. Quæ in libris Regum ac Paralipomenon inveniuntur adnotationes chronologicæ ad 110 ascendunt (50 in ambobus textibus) omnesque concordari possunt, 6 vel 7 exceptis, quæ majorem habent difficultatem. Juxta Oppert legendum esset 16 pro 36 (2 Par. XVI, 1), 10 pro 12 (3 Reg. XVI, 23), 51 pro 41 (4 Reg. XIV, 23), 30 pro 20 (ib. XV, 27), 16 pro 20 (ib. 30), 29 pro 14 (ib. XVIII, 13), et æquivocatio est etiam (ib. XVII; 1 coll. XV, 30), quæ, cum reliquis, e supra dictis causis explicari debet, quin fidem libri historicam vel minimum lædat.

297. Qua librorum historica auctoritate semel gravissimis fundamentis constituta, jam difficultates oppositæ nihil aliud evincunt, quam aut 1.° nostram rerum ignorantiam ob remotissimi temporis, sed plane historici, pauca admodum monumenta subsistentia, vel defectum absolutissimæ integritatis textus, præcipue in numeris ac mensuris et ponderibus, quod adnotavimus non semel, nihilque prorsus contra *factorum veritatem* evincit; aut 2.° pravam exegesim, unde pleræque difficultates oriuntur, et ab expositoribus, etiam antiquis, feliciter ut plurimum solutæ sunt, a recentioribus præsertim, novis accedentibus monumentis ac scientiarum philologicarum incrementis; aut denique 3.° incredulorum hominum *horrorem miraculorum*, unde descendit increpatio prophetarum, quos ut ambitiosos, mendaces, publicarum rerum perturbatores, crudeles et fanaticos habent; quod, rejectis miraculis, necessarium est, ita tamen ut Judæ et Israëlis historia prorsus absurda evadat; illis admissis, omnia plana sunt, nec quidquam est prophetis objiciendum, ut reipsa a nemine objicitur, qui fidem rebus supernaturalibus concedit.

Igitur quæ videntur graviora objecta seligimus, ceteris neglectis, quæ aut ex jam dictis, aut ex catholicis interpretibus solvi facile pos-

sunt. Objiciunt itaque incredibilem Salomonis imperium (3 Reg IV, 21), victum quotidianum (ib. 22-23), equorum ac præsepium numerum (ib. 26), immensas divitias (X, 11...), tantum pecuniæ in templo expensæ, etsi non amplo (ib. V-VII; 1 Par. XXII, 14-16; XXIX, 4-7), absurdum victimarum numerum (3 Reg. VIII, 63), Salomonis pravam agendi rationem post supremam sapientiam coelitus concessam, prophetarum item agendi modum et absona miracula, Sennacheribi exertitum una nocte occisum (4 Reg. XIX, 35), solem retrogradientem (ib. XX, 8-12), &c. Verum imperium Salomonis complectebatur regiones etiam tributarias; victus quotidianus immensus quidem sed totius domus Salomonis erat, feminarum, aulicorum, principum, custodum, satellitum, qui omnes more orientali a rege pendebant et alebantur; *præsepiorum* nomine non modo stabula et equilia capaciora, sed et loculi ipsi unde jumenta pabulum carpunt, et equorum curulium juga designantur, quorum 4000 duntaxat ab auctore Paralipomenon Salomoni tributa, egregie respondent 1400 ejusdem curribus; quod si luxuriosis hujusmodi curribus bellicos addideris, plaustra, sarraca oneraria ac cujusvis generis vehicula tantis totque ædificationibus necessaria, haud absurde admittes 40,000 equorum; unde nulla est difficultas, etiam si nullam numerorum confusionem hic haberemus, quæ probabiliter a multis admittitur in hebraico textu 3 Reg. IV, 26, hebr. V, 6, et in Vulgata versione 2 Par. IX. 25. Divitias plurimas Salomonis ex tributis, muneribus, bellorum præda, regio patrimonio et commercio maritimo et terrestri, nonnisi ab ignorantibus historiam, ac orientalium regum mores denegari posse certum est, ut de præparatis ad templum a Davide alibi adnotavimus (Archæol. 117), ac vix invenitur jam qui hæc objiciat, etiam si certo nosceremus valorem sicli, præsertim ante exilium babylonicum. Divitiæ Salomonis abundantiæ populi non respondisse credendum est, imo contrarium conjiciendum, ut saltem in fine regni manifestum fuit (3 Reg. XII, 4...) Nec omnes divitiæ a Davide paratæ in templi ædificationem et ornatum impensæ sunt, sed multæ in eius thesauro reservatæ; nec solum templum sed plurimæ circum ipsum ædificatæ sunt ædes, fundamenta profundissima, cum esset in vertice montis exiguo fundatum, quem explanare et æquare necessarium fuit, aliique labores vix a nobis concipiendi, qui jejunam fere descriptionem possidemus, nec scientifice factam, nec ita ut multæ vixque superabiles difficultates tollantur. Victimarum multitudo in templi dedicatione occisarum nullam difficultatem movet ex eo quod Salomon ejusque populus tot bovum oviumque habere non potuisset, ut per se patet, nec ex ministrorum sacerdotum ac levitarum, vel temporis defectu, quatuorde-

cim nempe diebus, quibus solemnitas perduravit; nec denique ex offerentium intentione pia quidem et recta, nec ullo ex capite damnanda, saltem temporum inspecta ratione. Agendi ratio Salomonis a quopiam concipitur, qui homines noverit, eorumque miserias et actus fidei non semper respondentes; nihil ergo de illo incredibile asserunt libri nostri, nec in pravis actibus laudant, sed aut simpliciter narrant, aut reipsa condemnant. De prophetarum agendi ratione, scopo, miraculis, doctrinis, satis pro re nostra diximus; de reliquis ad communem sensum, rectam exegesim, fidem in res supernaturales mittimus. Fatum exercitus Sennacheribi absurdum apparet, si aut a peste, aut vento urente (vix in Palæstina proprie dicta regnante, bene vero in vicina Arabia), aut denique a muribus, quæ ægyptiorum explicatio fuit Herodoto tradita, ortum dicas; optime vero constat, si cum S. S. Angelo Jehovæ superbiam, arrogantiam ac impietatem assyriorum punire volentis tribuatur, quamvis nil obstet quominus medio aliquo naturali ipse usus fuerit. Denique retrogradatio umbræ in horologio Acazi nihil Deo impossibile offerebat, ac per solam radiorum solis refractionem, miraculosam autem, explicari potest, quin totum systema planetarium commoveretur.

Ex inscriptionibus sargonidis objici posset regem Sennacheribum asserere se Ezechiam coegisse ad subjectionem et tributum, ac dein quinque alia bella feliciter egisse; quod occisionem 185,000 militum ejus et immediatam fugam atque mortem a filiis acceptam respuit, quæ libro 4 Reg. XVIII, 13-XIX, 37 narrantur. Ast quin ex dicta inscriptione (ex *prismate Sennacheribi* in Musæo britannico existenti desumpta, et ab Oppert in gallicam linguam conversa) quidquam colligatur adversus biblicam narrationem, maxime potius hæc ab illa confirmatur. Inprimis adnotandum est narrationem nostram ita certam ac vulgatam apud hebræos coævos et posteriores fuisse, ut sæpius diversis locis occurrat, v. g. Is. XXXVI; 2 Par. XXXII; Tob. I, 21; Eccli. XLVIII, 24-25; 1 Mach. VII, 41; 2 Mach. VIII, 19; et alibi. Item adnoto inscriptiones sargonidas non proprie fuisse publicas, sed intra palatii regii muros collocari consuevisse, unde ambitioni regis et aulicorum adulationi plurimus dabatur locus, ut etiam ex ipsa earum lectione patet. Adnoto biblicam narrationem non omnia rimari, quæ in bello contra syros, phoenices, philisthæos, ægyptios et judæos facta sunt; sicut in inscriptione laudata aliqua prætermittuntur regi assyriorum adversa, dum e contra minutim et non parva ambitione et exaggeratione recensentur secunde gesta. Hinc, quamvis *nihil contrarium* inveniatur, non omnia utrinque ad perfectam amussim respondent. Nec parricidium Sennacheribi statim post fugam

evenisse ex Bibliis colligi potest eo quod statim narretur, neque enim historia Sennacheribi hic fit, sed Judææ. Mira destructio exercitus assyriorum narratur etiam ab Herodoto, *prout a saecrdotibus ægyptiis edoctus fuerat*, ob idque circa Pelusium accidisse narrat in bello contra ægyptios simul a Sennacheribo susceptum, et muribus rem tribuit, qui a deo ægyptio missi sunt, et una nocte arma assyriorum pessumdare valuerunt; quæ quidem ridenda narratio fundamentum historicum habuit. Denique inscriptio prædicta irruptionem assyriorum narrat, Ezechiæ formidinem, tributum seu munera missa (in quibus eamdem auri quantitatem recenset, argenti vero 400 pro 300 talenta numerat, additque alia munera, ut electrum, pelles, ligna prætiosa &c.); tacet vero posteriorem exercitus cladem, et fugam suam, in monumento adeo glorioso et ambitioso stylo concepto non recensendam. Id tamen ita contigisse credo, aut quia Ezechias pacem iis muneribus quæsitam non obtinuit, aut quia rebus aliquantum mutatis, et ægyptiaco auxilio fretus, eam rursus rumpere ausus est, quod ex tota narratione colligi posse videtur.

CAPUT XIII.

Libri Paralipomenon: eorum scopus ac cum libris Regum comparatio: ætas et auctor: difficultates oppositæ eorum antiquitati et axiopistiæ.

298. Bini Paralipomenon libri (a) historiam hebræorum continent eo consilio digestam, ut populus e captivitate redux in pristinum statum, quantum fieri posset, restitueretur, præcipue vero antiqua theocratia ac religiosus cultus restauraretur. Quod quidem consilium ex tota operis dispositione et natura patet, ex minutissima genealogiarum, præcipue Judæ, Benjamin et Levi, quæ fere solæ tribus remanserant, descriptione, item familiarum et officiorum levitarum, denique ex factorum historicorum delectu, in quo perpetuus ad dictum scopum respectus habetur. Primi libri 9 priora capita continent genealogias ex Genesi primo, dein-

(a) דִּבְרֵי הַיָּמִים, *verba dierum*, *chronica*, LXX παραλειπομενα, *derelicta*, *prætermissa*, veteribus judæis unus.

de ex aliis hagiographis et deperditis nunc documentis deductas; cap. 10 mortem Sauli regis; 11-29 historiam Davidis: alter refert historiam Salomonis (1-9) et regum Juda (10-36), omissa historia regum Israëlis. Præcipua cura exponitur quidquid ordinem leviticum, templi descriptionem et ornamenta, ac cultum respicit. Postremis versibus narratur paucis destructio Jerusalem, populi captivitas, ac libertas redeundi a Cyro concessa. Quamvis hi libri supplementum necessarium sint ad libros Regum aliosque intelligendos, non tamen ut merum supplementum haberi debent ex dictis; quin imo plurima repetunt fere ad verbum (unde probabilis conjectura est libros Regum ab auctore fuisse consultos), alia omittunt, etiam proprio scopui convenientia, non pauca addunt, quædam diverse, non contrarie, referunt, ex quibus patet utrorumque auctores eadem monumenta consuluisse, ac inde quæ sibi opportuna visa sunt selegisse, ac independenter narrasse. Opera laudata in libris Paral. sunt *multorum prophetarum* et *libri regum Juda et Israel*, quæ utrum idem opus componerent, aut, quod videtur tenendum, diversa, non plane constat. (Conf. 1 Par. XXIX, 29; 2 Par. IX, 29; XII, 15; XVI, 11; XX, 34; XXIV, 27; XXV, 26; XXXIII, 18-19, alibi, atque etiam Isaias laudatur XXVI, 22).

Præcipua inter hos ac Regum libros diversitas a speciali scopo procedit: sic 2 Par. V, 11... de levitarum musica in templi dedicatione loquitur, non vero 3 Reg. VIII; contra vero judæorum idololatria latius in libris Regum exponitur (conf. 2 Par. XIII, 2 cum 3 Reg. XV, 3...). Si vero dicas ob auctoris studium erga leviticum cultum et stirpem, historiam fuisse male descriptam, additionibus, omissionibus, propriis inventis aut adulterationibus; omnia confunderes, ignorato auctoris scopo, atque ejus opere pro simplici ac nuda historia accepto, cum tamen liber didacticus sit, seu *historia parænetica ac politica-religiosa*, populi, cultus et theocratiæ restauraudæ causa conscripta.

299. Librorum Paralipomenon auctor, etsi non certo, magna tamen probabilitate a veteribus omnibus judæis et christianis Esdras habitus fuit, a qua sententia nihil prorsus est quod nos removere veleat. Id confirmatur a) librorum aperto consilio, Esdræ temporibus, personæ, adjunctis convenientissimo; b) post captivitatem scritos fuisse libros demonstrat (2 Par. XXXVI, 22—23) mentio Cyri regis liber-

tem Israeli concedentis; c) post macedonica tempora scriptos habere vetat mentio numismatum persicorum (a), quæ post Alexandrum omnino obsoleverant; d) idipsum evincunt nomina ordinalia mensium ab scriptoribus posterioribus Esdra cum aliis passim commutata, quæ persarum erant, ac ipsa librorum receptio in hebræorum canone (conf. n. 177); e) 1 Par. IX, 17—18 custodes templi *etiam nunc* (עַד־הֵנָּה, Vulg. *usque ad illud tempus*) dicuntur qui Nehemiæ ætate eodem officio fungebantur (Neh. XII, 25—26); f) ante librum Esdræ certissime scripti sunt, qui horum continuatio est, ut particula *et* (וְ) incipiens, et repetitio postremæ Paralipomenon clausulæ evincit; et intima utriusque operis connexio, maxima sermonis unitas ac similitudo, gemini ac proprii dicendi modi nusquam aut vix alibi inveniendi, germanæ, ad verbum sæpe, rituum ac festivitatum descriptiones, stemmatum usus, eadem propemodum scriptoris mens, ipsissimum ingenium eumdem auctorem postulat, ac proinde Esdram, qui proprio nomine inscriptum librum edidit.

300. Nec cujusvis ponderis argumenta contraria sunt. Nec enim antiquiorem auctorem supponit formula *usque in hodiernum diem*, non semel adposita, sed tantum antiquum documentum ad verbum translatum fuisse; nam posterior babylonico exilio certe auctor fuit posteriorum capitum, ergo et totius operis, cujus unum fuisse auctorem et libri ipsi edocent, et adversarii omnes concedunt. Multo autem Esdra posteriorem fuisse minime evincunt, 1.° locus quem inter reliquos hebraicæ Bibliæ libros obtinent, 2.° chaldaismi frequentiores, 3.° remotissimi Zorobabelis posteri recensiti (1 Par. III, 19—21), 4.° Nehemiæ locus male descriptus, 5.° *daricorum* mentio etiam in ætatis davidicæ historia, 6.° anni captivitatis recentius et prave computati, 7.° jejunii mentio deprecationis et non tantum luctus causa habiti, 8.° persica de Satana sententia, 9.° odium in israelitas, nonnisi samaritarum causa a judæis conceptus, 10.° mythicus denique narrationis color.

Nam 1.° ordo librorum in canone nequaquam chronologicus est, et Paralipomena veluti appendix historicus satis congruenter in fine collocata sunt. 2.° Chaldaismi communes sunt scriptoribus captivitati

(a) *Daricorum*, אַדַּרְכֹנִים, (vulg. *solidorum*), ita a Dario medo vel Histaspes dicti, sed juxta alios nomen appellativum est significans *regium numisma*, ut nostri *reales*.

proximis ante vel post; non paucos habet liber Esdræ, immo integras periodos, nec argumenti genus multum roboris habet. 3.° Remotam Zorobabelis progeniem hic recenseri apparet quidem vulgatam versionem legentibus, non autem si juxta hebraicum textum intelligatur; ibi namque progenies Zorobabelis usque ad Jesaiam perducitur, qui non dicitur *pater* Raphaiæ, sed tantum legitur: filii, בני, Raphaiæ, filii Arnan, filii Obdiæ, filii Secheniæ, conspicuarum nempe familiarum capita e zorobabelica procedentium aut illi affinium (a). 4.° Inepte et absque ullo fundamento asseritur locum Nehemiæ hic descriptum bene vel male inveniri ¿cur non potius contrarium affirmavit de Wette? (Conf. Neh. XI, cum 1 Par. IX); sed in pluribus quidem conveniunt, in multis vero ita discrepant, licet mutuo contraria non sint, ut nullus ex altero textu, sed uterque ex comuni fonte descriptus videatur. 5.° *Daricorum* frequens usus, ita ut etiam antiqua monumenta ab auctore adhibita immutaverit, *computatione veterum ponderum* (sive numismatum) *cum daricis facta*, demonstrat ante tempora dominationis græcæ scriptos fuisse libros, tunc enim persicorum numismatum usus desiit. 6.° In computandis exilii annis consentiunt libri nostri cum Esdra, Daniele et Zacharia coævis, et proinde rem mellius callentibus quam nostri critici: incipiunt vero anni a Jeremia prænuntiati a captivitate regis Joachim (conf. Esdr. I, 1—2; Dan IX, 2; Zach. I, 12). 7.° Jejunium non solum in luctus signum sed ad aliquid a Deo obtinendum ab hebræis adhibitum fuisse, inter alia loca plane demonstrant Jud. XX. 26; 1 Reg. VII, 5—9; 2 Reg. XII, 16—18, et a pluribus prophetis laudatur, quin illud a precibus et morum emendatione sejungant (conf. Joel I, 14; II, 12; Jonas III, 7—8; Dan. X, 3, 12; Zach. VII, 5, VIII, 19; Esdr. VIII, 21, 23; Neh. I, 4; 2 Par. XX, 3—22). 8 Doctrinam hebraicam de dæmonibus minime e persica prodiisse alibi probavimus, et evidens negotium est; imo si verum esset adversariorum assertum, hebræi non demonem Deo in omnibus subjectum, sed deum fecissent, persarum nempe Ahrimanum. 9 Mutuum judæorum et israëlitarum odium perenne fuisse, nec post samaritanum templum exortum, alibi diximus (197). 10 *Mythicus* denique

(a) Mss. escurialense 3um alibi citatum, cui consentit 4um, ita vertit: v. 20 E hasuba, e ohel, e beraguay, e hazadia, e yosab, e humes (postrema male depravat, aut codice utebatur vitioso). v. 21 E *el fijo* de hanania palatya e yasaya, *fijos* de yafaya, fijos de arnan, fijos de obadia, fijos de sayaya. Ecquidem sensus planus neque hic neque in originali apparet, sed hos omnes Zorobabelis nepotes, pronepotes &c. non fuisse satis manifestum est.

narrationis color nihil aliud est quam multorum miraculorum relatio, quæ ante Esdram, ab Esdra et post Esdram optime fieri potuit.

301. Jam restat ut Paralipomenon fidem historicam seu axiopistiam in tuto collocemus. Et ad familiarum stemmata quod attinet, pleraque ex hagiographis prioribus desumpta sunt, cum illis congruunt manifeste, aut tantum in specie pugnant; quæ quidem apparens repugnantia eo magis auctoris sinceritatem commendat, quod intimius re considerata, aut directe, at saltem oblique conciliari omnia demonstratur (a). Aliæ genealogiæ e documentis nunc deperditis desumptæ sunt, quæ summa cura digesta et servata fuisse ex populi constitutione, leviticæ tribus destinatione ac distributione sub Davide facta, ex familiarum sacer dotalium juribus et officiis, ac demum ex *genealogorum* numquam interrupta serie ab ætate mosaica, qua fuerunt instituti, satis probabile apparet; et in libro Esdræ narratur quomodo nonnulli e familia sacerdotali pulsi sunt, quia optime digestam tabulam genealogicam, ita ut fidem faceret, exhibere non valuerunt (conf. Esdr. II, 61—62). Narrationem item synceram hic inveniri patet a) ex multiplicibus fontium seu documentorum citationibus; nec nisi per calumniam asserit Gramberg libros tantum Regum auctorem consuluisse, cætera de suo addidisse ac monumenta laudavisse eruditionis ostendendæ gratia; hæc enim nullo fundamento nituntur, vix populo judaico obtrudi aut ne vix quidem potuissent (cum de personis ac rebus præcipuis sermo sit, et quidem ætate literis dedita et antiquitatis nimium studiosa), et cum auctoris sinceritate pugnant multa præclara in libris Regum narrata præteriens, multa item addens sive judæis gloriosa sive israëlitis, probrosa etiam utrisque. b) Auctori historico documenta alleganti, plures sinceritatis notas ostendenti, ipsa narrationis ordinata serie, ac naturali factorum connexione probato, et cum stantibus aliis historiis congruenti, fides detrectari nequit, nisi falsitas perspicue demonstretur, quod nullo modo hic fit; alioquin omnis historica fides exularet. Quantum vero libri Paralipomenon cum 2.° et 3.° Regum congruant sepissime etiam in verbis, ex innumeris locis

(a) Conf. præter antiquos commentatores, Keil *Apolog. Investigatio super libris Chronicorum*, pag. 167—193, et Ghiringhello, *De libris historis V. T.* pag. 367...

parallelis constat; literalis vero consensus aut ex libris Regum frequenter transcriptis, aut ex iisdem fontibus consultis, itemque ad verbum sæpe descriptis, etiam in formulis jam tunc impropriis (ut phrasis *usque in hunc diem*, v. supra). Consensus autem cum aliis hagiographis, imo cum profanorum historiis et monumentis, qui major in dies apparet, prout monumentorum ægyptiorum et assyriorum notitia crescit, idem est ac librorum Regum, eamdemque fidem meretur.

Sic hymnus decantatus in translatione arcæ (1 Par. XVI, 8-36) huic solemnitati convenientissimus et ætati davidicæ congruens est (11, 27); v. autem 35 non de captivitate agit, sed de perpetua populi redemptione ab Abrahamo ad ea usque tempora.— Strages idumæorum ab Abisai facta (ib XVIII, 12) commemoratur a Psalte (ps. LIX, 2) et in 2 Reg. VIII, 13 subindicatur. Tribuitur vero iis in locis victoria aut regi, aut supremo militum duci, aut Abisai, qui immediate eam assecutus est; diversitas autem numeri occisorum e diversa significatione venit vocis הכה, *occidit*, et *profligavit*.—Distributio levitarum in varias classes a Davide ordinata, et verisimillima est, et multis in locis subindicatur (conf. Esdr. II, 36-43, VII, 7, 24; X, 23-24; Neh. VII, 39-46, 63-64; Is. XLIII, 28 hebr. coll. 1 Par. XXIV, 5; Jer. XXXV, 4; Eze. XL, 44), et ante exilium obtinuit (4 Reg. XXIII, 4), unde aptissime Davidi tribuitur cujus exemplum aliqui e successoribus imitati sunt (2 Par. XXIX, 25).—Victoria Sesac ægyptii super Roboamum in monumentis ægyptiis depicta est (v. supra, et Champollion *Precis du système hieroglyph.* Greppo, *Essai sur le système hierogl.*, Rosellini *Monumenti storici*, tom. 2), etsi Roboam captivus non fuerit adductus, quod *sua libertate* pictor exibere videtur.—Victoria Josaphat prodigialiter obtenta super ammonitis, moabitis et syris, Joëli materiam præbuit vividissimæ ac poeticæ descriptionis typicæ ultionis Jehovæ de suis hostibus (conf. Joël III, (hebr. IV); 2 Par. XX, 2, 15 coll. Joël III, 14; 2 Par. XX. 17, 27 coll. Joël III, 11, 18...: hymnus tunc decantatus est ps. LXVII, conf. præs. 5, 7, 10-15); subita multorum regum clades coævæ tharsensis classis ruinæ comparatur (3 Reg. XXII, 49), unde psalmus hic ad Sennacheribi exercitum minime referendus est—Philisthæorum et Arabum depredationes noster auctor cum aliis tradit, sed tanti moliminis probabilem causam unus ipse pandit et proximos eventus (conf. 2 Par. XXI, 16-17; Joël III, 5-6, 17; Amos I, 6..; 2 Par. XVII, 11), successivas dein rebelliones et subjectiones (2 Par. XXVI, 6, 9-15; XXVII, 4 coll. Osea I, 7; VIII, 14; XXVI, 6-13 et XXVII, 3-6 coll. Is. II, 4, præcipue II, 7, 14..., XXVIII, 18 coll Is. XIV, 28-32).

Joasi apostasia post Jojadæ mortem subindicat 4 Reg. XII, 2, et Zachariæ mortem memorat Christus (Mat. XXIII, 34-35 coll. 2 Par. XXIV, 19-22, sed nescio quare dicatur *filius Barachiæ* Mat. l. c., forte Jojada binomius erat aut lapsus amanuensium hic adest).—Idem dicas de restitutione religionis et cultus sub Ezechia, de præsidiis quibus munivit Jerusalem (2 Par, XXXII, 3, 5, coll, Is. XXII, 8-11), de Manasses abductione babyloniam assyriis tunc parentem, de ejus liberatione, fortasse per Kinaladan aut per victorem Nabopolasarem (cum non parum utilis esset babyloniis regibus pax et amicitia cum judæis), item de sua conversione post calamitatem, denum de Nechai (נכו in monumentis ægyptiis—Nko) expeditione et victoria Charcamis (Circesium, hebr. כרכמיש, gr. Κιρκήσιον oppidum munitum circa Euphratem), de victoria Maggeddo ac Josiæ morte et occupatione Jerusalem, quæ memorat Herodotus (a) et hagiograhpi (4 Reg. XXIII, 29-30; Jer. XLVI, 2; XXII, 10, 18; ib. 15-16; XXXIV, 5; Zach XII, 11). Quibus veritatis indiciis permoti rationalistæ jam ipsi violentas de Wette et Gramberg impugnationes parvi pendunt, inter alios Bleek scientia critica celeberrimus hostisque fidelis, qui Grambergii argumenta contemnit (b); eadem vero plane detrita invenies apud laudatum Keil, Movers (*criticæ investigationes super libris chronicorum*, Bonn 1834), Bertheau (in comment.), Ghiringhello (l. c. pag. 387-412), &c ; unde ea subjicere non immoramur, cum partim ex dictis in archæologia aut dicendis in hermeneutica, aut denique ex antiquis commentariis solvi facile possint.

CAPUT XIV.

De libris Esdræ ac Nehemiæ: materia substracta: auctores: contrariæ difficultates solvuntur: fides historica: tabula regum persicorum.

302. Hi libri narrationem exhibent reditus judæorum ab exilio, Cyro libertatem concedente, et Zorobabele principe,

(a) Liv. II, cap. 159, licet errorem geographicum passus, dum מגדו cum מגדל confundit, et Jerusalem vocat Καδυτην ex male translato nomine קדושתה = קדושה, *sancta*, id est, civitas sancta, arabibus etiam nunc Al-Cudson.

(b) Adducta «*de un modo muy grosero y superficial*, in sehr roher und seichter weise.»

cum Josue sacerdote et senioribus populum redeuntem imperitante (Esdr. I-II); erectionem templi et cultus restaurationem non sine magnis difficultatibus peractam narrat, ope tamen Darii regis perficitur, dedicatur, ac pascha solemniter celebratur (III-VI); Artaxerxe persarum rege venit etiam Esdras (עזרא), *scriba velox in lege Domini* (titulus offcii, id est, doctor S. Scripturæ) cum aliis multis, ut populum instrueret ac regeret (v. præsertim VII, 25-26), observantiam legis instaurat ac mulieres alienigenas expellit (VII-X). Post paucos annos (Artaxerxis Longimani 20.°, dum Exdras 7.° venerat, 458 aut 467 ante J-C.) venit etiam Nehemias (נחמיה), pincerna Artaxerxis, ut muros Jerusalem ædificaret; frustra resistentibus vicinis populis, præcipue samaritanis rem perficit; multa ad legem Dei restituendam una cum Esdra et senioribus disponit, et abusus corrigit; catalogus describitur principum et familiarum, donorum &c. (Neh. I-XIII). Ex quibus constat utriusque libri scopum esse Dei consilia et providentiam ostendere in populi hebraici liberatione (a), promissorum et prophetiarum adimpletione, theocratiæ restauratione.

303. Auctor primi Esdras habitus est omnibus retro seculis ac ille certo scripsit fragmentum VII, 28-IX, 15, sicut et Nehemias I, 1-VII, 73 sui libri, ibi namque uterque prima persona loquitur et intimas cogitationes pandit (conf. Esdr. VII, 28; VIII, 22; Neh. V, 19; VI, 14); reliqua aut ex ipsis documentis habuit (ut fragmenta chaldaica Esdr. IV, 8-VI, 15; VII, 12-26, et diversos catalagos ac forte etiam foedus cum Deo initum et a principibus viris signatum Neh. VIII-X), aut tanquam testis oculatus uterque narravit. Cum igitur ex serie narrationis, materia substracta, lingua et stylo eumdem auctorem unusquisque habuisse videatur, ac nihil contrarium obstet, librum 1.um ipsi Esdræ magna probabilitate adscribimus, Nehemiæ vero secumdum (b). Es-

(a) Decretum Cyri etiam israelitas complectebatur, ut pote monotheistas ac Jehovæ cultores ac de populo ejus, I, 2-3.

(b) Et talis est etiam sententia Jahn, Keil, Hævernick, Welte, Glaire, Ghiringhello, &c.; posterioribus auctoribus tribuunt Herbst, Haneberg, Bleek, Bertheau cum aliis: Danko Esdræ 1.um adjudicat, 2.um vero post Nehemiam digestum in ea forma, quam nunc habet, opinatur ; denique Movers utrumque cum Paralipomenis ab eodem auctore circa annum 400 ante J-C compositum credit.

dram unum librum scripsisse probatur etiam ex dictis pro auctore Paralipomenon; ex convenientia qua restaurationem templi ac religionis et cultus ipse scribere nec aliis relinquere debuit; ex plurimis libris judaica traditione ipsi tributis, quæ exaggerata quidem est, sed aliquod fundamentum postulat, hoc autem libro Esdræ abjudicato, nullus alius ipsi tribui jure potet; denique minutissima adjuncta narrata coævum auctorem ac ocularem textem exigunt. Nehemiæ vero septem priora capita sui libri vel liberiores critici, ut de Wette, tribuunt, pro reliquis similia argumenta agunt: caput VII, 6-73 ex documento scripto ipse colligere potuit.

304. Quæ contra genuinitatem libri Esdræ objiciuntur parum urgent; nam sermo de Esdra in tertia persona historicis satis frequens est, hic tamen in secunda apparet dum decretum Artaxerxis ad verbum transcribitur, in prima dum se ut fidelem voluntatis Jehovæ ministum tradit, atque ita sensum religiosum exhibet, denique in tertia (a cap. X) ut priorem narrandi modum repeteret; elogia ipsi tributa, aut meri tituli vel cognomina sunt jam tunc ac deinceps consueta, aut ab aliis ipsi tribuuntur, ille vero fideliter narrat (conf. VII, 6. 12. 25; X, 3, quo postremo loco nescio utrum vox אדני., Adonai, ad Deum vel ad Esdram referatur, sed tamen hæc verba Secheniæ sunt. v, 2): genealogia ipsius tempestive apponitur quum primum ejus mentio fit, qui præcipuas partes in rebus narratis agit: Joanan cujus cubiculum ingressus est Esdras (X, 6), adhuc sacerdos summus non erat, nec demonstratur (Neh. XII, 22-23) nonnisi post mortem Nehemiæ pontificium habuisse: denique persici reges optime reges Assyriæ vel Babyloniæ vel Persiæ dici poterant; cum iis omnibus regionibus potirentur.—Qui secundum librum Esdræ Nehemiæ abjudicant, aut saltem nonnullis additionibus interpolatum existimant, quæ sententia satis communis est, iis moventur argumentis (mitto antiquorum opinionem, auctoris Sinopseos Athanasio tributæ, Chrysostomi, Bedæ, qui Esdræ illum tribuerunt ex falsa sententia unum tantum volumen ambos Esdræ libros antiquitus composuisse): a) ante Nehemiæ adventum jam Esdras occubuerat, qui tamen laborum socii exhibentur (Neh. VIII-IX); nec aliter concipitur illa morum perversio quam corrigere debuit Nehemias (II; V; VII); b) non intelligitur quomodo Esdras mosaica lege judæos instituit, ad cujus præscripta jam eorum mores emendaverat (conf. VIII-IX cum. 1 Esdræ IX-X); c) plures sunt repetitiones et discrepantiæ, præsertim in familiarum catalogis, unde videtur hic liber documentorum et notitiarum male assutarum congeries; d) Darius Codomannus, Jeddoa, Zorobabel, Sanaballat et Nehemias sistun-

tur coævi, quod absurdum est, et Flavio Josepho plane adversum.

Hæc demonstrativa non sunt; nam a) Esdras ante secundum Nehemiæ adventum mortuus fuerat, non vero ante primum; Josephus autem in hoc lapsus est, ut in historia hujus temporis, ac precipue regum persarum, quos non semel confundit, ut jam multi demonstrarunt; unde bene concipiuntur abusus illi quos Nehemias eradicare coactus est, attenta præsertim temporum misera conditione, auctoritatis Esdræ indole religiosa vixquæ coactiva, Nehemiæ dein per aliquot annos absentia (ita interpretari potest ac debet phrasis illa לִקֵּץ יָמִים, *in fine dierum*, (XIII, 6), ac difficultate omnes uxores et inçolas regionis alienigenas, præsertim cum ii nimis societatem judæorum amarent, ob privilegia á regibus persicis concessa; unde etiam novimus quare judæi repudiaverunt samaritanorum concursum politica potius quam religiosa intentione oblatum in templi ædificatione. b) Secunda aliaque legis lectio et explicatio priorem non excludit, ex ipsaque narratione eruitur populum in lege jam institutum fuisse, alioquin ejus lectionem haud instanter adeo postulassent, præceptisque antea inauditis tam vehementer permoti fuissent. c) Repetitiones quandoque videntur quæ non sunt (v. g. celebratio festi Esdr. III, 4 coll. Nec. VIII, 16), aliæ narrationi congruunt; discrepantiæ autem apparentes tantum sunt, aut rationabilem causam habent, v. g. catalogus Neh. VII, 6... et Esdr. II, 1... in numero eorum qui recensentur conveniunt (conf. Esd. II, 64 coll. Neh. VII, 66.), qui vero nominatim describuntur paululum variant aut ex pronuntiationis oscitantia ac consequenti transcriptione (dum alibi eodem nomine diversi donantur, cum hoc apud judæos passim obtineret ut filiis nomina imponerent inter majores præclara, unde in iis catalogis adest alius Nehemias ab auctore diversus); aut quia non omnes qui in Assyria descripti sunt, quos Nehemias recenset, reipsa in Palæstinam venerunt (hos numerat Esdras), sed consilium mutaverunt, aut in itinere perierunt, aliique adjuncti sunt; vel nonnulli amanuensium ac librariorum lapsus in alterutro vel utroque catalogo irrepserunt; vel denique Nehemias consulto suis temporibus catalogum accommodavit, aliis omissis aut receptis ex pluribus qui numero tantum designantur. Quod si narratio aliquoties paululum abrupta videtur, nihil mirum, cum ab academico scripta non fuerit, sed a viro pluribus negotiis implicato, jamque senescente, qui plura e documentis et forte etiam prioribus suis scriptis digessit (2 Mach. II, 13). d) Darius Codomannus hic minime designatur, sed Darius Nothus (ab anno 423 ad 404 ante Christum), nam vocabulum *persa* (XII, 22) omnibus accommodari poterat, ac sepe legitur *Cyrus persarum rex*, *Artaxerxes rex persarum* (Esd. 1, 7); Jeddoa adhuc juvenis potuit coævus

esse Nehemiæ senis, nam a Josue jam grandævo anno 536 ad Jeddoa quatuor sunt personæ, imo potuit ipse jam senex Alexandrum magnum excipere, quod narrat Josephus de quodam *Jaddo*, forte a nostro diverso, nec catalogus summorum sacerdotum a judæis servatus plenam fidem meretur, nec ipse Josephus synchronismum hujus temporis adamussim callet, et apocryphum librum tertium Esdræ sequitur sibi contrarius; nihil ergo prohibet quominus Nehemias ad annum fere 400 ante Christum vita nonagenarius excesserit, Jeddoa vero octogenarius Alexandro magno ut summus sacerdos obviam ierit, et Nehemias librum absolvere potuit inter annum 420—400; unde gratis conjiciunt nonnulli interpolatum fuisse fragmentum hoc (XII, 10-11, 22), quod cum judæorum religione pugnat. Sanaballat ætate Alexandri vixisse ex solo Josepho affirmatur, qui Darium Nothum ultimum regem persarum errore lapsus dicit, atque hic proinde deserendus est. Denique Zorobabelem Nehæmiæ coævum ac socium in regimine populi hic haberi pessime omnino colligunt ex Neh. XII, 46, alioquin ex simili loquendi modo (ib. 44) colligere deberent auctorem putavisse Davidem ac Salomonem simul regnasse, quod absurdum esset.

305. Utriusque auctoris fides historica jam patet ob eorum auctoritatem ac dignitatem, ob monumenta fideliter transcripta, quandoque propria chaldaica lingua, ob rerum naturam quæ aut mentiendi utilitatem nullam offerebat, aut errandi occasionem et possibilitatem, ob publicos ac coævos testes, præsertim prophetas Aggæum et Zachariam (conf. Esd. I, 8, 11; II, 2, 63; III, 2, 8; IV, 2, 3; V, 2 cum Eccli. XLIX, 13-14; Agg. I, 1, 14; II, 3; Zach. IV, 9; item V, 1-2; VI, 14 cum Agg. I-II; Zach. I-II; rursum IV, 4-24 cum Agg. II, 4); demum utriusque auctoris fides, pietas in Deum et in patriam ipsa lectione commendantur, uterque cum profanis scriptoribus in multis convenit, quandoque cum inscriptionibus, quas dicunt cuneiformes, assyriis ac persicis, a judæis summa religione acceptus est, sinceritatis notam ubique ostendit; verbo, nihil est quod horum librorum fidem rationalistis suspectam reddat, nec proprie dicta miracula, quæ nulla hic referuntur, solumque restant allatæ difficultates aliæque paucæ jam ab antiquioribus exegeticis viris solutæ. Nehemiam etiam auctor Ecclesiastici speciatim laudat (Eccli. XLIX, 15).

306. Ad hæc quæ dicta sunt facilius capienda, sicut et alia quæ postea in sequentibus libris exponemus, en successionem regum persicorum, ex Ghiringhello desumtam.

	Ann. ante Christ.
Cyrus medorum et babylonensium rex	536
Hoc anno conceditur libertas hebræis, multique veniunt cum Zorobabele (Esd. I-III, 9).	
Cambyses	529
Smerdis	522
Darius Histaspis	521
2.° hujus anno intermissa templi ædificatio resumitur, 6.° perficitur (Esdr. IV, 24-VI, 15).	
Xerxes	486
Artaxerxes Longimanus	465
Anno 7.° Esdras, 20.° Nehemias cum sociis veniunt (Esd. VII, 8; Neh. II, 1).	
Xerxes II et Sogdianus	424
Darius Nothus	423
Artaxerxes Mnemon	404
Darius Ochus	359
Arses	338
Darius Codomannus	336
Alexander regno potitur	330

Hæc nomina græca sunt, ac minus recte ab historiographis; græcis translata; quæ in inscriptionibus inveniuntur, aut in historiis nationalibus persicis, cum biblicis magis congruunt; ut alibi animadvertimus

CAPUT XV.

Liber Tobiæ: auctor, textus originalis ac immediatæ versiones: demonstratur veram historiam in eo narrari, et argumenta contraria solvuntur.

307. Hic liber, sicut et sequentes Judithæ et Estheris, episodium continet historiæ hebræorum, in eoque narratur vita ac satis noti casus utriusque Tobiæ patris et filii, quo Dei providentia super homines, præcipue pios ac justos, eluceat, in magnis calamitatibus etiam positos, quas in eorum bonum Deus Optimus Maximus convertere solet. Libri

titulus ex utriusque Tobiæ nomine descendit (græca namque patris denominatio Tobit, quam sequitur antiqua latina editio, ex fortuita commutatione orta videtur literæ finalis ת cum ת), inexploratum vero est num ab iisdem auctoribus procedat, licet valde sit probabile, exceptis duobus posterioribus versiculis, ubi mortis junioris Tobiæ mentio fit, ac probitatis cognationis et generationis ejus. Id comprobatur locutione in prima persona initio operis in græco textu (I-III), mandato ab Angelo acepto scribendi omnia in libro quæ ipsis mirabilia evenerant (XII, 20 γράψατε πάντα τὰ συντελεσθέντα εἰς βιβλίον), descriptione hymni (XIII, 1 Καὶ Τωβιτ ἔγραψε προςευχὴν....), supremis Tobiæ senioris fatidicis verbis ægre relinquendis labili memoriæ ac fluxæ traditioni; unde si quædam scripserunt, quod ex dictis verisimillimum est (a), nulla ratio apparet cur non omnia iisdem tribuantur, præsertim cum sermo chaldaicus originalis, et auctoris pietas et ad legem mosaicam studiosus respectus in utrumque Tobiam maxime quadrent.

Quæ contra objiciuntur potius fidem libri historicam, quam nostram sententiam lædunt; unde mirum quod ab illis auctoribus catholicis urgeantur, qui veram historiam hic vident, non speciem parabolæ; immo idem dicendum venit de iis, qui parabolicum librum censent, quod postea manifestum erit. Interea, cum dicendorum multa ex sententiis diversis circa textum primigenium, et ex utriusque immediatæ versionis græcæ ac latinæ relativa præstantia lucem capiant, hæc præmittenda sunt.

308. Chaldaice primum compositum fuisse librum plerique tenent (contra sentiunt Serarius, Ilgen, Bertholdt, de Wette, qui hebraice, Jahn, Ackermann, qui græce scriptum cessent), et confirmat color ipse *semiticus* textus græci, *chaldaismis* et *hebraismis* scatentis, qui in græcum interpretem potius quam in auctorem conveniunt, locutiones quibus inepta significatio subjecta est, aptissima vero si ex chaldaico aut hebraico translatæ supponantur, errata quædam satis commode in hac hypothesi explicabilia, testimonium denique rabbinorum et Hieronymi, qui chaldaicum exemplar transtulit, nec de hebraico quidquam audivit nec alius an-

(a) Esset certum si græcus textus absolutam fidem in minimis mereretur aut in iis cum Vulgata consentiret, quæ de scriptura nulla loquitur.

te ipsum; quod quidem testimonium allata argumenta pro hebraico vel chaldaico textu ex æquo pugnantia, in chaldaicum inclinat (conf. Ghiringhello l. c. pag. 454... ex quo hæc desumsimus). Græca versio antiquior est quidem hieronymiana, ut pote quæ in textu alexandrino ante Christi tempora recepta; sed minus integre servatam fuisse suadent hellenistarum ingenium in sacris libris transcribendis minus religiosum quam palæstinensium; ejusdem diversitas, siquidem ipsa, et syriaca ac vetus latina ex ea desumptæ, minime inter se conveniunt; vulgata e contrario parum a Hieronymi ætate, et nihil in substantialibus immutata manet, quam ipse, etsi non valde, satis tamen in chaldaico sermone peritus, unius diei spatio, a judæo utrumque idioma callente adjutus, latine libere vertit (conf. ejus præfacionem in Dan. et Tob.), quin tamen infideliter aut oscitanter vertisse credere permittant ejus ingenium, peritia et in sacros libros reverentia. Demum, cum vulgata a græca differt, *plerumque*, non *semper*, rectiora tradit, cum copiosior est convenientia ac verosimilia, cum strictius narrat, ea omittit ex quibus magna difficultatum pars procedit quæ adversus hunc librum, tamquam specie aut re pugnantia, vel tamquam mythica aut ex arbitrio ficta objiciuntur; clarior præterea ac fluentior est. Græca tamen non est repudianda, quandoque præferenda, uti cum *Ecbatana* legit loco *Rages*; quæ addit diversa plerumque sunt, non contraria, et valde in traditione fundata videntur.

309. Veram hic historiam narrari multa plane evincunt: a) consilium auctoris paræneticum (v. supra), vix aliter obtinendum, cum etiam facta probatissima difficulter hebræi crederent, et ex hac tantum fide bonum ab auctore intentum esset expectandum, præsertim cum operis ficti nullum exemplum haberet, nec absque similibus exemplis vulgatis ac cultura litteraria tam præstantem historiolam conficere valuit (a); b) nullibi subindicat narrationem arbitrio confictam; unde si talis haberi deberet, vix esset medium veras historias a confictis verisimilibus distinguendis, et sane non historiæ colore, sed difficultatibus plurimi permoti sunt ad eam parabolis adscribendam, quas ita facile elevare posse sibi

(a) *Un roman charmant*, dicitur *sapienter* a Renano *sapientissimo*.

blandiebantur; c) universæ narrationis tenor, accurata temporum, locorum, personarum definitio, adjunctorum etiam minimorum notatio, imo eorum quæ, nisi historica, auctor non confixisset (conf I, 9; VIII, 23; IX, 7...; XI, 1-20; XIV, 1-3), intima demum aptaque ejusdem cum israëlitica et assyriaca historia connexio atque consensus, parabolæ aut pro arbitrio fictæ historiæ non cogruunt, sed germanæ sinceræque.

310. Contra sententiam de libri auctoribus expositam ejusdemque characterem vere historicum plurima a rationalistis, protestantibus nonnullisque catholicis objiciuntur, quorum præcipua nunc refutanda sunt, licet doctrinam catholicam ea tantum lædant, quæ libri divinam inspirationem respuunt. 1.° Salmanasaris successorem Sennacheribum dicit non Sargonem; sed non eum dicit immediatum successorem nisi in textu græco hic deserendo; Sargonis mentionem forte non facit quia cum hebræis vix rem habuit, nisi in Samariæ destructione, quam probabiliter Salmanasaris nomine peregit, ut copiarum dux. 2.° Quod si ait jam tum Rages exstitisse, quam juxta Strabonem Seleuchus Nicator ædificavit; nihil mirum est, cum urbem antiquissimam pene dirutam restituerit, quod sæpe ædificare vocant historici ac homines vulgo: sane primo persarum regi Kajumaroth tribuitur urbis fundatio in libro persarum sacro Vendidad, Arsaces eam restauravit appellavitque *Arsaciam*, antea ab Alexandro restitutam dictamque *Europon*, quæ denique primitivum nomen demum obtinuit, et ad 10m usque sæculum dicebatur persice *Rai*, ejusque rudera non longe a Teheran invisuntur. 3.° Drachmarum mentio in græco tantum textu fit, qui hebraicum בקע, dimidium siclum, *drachmam* interpretari solet. 4.° Angelorum existentia, officia, nomina, a persis derivasse judæos falsum est; septenarius vero numerus eorum qui sunt ante Deum, antea non apparet, et persis erat solemnis, sed etiam hebræis semper sacer et symbolicus fuit (ac sæpe et hic forsitan pro indeterminato, sed multiplici ponitur): nomina ex hebræo derivantur, et hominibus imposita legimus temporibus Tobiam et Danielem præcedentibus conf. Dan. X, 13 cum Num. XIII, 14; 1 Par. V, 13-14; VI, 40; VIII, 16 &c.), ante thronum Dei assistere ex libro Jobi patet, ministros Dei esse ad homines missos sexcenties in toto V. T. legimus, et in scala Jacobi significabatur, non quasi Deus illis indigeat, sed quia hominibus hæc opportuniora sunt; aliorum nomen sumpsisse eorumque personam gessisse Angeli illi demonstrant qui Deum repræsentabant in antiquioribus theophaniis, et propterea dicebant v. g. *Ego sum Deus Abraham*... quin mentitos fuisse affir-

mari possit. 4.° Tobias e tribu Nephtali bene potuit a Salmanasare captivus duci, cum non omnes prorsus Teglatphalasar transtulerit; ipse vero potuit in vicinam tribum refugium invenire. 5.° Jam dives Tobias officio regii emtoris et venditoris valde ditatus est, eleemosynis tamen magnisque largitionibus præcipue vero bonorum confiscatione in summam egestatem venit; etsi vero bona ipsi restituta sunt post Sennacheribi occisionem, ea tamen iisdem operibus, ac præcipue forte in medicos post coecitatem expendit: nihil autem demonstrat pecuniæ Gabelo traditæ ante summam egestatem memorem non fuisse, sed ob circumstantias ignotas nobis, forte ob ipsam coecitatem ac nimium erga tenerum adhuc filium amorem, aut provinciarum statum, restituendam sibi curare nequivit. 6.° Cum Tigris sinuosus sit, optime fieri potuit ut e Ninive egressi, post diei unius iter, ad ejus ripam venirent Angelus et Tobias, qui ingenti pisce viso, timuit, ab Angelo tamen edoctus et confortatus eum ad se traxit (forte *lucius* ingens fuit); nec mirum quod fel piscis ad *albugines* in oculis natas concremandas inserviat, quod medici testantur, ob accidum quoddam *uricum* dictum; ob idque curatio Tobiæ naturalis esse potuit, supernaturalis vero quatenus ab Angelo edocta; ipsius autem coecitas facile concipitur calidioribus hirundinum stercoribus in oculis receptis, quos juxta murum jacens aut casu aut vitio apertos habuit eodem momento quo illa decidebant. 7.° Quæ de Angelis tradit philosophia, quod Eichhorn quærit, nulla sunt, sed tantum ex revelatione novimus; unde quidquid nobis Scriptura de illis universim, et liber Tobiæ speciatim docet, hæc vera doctrina de Angelis est, donec falsam aut impossibilem adversarii demonstrent. 8.° Raphaëlem vero mentitum non fuisse jam prænonuimus; Asmodæum autem Saram adamasse solus textus græcus ait (cum aliis quæ prætermisimus); et liber noster tantum narrat hanc fuisse Tobiæ sententiam (VI, 15 gr.) quam ipse non tradit. Sed Deus ad pravos affectus præteritorum virorum puniendos, dæmoni permisit ut eos occideret intacta Sara; quod vel occultaverunt parentes, ut videtur conjici posse ex Raguelis agendi ratione, qui dubius de rei exitu, fossam cavare intempesta nocte præcepit servis; vel potius ob Saræ pulchritudinem plurimasque divitias novus vir post unius alteriusve casum nuptias adhuc postulavit audacior sibique fidentior. Suffitus cordis piscis actio symbolica fuit rectæ sponsorum intentionis, puritatis, et orationis Deo factæ, non causa fugandi Asmodæum, quem Angelus in superiorem Ægyptum religavit, id est, ad extremos terræ limites Dei auctoritate perduxit et potestate nocendi privavit. Nomen ipsum Asmodæi persicum esse non demonstratur (quamvis nihil impediret quominus ita diabo-

lus universim illa regione tunc temporis appellaretur, et pariter a Tobia), sed probabiliter a verbo hebraico שׁבד, *perdidit*, originem ducit, ac *exterminatorem* significat (non a persico *asmudan*, tentare) et cum occisione tot virorum melius quadrat. 9.° Tobias in cantico locutus est de Solymorum nondum eversorum restitutione; unde nil mirum si rem futuram quasi præsentem propheta vidit; græcus tamen textus rem in futuro ponit. 10.° Nihil prohibet quominus Tobias junior nonagesimo nono vitæ anno defunctus quintam generationem viderit, præsertim si hac formula (XIX, 15) ipse pater, ut alibi sæpe, continetur. 11.° Tobiæ et Saræ ærumnæ, contumeliæ et orationes eodem tempore occurrentes, nihil aliud quam Dei providentiam evincunt; quam qui non rejicit nec miracula et res supernaturales, nihil ex libro Tobiæ contra ejus genuinitatem, auctoritatem historicam ac divinam eruere potest. Auctoritas alterius vel utrius versionis primigeniæ ex critica textus literali in causa est, nihil vero aliud. Mitto eleemosynæ commendationem quæ nihil evincit, ut jam alibi diximus; mitto argumenta externa jam soluta, cum de libris deuterocanonicis universim sermo fuit.

CAPUT XVI.

De libro Judith, ejus originali textu ac duabus immediatis versionibus: ætas et auctor: veram historiam exhibet: solvuntur objecta.

311. In hoc libro narratur libertas totius hebræorum gentis ac præcipue Bethuliæ, civitatis Judithæ, hujus viduæ præclaro facinore obtenta, quo Holophernem assyriorum exercitus ducem ipsa jugulavit. Chaldaice primum scriptum fuisse Hieronymi testimonio, versionis græce indole, pluribus hebraismis seu chaldaismis, imo et solæcismis scatentis, aliisque indiciis eamdem rem subindicantibus, ipso epinicii Judithæ charactere hebraicæ poëseos audaciores tropos, succum et sanguinem redolente, comprobatur, ita ut vix unus hodie sit, qui cum Eichhorn, Jahn, Ackermann &c. sentiat contrarium. Sola græca et vulgata latina versio immediate textum primigenium repræsentant: græcus item aut duplex extitit, aut non leves vicissitudines passus est,

nam in codice Sinaitico alliisque diversus a septuagintaviráli vulgato est, et ex eo versionem syriacam antiquamque latinam prodiisse verosimillimum. Cum igitur Hieronymus *hanc multorum codicum varietatem vitiosissimam amputaverit*, nec singula tamen chaldaici exemplaris verba, sed *ea tantum quæ integra intelligentia invenire potuit*, magisque ad sensum quam ad litteram expresserit (Præf. in Judith); nil mirum quod ambæ originariæ versiones varient in multis, et criticam textus curam postulent, sed in historiæ summa ac rerum substantia congruunt inter se, quamvis hieronymiana alteram plerumque antecedat. Proinde in eo quod simul tradunt, textum originalem vere repræsentant; in reliquis potest interpolatio aut alia culpa in earum alterutra adesse. Interea hæc versionum discrepantia non paucis difficultatibus, præsertim geographicis, solutio esse potest, cum nomina locorum propria pluribus de causis adulterari et immutari potuerint; sed hæc substantiam narrationis nec libri auctoritatem attingunt.

312. Quis libri auctor fuerit certo determinari nequit; post Judithæ tamen et Achioris mortem, quibus multi eum tribuunt, scriptum fuisse constat ex cap. XIV, 6 et XVI, 30-31 (a). Non autem multo post rei eventum literis mandatum fuisse probant accurata locorum, copiarum, belli apparatus, temporum, nominum, decretorum, sermonum, precum, carminum descriptio; quæ memoria servari non potuerunt multo tempore, monumentis consignata auctor recentior omisisset plura, ut pote æqualibus suis supervacua. Unde Volckmar sub Trajano librum confectum fuisse contendens, Eichhorn vero, Bertholdt, de Wette ævo jam christiano, ipsa libri inscriptione in septuagintavirali textu, ac veterum Patrum citatione, Clementis Rom., Origenis &c. satis refelluntur; Grotius, Jahn, Ackermann, Janssens aliique ætati machabaicæ illum adscribentes, labili conjecturæ nituntur ratio-

(a) Primus tamen locus in græco (v. 10) non addit; *et omnis successio generis ejus*, sed de solo Achiore loquitur, adjecta tamen formula: *in hodiernum diem*. Alter pariter locus in græco deest, prout legitur in vulgato, nec mentionem facit solemnitatis servatæ ab hebræis in Judithæ memoriam; tamen ait (v. 25), «*et non fuit qui terreret filios Israel in diebus Judith et post mortem ejus multis diebus*», ἡμέρας πολλάς, quæ verba quibusdam annis interlapsis adhiberi potuerunt; etiam prælio Maggedduntis interveniente, et Josiæ morte, cum hic *sponte* bellico apparatu regem ægyptium exceperit.

nes allatas nec minimum attingenti. Si enim ad amorem patrium excitandum opportunus liber est, id neutiquam evincit tunc fuisse compositum, cum ad hunc finem utilior esse potuit; orationes vero seu perorationes, quæ in eo inveniuntur, non ætatem græcam postulant; alioquin ad tempora macedonica trahendi sunt libri omnes hebraici, in quibus similes orationes inveniuntur, quod laudatis auctoribus non arridet, et jure quidem merito. Eliachim summum sacerdotem aliqui cum Glaire libri auctorem faciunt absque testibus et tabulis: Nickes et Danko tempori captivitatis, plerique cum Welte ætati posteriori tribuunt; primam tamen harum sententiam verosimilem facit sermo chaldaicus quo scriptus liber est, cum post captivitatem hebraicum adhibuerint (nisi in fragmentis Esdræ) et deinde græcum.

313. Quisquis vero libri auctor fuerit, veram germanamque historiam tradit, non opus parabolicum, aut historiam fictitiam, nec circumstantiis legendariis aut pro lubito inventis refertam. Id ab auctore declaratur dum conversionem Achioris, ejusque stirpis (juxta vulg.), festumque diem institutum ad sua tempora perdurare affirmat; id evincunt minutissima adjuncta relata (v. supra 212), id temporum rationes, et secum et cum locis, et profana historia consistentes; id nomina personarum propria ex suæ nationis lingua etymon ducentia (a); id earum ingenium, mores, gesta, consilia, consuetudines singulorum conditioni, patriæ, instituto respondentes; id hebræorum reditus cum superiori medorum victoria (conf. I, 1 cum V, 23), fastuosus Nabuchonosoris titulus, jusjurandum, divini honoris affectatio, superba et barbara jussa, cum exercitu victore conventus et comessationes, hujus ex multis generibus hominum compositio, vastationes, metus incursus, rapidi triumphi (Atilæ aut Tamerlani in pluribus comparandi ob idque minime incredibiles præsertim asiaticam historiam et mores callentibus); Achioris oratio (forte tamen non omnia quæ narravit optime noverat) et agendi modus, ejus cooptatio in populum hebraicum specie saltem legi contraria, ac propterea ab inventoris ingenio aborrens, bene autem auctori quadrans (v. Deut. XXIII, 3); Judithæ pietas, consilia, sim-

(a) Vide Gesenii lex. a Drach retract. ad voces יהודית Judith, *laudata*, אחיאור, Achior, *frater lucis*, *amicus veritatis*, חברה, *socia* (doncella), נבוכדנאצר, *Nabucodonosor*, ארפכשד, *Arphaxad*.

plicior forte fides pro rectis habens actiones non undequaque laudandas; omnis denique libri color et adjuncta veram historiam tradunt; quæ si magnas, imo insuperabiles difficultates pateretur, adhuc staret apud cordatum quemlibet, cum similes difficultates apud probatissimos historicos passim occurrant. In iis rerum adjunctis omnia minuta ponderantur et comparantur, critica textus exercetur, probabiles hypotheses adhibentur; narrationes vero non respuuntur, nisi error manifestus et evidens sit. Adde ab ipsis judæis ut historicum admissum ac lectum fuisse (Hier. præf. in Jud.), et a catholicis omnibus ab ætate apostolica; quæ decretoria sunt.

314. Præcipuum adversariorum argumentum in determinando tempore consistit quo historia locum habere potuit. Huic, omissis pluribus ac diversis opinionibus, occurrimus designando primos Josiæ regis annos (641—610 ante Christ., communissime tribuitur tempori Manasses). Itaque Nabucodonosor qui Holophernem misit, est postremus assyriorum rex Kinaladan, qui 12.° regni sui anno devicit medorum regem Fraortem (Arphaxad); cum aliis populis jugum imponere vellet, Holophernem misit cum ingenti exercitu; hoc fugato, antequam alium mittere posset a Ciaxare filio Fraortis impetitus est, qui post varias vicissitudines (a), demum cum Nabopolasare amicitia junctus, qui Babyloniæ præerat regi assyrio subditus, Kinaladanum aggressus est, ac in urbe Ninive clausum flammis se dare coëgit, unde Ninive et imperium assyrium periit, ac babylonicum incepit anno 625 (b), Captivitas qua plurimi hebræorum abducti erant (V, 22) sub Manasse contigit, nisi forte Achior alludat ad captivitatem israelitarum, postquam

(a) In quibus scitarum irruptio in Mediam numerari debet, qui eam octo annis oprimere valuerunt, non octo et viginti, quod tradit Herodotus.

(b) Nomen regis assyrii appellativum est, *Dei Nebo princeps*, vel *Dei Nebo cultor*, vel *Deus Nebo princeps*; et universim advertimus hæc assyriorum, medorum ac persarum nomina valde detorta apud historicos græcos inveniri, qui præterea inter se mire discrepantes sunt ac historiæ hebræorum majorem fidem etiam in iis merentur, tum quia viciniores erant et antiquioribus et intimioribus relationibus implicati, tum quia linguæ affines, tum denique quia ab inscriptionibus assyriis, præsertim sargonidis, confirmantur.

a diversis populis multa passi fuerant; proximus reditus (ibi. 23) ejusdem Manasses liberatio est aut etiam plurium israelitarum qui sub Assaradone et Saosduchin revertere valuerunt. Nulla regis hebræorum mentio fit, quia Josia puero facta res est, Eliachimo Helciæ filio et alterius Helciæ patre (cnnf. 4 Reg. XVIII, 18; XXII, 1; 4..., Is. XXII, 20... vide infra) rempublicam moderante; et quoniam in terra israelitica totus eventus accidit, præcipue de Israele, oblique tantum de Juda sermo est in toto libro, juncti tamen et concordes apparent, quod post Ezechiæ missionem (2 Par. XXX) atque ob imminens periculum facile explicatur: templum profanatum fuisse sub Manasse et Ammon pespicuum est (id solum significat phrasis illa textus græci quam objiciunt: καὶ ὁ ναὸς τοῦ θεοῦ αὐτοῦ ἐγενήθε εἰς ἔδαφος, V, 18). Holophernes sui regis victoriis et potentia propriique exercitus robore, ac terrore populis incurso fretus superbus et petulans, optime depingitur, cum illius populi notitiam minutiorem postulat (quem forte miles persicus recenter ad imperatoriam dignitatem vocatus aut plane ignorabat, aut parum noverat), consilium Achioris superbe despicit, sibi fidens atque amore captus Judithæ insidias nullas timet, ut proprius rex comessationibus et ebrietati indulget; quæ omnia nescio cur improbabilia aut absurda ab adversariis habeantur. Quod si in catalogis summorum pontificum hujus Heliachimi mentio non fit in libris Paralipomenon aut in Fl. Josepho, nihil inde eruitur, cum nullus completus sit, et alio nomine designari potuerit (forte ipsissimus Helcias fuit qui Josiæ tantum profuit in restauratione legis ac cultus 4 Reg. XXII, 4...). Ut in geographiam peccare demonstretur liber noster, demonstrari deberet ea quæ ab exercitu Holophernis patrata dicuntur cap II et III, eodem ordine peracta fuise quo narrantur, cum tamen histerologia auctoribus hagiographis et antiquioribus communis et frequens sit: forte exercitum ingentem in varias phalanges distribuit, atque ita diversis simul locis dimicavit ac victor exstitit, unde terrorem populis illis omnibus injecit, qui se sujecerunt, ipsoque regi Ægypti (cum jam victori terra illa pateret; sed tamen vox *Lybiæ* in græco deest, forteque est erratum Vulgatæ pro *Lydia* Ciliciæ proxima). Deinde demostrari deberet nomina geographica exactissime reddita fuisse, quod pluries saltem

non fit, nec versiones principes inter se consentiunt; quanta vero sit oscitantia in nominibus alterius gentis et linguæ pronuntiandis et scribendis, quamque facile in transcriptione librorum corrumpi possint quisque videt, sed hæc minuta sunt et spernenda cum de auctoritate historiæ cujusdam agitur. Hinc quæ et ubi esset Bethulia determinare nequimus: forte in tribu Simeon (Jos. XIX, 4, comp. Judith III, 14—15 et VII, 1), aut erat Bethlehem item tribus Simeon, aut cum Wolff et Sepp crederem fuisse hodiernam Beth-Ilva, in lateribus montis Galboë, in valle Beisam, inter Jordanem et planitiem Esdrelon: et si ejus mentio alibi non esset, idem accidit cum Nazareth, Capharnaum &c. quæ reales ac veræ civitates fuerunt. Arphaxado tribui optime potuit ædificatio Ecbatanorum, quam muris circumdederat Dejoces, sive unus castella et munitiones alter proprie dictam urbem fundasset, sive posterior priorem multo grandiorem, pulchriorem aut fortiorem effecisset. Aquæductus de quo cap. VII, 6 sermo est, directo ducebat ab urbe extra ad fontem, seu a fonte ad urbem: nempe hic describitur ejus directio, non autem aut aquas *ascendisse*, aut ex urbe detulisse dicitur, sed contrarium satis indicatur vocabulo «fons qui *influebat aquæductum*». Exercitus insperate audita ducis strage, e plurimis regionibus coagmentatus, militibus indisciplinatis et vi ac minis servientibus, clamore et simulato bethuliensium occurso, nimio terrore ac pavore perculsus est, statimque fugam arripuit, alio duce non exspectato; quod nec inverosimile est, nec semel factum. Judithæ origo e tribu Simeonis satis aperte traditur, vox autem *Ruben* forte pro *Israel* in Vulgata est (VIII, 2); pauci vero avi numerati nihil aliud demonstrant, quam incompletum esse catalogum, ut alibi sæpe. Ætas illius probabiliter quinquagesimum aut sexagesimum annum æquabat, vitæ vero genus, natura robustior, pulchritudo summa, matronalis decor, cultura, ornatus, ipseque patriæ amor qui tale facinus illi persuaserat, satis explicant cur pulcherrima videri potuit et Holophernem seducere ingenio præsertim et culta eloquentia. Denique illam mentitam fuisse negotiumque alea plenum in se suscepisse, alia demum minus recta in historiæ decursu aut egisse aut dixisse, non immoramur: certe intentio optima erat, amor patrius, pietas valorque præclarus. Quid si bona fide in quibusdam erravit? Hæc auctor sacer nec approbat nec repre-

hendit; Judhitam certe laudat, sed laude dignissima fuit persona, quamvis ejus ideæ et actiones in abstracto consideratæ et christianæ perfectissimæ doctrinæ censuræ subjectæ, quædam habeant reprehensione digna. Ad rem D. Tomas 2—2 q. 110 a. 3: «Quidam commendantur in scriptura non propter perfectam virtutem, sed propter quamdam virtutis indolem, scilicet quia apparebat in eis aliquis laudabilis affectus, ex quo movebantur ad quædam indebita facienda, et hoc modo Judith laudantur, non quia mentita est Holoferni, sed propter affectum quem habuit ad salutem populi, pro qua periculis se exposuit». Quod pro similibus accusationibus intelligendum est. Ultimus libri versus ex grandiori ætate Judithæ satis defenditur, cum post facinus 40 vel 46 annis vixerit, primus autem qui *filiis Israel terrorem* injecerit (v. n. 212 notam) fuit Nabuchodonosor chaldæus seu magnus tempore Sedeciæ regis circa annum 590; libertas autem Bethuliæ in adducta sententia anno 640 contigit, quatuor autem vel quinque anni satis respondent phrasi ἡμέρας πολλάς, multos dies, (hebr. ימים רבים); quod si tempore Manasses acciderit, *a fortiori* res explicatur; quin admittere cogamur aut interpolationem, aut bethulienses veluti a judæis separatos illæsos remansisse post Solymorum excisionem, quod multi putaverunt, aut denique sententia Glaire ad tempora Amasiæ regis rem perducentis. Quæ sententia singularis est nonnullaque argumenta solvit, sed potiora intacta relinquit, nec a qua captivitate israelitæ venerint explicare valet, nec de qua templi profanatione agatur, nec silentium de rege tunc existente, cum Bethulia regni Israëlis esset, quod totus liber demonstrat, ibique Roboam II potenter regnaret; denique statim post Nabuchodonosorem illum pro hac opinione inventum, Phul, ejusque immediati posteri *perturbaverunt Israëlem*, imo tribus integras captivas duxerunt. Parvula difficultas desumitur ex hagiographorum silentio: multa alia prætermissa sunt, cur etiam hæc, ratio probabilis assignari potest, certa non potest, sed nec est necesarium; dies autem festus tunc institutus captivitate babylonica in desuetudinem abiit, nec desunt monumenta quæ illum antiquitus servatum fuisse testantur, ut Leo de Modena, ac præcipue liturgia coptorum, qui judaicas traditiones non paucas ipsi soli servarunt.

315. Veteres cum S. Augustino existimabant communiter post babylonicum exilium accidisse rem hic descriptam, quæ opinio vix pro-

babilis ab omnibus neotericis deserta est, exceptis Vincenzi et Mesmer. In græco textu potissimum fundatur, qui fortassis minus exacte conversus est ex æquali præconcepta opinione (ita Wolff et Welte). Haneberg indubitandum existimat in minori ætate Manasses locum habuisse, idque melius cum ultimo versiculo congruit, sed difficultatibus non caret: melius collocaretur annis reditum Manasses subsequentibus, cum nempe veterem impietatem respuit, et tamen parva apud populum auctoritate fruebatur, maxima vero summus sacerdos; nisi dicas munitionibus Jerusalem intentum, reliquum patriæ tuendæ munus summo sacerdoti reliquisse. Quæ sententia cum cap. XVI, 30 optime quadrans, forte præferenda est supra expositæ, quæ primis annis Josiæ eventum collocat. Si enim fingamus, quod non constat, Manassem circa annum 680 perductum fuisse Babyloniam ac 675 inde restitutum, historiam nostram anno 670 contigisse verosimile esset, a quo ad prælium Mageddo (610) quo mortuus est Josias, intercedunt 60 anni, ad rem nostram sufficientes. Igitur sola historia biblica inspecta, hæc opinio probabilior apparet, sed ratione habita ad historiam assyriorum et chaldæorum, supra laudata sententia magis arridet

CAPUT XXII.

De libro Esther: materia substracta: character historicus: lingua et auctor: veracitas historiæ comprobatur ac contra plurima objecta defenditur.

316. Liber narrat quomodo judæa Esther neptisque Mardochæi regi Assuero nupsit, suaque ac Mardochæi opera populus hebræus in imperio persico adhuc magna ex parte degens ab excidio liberatus est, quod ei imminebat ab Aman primo regis ministro, in cujus locum suffectus est ipse Mardochæus: huic liberationi celebrandæ dies festus *Phurim*, seu sortium institutus est.

317. Mardochæus ex tribu Benjamin erat, incertumque utrum ipse e Judæa translatus fuerit cum Jechonia, an avus ejus Cis, cum textus utrumque sensum patiatur (II, 5-6); quod si ipse fuit (XI, 4), grandævus valde occubuit, sed satis est ut centum viginti aut triginta annos natus obierit. (A captivitate Jechoniæ seu Joachim ad Xerxem magnum 117 aut 114 fluxere). Esther nomen appellativum est

(stella) quo persice cognominata est *Edissa*, הדסה, *myrtus*. Vix dubitandum Assuerum fuisse Xerxem Magnum (a) de quo nihil refert Herodotus post prælium Micalæ, alii vero historici multo posteriores sunt. Ipse regnum adeptus est anno ante Christum 485: Esther palatium ingressa est anno 479, vel initio anni 478: negotium ab Amano intentum anno 474: quot annis postea vixerit Mardochæus non constat, sicut nec Estheris sors post mortem Xerxis anno 464; forte in successoris potestatem devenit, ut pars hæreditatis. Orientalista Oppert recenset quadraginta fere nomina in hoc libro, quæ e lingua persica descendunt, ipso etiam Aman (Hamana, estimacion), ejusque patria Agag in Media sita erat: quod eædem inscriptiones docent (conf. *Annal. Phil. Chr. 1864. t. 9*); immo allusionem ad persicos tabellarios videt illis verbis האחשתרנים בני הרכינים (VIII, 10).

318. Vere historiam hic tradi non autem narrationem pro libito confictam aut parabolicam, totius libri tenor demonstrat, iisdem fere argumentis supra allatis pro libro Judith, et institutio alioquin absurda festi Phurim, adhuc tempore Machabæorum servati (2 Mach. XV, 37), frequens allusio ad annales medorum atque persarum, demum quæ postea dicenda sunt de libri veracitate historica seu axiopistia.

319. Lingua textus originalis hebræa fuit, saltem pro parte protocanonica (b). Verosimilius credo partem protocanonicam hebraice scriptam fuisse consultis fontibus chaldaicis, nempe scriptis Mardochæi, atque annalibus persicis, ex quibus dein desumptæ sunt additiones claldaicæ ab auctore theopneusto primo textui insertæ, et nonnullis exemplaribus originem dederunt, ex quibus prodierunt textus græcus qui omnes has additiones, exemplaria chaldaica quorum fragmenta edidit Rossi, quæ aliquas, ac demum textus hebræus, qui

(a) In parte deuterocanica apud LXX. Artaxerxes, hebr. אחשורש, interpretato nomine vero regis ex inscriptionibus cuneatis desumpto *Khschyerscha*, græce reddito Xerxes vel Artaxerxes: *leo rex*, aut *fortis rex*).

(b) Hæc in vulgata appendicis loco inserta est a Hier. ex veteri latina versione desumpta; in septuagintavirali autem singula fragmenta, quibus constat, suis locis inserta sunt, nempe: proœmium invenitur vulg. XI, 2-XII, 6; III, 13-24=XIII, 1-7; IV, 17-50=XIII, 8 ad XIV, 19; V, 1-17=XV, 4-19; VIII, 13...=XVI; X, 3...=X, 4.

nullas admisit. In veteri tamen hebræo videntur exstitisse, nam a Theodotione translatæ sunt, texte Origene (ep. ad Afric. n. 3). Omnem librum chaldaice primum scriptum fuisse, quod nempe latius et accuratius res omnis a Mardochæo descripta fuit sermone tunc judæis vulgari, ex quo deinde compendiario modo hebraice pertractata est ut festo Phurim die legeretur, unde demum interpres græcus utrumque textum, hebraicum contractum, et chaldaicum ampliorem ante se habens, utrumque descripsit, satis probabile videtur; et exemplaria chaldaica adhuc exstantia (quæ ex textu græco aut latino orta non videntur, cum ab utroque discrepent) quamdam probabilitatem huic sententiæ tribuunt. Certe textus græcus pluribus hebraismis seu chaldaismis scatet, qui id confirmant (licet non demostrent, sed tantum originem scriptoris hebraicam); libertas qua versio græca libri peracta est, ejus specialem elegantiam satis explicat, quin græce primo scripta fuisse additamenta admittere sit necessarium, quod gravibus premitur difficultatibus. Probabilia hæc sunt, minime certa, et a criticis viris minime definita.

320. Ex dictis jam patet quanta sit in hujus libri auctore designando incertitudo, quem alii Esdram, alii Joachim pontificem, alii Sinagogam, plurimi Mardochæum crediderunt, qui sane multa scripsit, sed tamen libri auctor ab illo satis distinguitur, tum in hebraico textu, tum in additionibus (conf. IX, 20. 23. 26. 29. 32; XII, 4); sed auctorem scriptis Mardochæi ita usum fuisse verosimillimum est, ut hic quoad substantiam ille tantum quoad formam auctores fuisse videantur. Ex minutis tamen narrationis circumstantiis, ex vividissima ac veracissima morum persicorum descriptione, et repetito ad annales medorum atque persarum respectu, constat florente adhuc persico imperio editum fuisse. Nec graphica, quam diximus, morum persicorum descriptio evincit sero fuisse compositum, quum ii mores coram lectorum oculis jam non versabantur; nam minime solis coævis liber editus fuit, nec solis hebræis Persidem incolentibus, sed omnibus, etiam longinquis, quibus hæc pictura grata et opportuna erat, ut nihil dicam de arte prorsus ingenua qua facta est, nempe sine arte et oblique, atque ex ipsa narratione descendente.

321. Veracitas libri historica partim ex dictis, deinde ex aliis pluribus constat. Sane a) omnia fere hic narrata ex epistola Mardochæi desumpta sunt, si ea non ipse liber est, quod pluribus placuit (conf. IX, 26 in vulg.); Mardochæus

vero rem apprime calluisse per se patet; mendosum quid narrasse gravissima accusatio esset, quæ probatione plena egeret, neque rerum natura deceptionem patiebatur. b) Ipsa narratio semper sibi constans, synceritatis notis ubique fulgens, singulis ac valde inter se diversis personis suos characteres ac congruum dicendi agendive modum nunquam non servans, coævum ac testem oculatum aperte prodit vel saltem e coævis et authenticis documentis fideliter narrationem sumentem. c) Perpetuum judæorum testimonium idem evincit festo Phurim servato, libri receptione inter cæteros quos ipsi ut verissimos et divinos venerantur, etiam in parte deuterocanonica satis probabiliter, cum hæc in versione LXX, Theodotionis, nonnullis codicibus hebraicis (apud de Rossi), chaldaicis, paraphrasibus item chaldaicis admissa fuerit, et a Flavio Josepho ut Scriptura sacra adhibeatur; Ecclesiæ demum universæ auctoritate, quæ veram historiam in toto libro semper venerata est, ac piaculum duxit vel minimam contrariam adsertionem, eadem veritas comprobatur. d) Deuterocanonica pars nihil aliud est quam rerum compendio narratarum amplior expositio, quæ proinde eamdem fidem meretur; diversitas autem narrationis, præsertim nominis Dei usus quo ab altera distinguitur, accidentalis est, et ipsa prioris partis *compendiaria narratione* satis explicatur. e) Denique objectiones olim magno impetu motæ contra libri veracitatem magna ex parte relictæ sunt, et ab ipsis rationalistis ita jam liber suscipitur, ut ad mores persicos rite noscendos atque temporis conditionem plurimi habeatur: ipsa nempe quæ antea videbantur incredibilia et subsannationi tradebantur, nunc pulsa rerum orientalium magna ex parte ignorantia, laudantur et magno prætio digna habentur.

Sane si comparetur liber Esther cum iis qui hodiernas persarum consuetudines, regionem, vitam, agendi modum oculati testes describunt, mira adhuc analogia observatur; et sapiens orientalista Paravey, et ante ipsum P. Cibot, sinensis missionarius, adfirmat ad verbum hic describi cæremoniale sinensis aulæ, eamdem regum venerationem, obsequium fere divinum, illimitatam potentiam, aulicorum artes, primi ministri (favorito) omnimodam potestatem, &c., ita ut magnum hinc argumentum hauriat pro sua sententia, sinos nempe nihil aliud esse quam colonos chaldæos, persas, hebræos, ægyptios, qui illuc appulerunt, ac proprias historias, traditiones, artes, illi regioni paulis-

per accommodarunt. Sed hæc nostra non sunt, ideoque sapientium judicio remittimus. Igitur multa præterire possumus argumenta fidei historicæ hujus libri olim proposita, quæ tantum ignorantiam adversariorum prodiderant; eaque solum attingemus, quæ quamdam speciem veri habent et adhuc ojiciuntur.

322. Nempe opponunt plura inverosimilia, ut a) convivium semestre imperii principibus, heddomadale populo Susæ, utpote a sobrietate persica alienum; b) illi adstitisse satrapas immensi imperii, provinciis derelictis; c) decretum ut mulieres subditæ essent viris, cum in oriente eorum servæ sint; d) viros externos et ignobiles tantam auctoritatem ac regias vestes fuisse assecutos; e) Mardochæum hominem aulicum Amano potentissimo honorem denegasse, quem omnes hebræique ipsi primoribus concedebant; ob idque Amanum tanta ira correptum ut integrum et insontem populum morti traderet, ad quod tamen absurde se gessisse; f) imo id regem concessisse, quamvis postea decretum *immutabile* mutaverit; g) deinde impossibile videtur Estheram suum nomen tanto tempore occultare potuisse (idque habet de Wette ut unicum argumentum contra historiæ veritatem); h) reginam absurde sese morti exposusisse absque necessitate, atque imprudenter aut crudeliter nimis egisse. Contra partem deuterocanonicam objicitur k) stilus declamatorius a simplicitate historica alienus; l) Mardochæus anno Assueri secundo magnus dicitur ob conspirationem eunuchorum detectam, quæ anno septimo evenit, insuper præmio affectus ac simul absque præmio dimissus (conf. XI, 2-4 cum II, 6; XII, 1-2 cum II, 16, 21; XII, 5 cum VI, 3; XII, 6 cum III, 5, 6); m) Amanus simul amalecita et macedo, Assuerus torbo et benigno aspectu Estherem excipit, Amanis filii cum parente trucidati, ac ipsi multo post; n) contra characterem libri religiosum objicitur omissio nominis Dei, inter hebræos stupenda minimeque exspectanda; o) denique de Wette, qui unum tantum argumentum inveniebat, asserebatque ingenii perspicaciam et historiæ peritiam satis esse ad singulas difficultates feliciter enodandas, arguit contra divinam libri auctoritatem nefanda ultionis exempla, superbiæ et impietatis, cum tamen præcipui auctores Mardochæus et Esther pii ubique repræsententur, et rei exitus, saltem in parte deuterocanonica Deo tribuatur. —His ordine respondemus: a) antiquioribus persis incongruum fuisset tale convivium, minime vero iis qui antiquæ sobrietatis et virtutis obliti, luxui, ostentationi, debachationibus, *legibus insanis*, hac tamen vice ab Assuero abrogatis (I, 8), intenti, felicissime ac verissime depinguntur, tum hic (cap. I) tum integro libro, quod jam omnibus constat; imo similia convivia instituisse romanos imperatores, atque etiam medio ævo adhibitas fuisse

mensas francas, convivium scilicet perenne omnibus qui advenire vellent, certum pariter est. Nec tamen b) necessarium fuit ut satrapæ (אחשדרפנים *pers. sitrob, miles exercitus*) provinciarum omnes simul advenirent, et provincias absque gubernatore inferiori relinquerent, et ita consilia nationalia celebrari consueverant; quod vero hic depingit auctor libri Esther ab Assuero institutum est post felicem in Ægyptum expeditionem, ut magnates et principes imperii consuleret de græco bello iniendo; quod quidem consilium 6 menses perdurare potuit usque dum immensi imperii conspicui ac principes viri venirent, quos dein convivio rex excipiebat, cui ipse aulæo clausus assistebat; nisi a principe semifatuo et ebrioso omnes leges et antiquæ persarum consuetudines ad amussim non servabantur. A persis non vocabantur mulieres ad convivium, et si quandoque id fiebat, circa finem dimittebantur, ut pellicibus et saltatricibus locum darent; unde cum ab ebrio jam Xerxe regina Vasthi fuisset vocata, noluit matronale decus regiumque habitum coram convivis prostituere, parum aut nihil regem timens, quem sciebat satis uxorium et suæ voluntati obsequentem; ab assentatoribus vero consiliariis repudio proposito, laudanda Vasthi repulsa pro crimine data est, sub *prætextu* pravi exempli a reliquis uxoribus inde suscipiendi; ideoque jussum est ut omnes viri principatum domi tenerent ac mulieres viri linguam adhiberent, cum non raro contingeret ut mulierosi homines uxoribus essent subditi atque peregrinarum lingua uterentur (ubi vulgata ait (1, 22): *et hoc per cunctos populos divulgari*; hebraicus legit: ut esset quisque vir princeps in domo sua, *et loquens juxta linguam populi sui*», וידבר כלשון עמו). Uxores autem in oriente et inter persas satis auctoritatis in rebus domesticis imo publicis habuisse, pluribus exemplis constat (conf. Esth. V, 14; VI, 14; Neh. II, 6; omnia Reg. ac Paral. loca ubi mater regis nominatur, Herodot. III, 1; VII, 4; Athen. XVIII, 18; Aelian. *variar. hist.* XII 1; Plutar. *Artax*, XIV &c. d) Reges orientis (et occidentis), præsertim minus cordatos sui tyrannidis ministros cujuslibet conditionis suscepisse, omnium fere populorum historia testatur (favoritos, privados, conf. XIII, 6); nec inter septemviros apud reges persarum magnæ dignitatis Aman et Mardochæus excepti sunt, sed vicarii regii (gran visir) sunt creati, cui muneri externa origo minime obstabat, quod plurima exempla docent. e) Amano regiam auctoritatem affectanti honor divinus sicut persarum regi tribuebatur, quod demonstrat verbum כרעים, honorem significans nuspiam in sacris litteris hominibus exhibitum, genuflexionem scilicet, non simplicem capitis inclinationem. Ut recte tamen intelligatur Estheris historia,

valde probabile existimo, et ipso libro fere aperte traditur, duas fuisse factiones politicas, regiam nempe cui judæi, cumprimisque Mardochæus favebat, et regi oppositam ab Amano ordinatam ac rectam, quæ proinde Mardochæum favores etiam regios quærentem, præsertim post detectam eunuchorum conjurationem, summe oderat, ejusque populum facile illi adictum atque faventem. Igitur Mardochæus regi fidelis, reginæ adnisus, et Amanis participationem noscens in eunuchorum facinore intento, ejus sacrilegæ superbiæ obsistere ausus est, cui alioquin absque ritu idololatrico concedere nequibat. Hinc factum est ut Amanus, unius Mardochæi nece minime contentus, totius populi internetionem moliretur, ut suo scopui facilius dein providere possèt; hinc prodierunt judæorum clamores et ululatus, ut aliquo demum modo ad regem accederet Amanis intentum obscuro ac vago modo in edictis publicis subindicatum (III, 8...), quod tamen Mardochæum cum suis minime fugere poterat. Amanus autem ambitiosus simulque superstitiosus sortes misit ad diem internecionis designandum, quæ a Deo temperatæ postremum mensem indicaverunt: quod tamen Amano potentissimo vix præjudicium offerebat; sive judæi fugerent (quod fecissent forte si eis data esset facultas, vel nullam adhuc spem servarent), sive manerent; Amanus namque judæorum necem suis asseclis præceperat, rectoribus vero provinciarum non obsistere, sed adjuvare imperaverat, unde rei exitus securus videbatur. Atque ita, ni fallor, omnia intelliguntur: Amani et Mardochæi inimicitiæ et agendi ratio, Estheris occultatio patriæ ac revelatio tempore opportuno Assuero facta, edictum regis primo contrarium; ut nempe judæi *suos hostes*, non persicas auctoritates et populum, sed *asseclas Amani* occidere possent, quod a præpositis adjuti, capite inimicorum occiso, atque faccione prostrata facile ipsis fuit. f) Regem fere fatuum, qualis hic et apud græcas historias depingitur Xerxes, Amano omnia concessisse, cui absolute fidebat, qui regem forte bene potum adivit, nihil incredibile offert; qualis vero quantaque esset apud veteres orientales, ipsosque romanos imperatores, hominum ac populorum despectio quilibet historiæ non plane rudis novit. Nec edictum prius posterius vere immutavit (a), sed judæis facultatem concessit se ab hostibus defendendi; nec mirum esset edictum ab ipso

(a) Vulg. minus perspicue vertit XVI, 17: «eas litteras... sciatis esse irritas»; loco *non insuper habentes litteras...*; item gr. textus XVI, 9 in codice alexandrino et friderico-augustano legit: οὐ χρώμενοι ταῖς μεταβολαῖς pro vulgato χρώμενοι, &c.; et generatim satis libere hæc a vulgata vertuntur.

Mardochæo dictatum *legalitatem* nimis non curasse, et colorem hebraicum induisse. g) Esther mandatum a Mardochæo acceptum ne patriam indicaret, in gynæceo inclusa, ob solam pulchritudinem quæsita, cum nullo exterorum consuetudinem habens, absque magna difficultate servare potuit, neque hujus rei sollicitum regem fuisse credibile est; imo ipse Mardochæus forsitan ignotus primum fuit, cum externo habitu a persis hebræi non distinguerentur, donec Aman curiosius inimici genus inquisivit et ipse Mardochæus declaravit. h) Esther Amani vigilantiam atque in regios inferiores ministros potestatem timere poterat (etsi nonnullos ipsa haberet forsitan sibi faventes), et soli suæ præsentiæ, pulchritudini, blanditiis aliisque artibus femineis fidere debuit ut regis cor emolliret; unde in primo convivio ab ipsa parato nondum rem aperuit, quia nondum omnia disposita erant quæ ad felicem exitum ipsa cum servis regis sibi faventibus præparaverat: hypotheticam sententiam edo, sed verosimilem, et libro innixam (cap. 6 et 7); et Estheram mediis spiritualibus quidem usam fuisse, sed etiam feminæ ac gynæcei propriis suspicor. Ipsi vero objecta crudelitas ex antea dictis explicatur, cum asseclæ Amanis contra regem et judæos conspirantes adhuc multi Susis manerent post quingentos primo die occisos, atque publicæ tranquillitati obsisterent. Quod si aliquid in hoc Esther, Mardochæus, ceteri judæi peccaverunt, nihil nostra refert, hoc liber non laudat, et attentis omnibus adjunctis, attenuabile videtur. k) Stylus partis deuterocanonicæ ab ipsa libertate et elegantia versionis græcæ, et a fussiori narratione repeti debet; preterquam quod hic preces, carmina, epistolæ, ad litteram exhibentur, quæ in parte protocanonica tantum indicata sunt ob narrationis compendium. l) Mardochæus non vere dicitur *secundo anno* conjurationem aperuisse (XII, 1, 2 coll. XI, 2), quamvis ita primo-aspectu videatur in vulgata versione per illa verba *eo tempore*, quæ in græco desunt. Præmio item affectus est, sed exiguo ac tanto rege minus digno (vel servi illi mentiti sunt, quod non est inverosimile), nec publicis honoribus, de quibus hic sermo est, una cum mercede (VI, 3, 4) mordochæi fides affecta erat (conf. XII, 5). m) Amanus nullibi dicitur *amalecita* (hæc Josephi divinatio est aliorumque), sed *agagita* (conf. supra), macedo vero dicitur ab interprete græco ut significaret *hostem* et *extraneum*, quod post tempora Alexandri in Asia forte usitatum erat. Aliunde nil obstat quominus vere macedo origine esset in regno Mediæ ortus, cum certum sit a remotissimis temporibus græcos quosdam in Asiam ivisse ibique multo tempore vixisse, ita ut Alexander græcos hostes inveniret in exercitu persarum. Assuerus primum torbo aspectu excepit absque mandato ingredientem; sed notam reginam

ac fere exanimem sollicitus ac benignus occurrit et locutus est. Filii Amani plures cum ipso perierunt (VIII, 7), alii decem qui evaserant, die 13 adar occisi sunt a judæis, et die 14 cruci affixi (nec solos filios comprehendit vox *domus*, nec ex sola uxore Zare Aman omnes suos filios, plurimos forte susceperat). n) Narratio quidem hoc singulare habet, quod in parte protocanonica nuspiam Deo felix eventus tribuitur *exprese*, sed in altera parte fit, quæ pariter canonica est unumque librum constituit; et a compendiaria rei narratione satis explicatur. A Dei vero providentia ortam fuisse, ipsa evantuum successio, ac præsertim jejunium ab Esthere servatum aliisque judæis præceptum satis demonstrant, hæcque certo fuit auctoris sententia. o) Postremæ difficultati jam respondimus (dif. 4), et plurium virtutum in Esthere et Mardochæo exempla videre licet, nisi omnia invido ac torbo oculo aspiciantur.

CAPUT XXIII.

De libris Machabæorum: materia, lingua, ætas ac veracitas historica: adnotatio chronologica regum Syriæ, Ægypti ac principum Machabæorum.

323. In iis narratio continetur eorum quæ a nobili Asmonæorum familia ad patriam a tyrannide regum Syriæ, præcipue Antiochi Epiphanes liberandam et ad divinum cultum et religionem restaurandam præclare gesta sunt.

Nomen Machabæorum alii derivant a litteris initialibus hujus periodi (Ex. XV, 11); Quis similis tui in fortibus, Domine? מִי־כָמֹכָה בָּאֵלִם יְהוָה, tamquam tessera militaris in vexillis adhibitæ, velut romana S.P.Q.R.; alii pariter a מַתִּתְיָה כֹּהֵן בֶּן־יוֹחָנָן, Matathias sacerdos, filius Johanan; alii demum probabilius á מַקָּבִי, malleator, quasi hostium protritor, impositum Judæ filio Mathathiæ nomen, atque inde in totam familiam atque in duos libros nostros, aliosque duos apocryphos, derivatum. Eadem familia *Asmonæorum* dicta fuit (ita á Fl. Josepho et a rabbinis communiter) a חַשְׁמוֹן Mathathiæ proavo, et *Asidæi* חֲסִידִים, *pii* (2 Mach. XIV, 6 coll. 1 Mach. II, 42).

324. Prior horum librorum aramaice scriptus fuit, ut testis est Origenes (qui hebraice inscriptos dicit *Sarbeth Sar-*

bane El, probabiliter, *Historia principum filiorum Dei* שרבת שרי בני אל) et Hieronymus, qui unum exemplar vidit, et frequentes græci textus hebraismi aliaque parvula peccata demonstrant, a nimia interpretis religione orta; cujus proinde versio originali fere equivalet, ut pote ad littteram facta. Unde auctor palæstinensis esse debuit, ut ex mira locorum peritia et accurata descriptione etiam evincitur, atque non multo rebus narratis inferior, quin recentioris ætatis ulla indicia deprehendantur. Sed absque sufficiente motivo ipsa auctoris persona a multis designatur, aut coæva supponitur, quod esse nequit (conf. XIII, 30); probabiliter auctor Joanni Hircano suppar fuit, et in fine 2i sæculi a. J.C. scripsit. Alter duabus partibus constat: epistolis duabus a Judæis palæstinensibus ad ægyptios missis et librorum Jasonis cirenensis compendio, qui historiam ab Antiocho Epiphane ad Demetrium Soterum plenius tractabat, et latius etiam quam primus liber secundus persequitur. Epistolarum scopus est judæos ægyptios, qui templum Leontopoli ædificaverant, ad sacrorum communionem publicamque generis ac religionis societatem revocare: prima ad encæniorum festum celebrandum hortatur; altera Senatus Judæque nomine Aristobulo inscripta sacerdoti atque ægyptiaci regis magistro primam declarat atque confirmat illis argumentis, quæ pro justa templi jerosolimitani præstantia stare videbantur; ambæ propterea conjunctim anno 123 a. J. C. fortasse missæ sunt, græcoque sermone, ut totus liber, absque dubio conscriptæ. Nec multo post editas epistolas ipse liber compositus fuit (circa annum 100 a J.C.), et ipsi insertæ sunt ab auctore libri, quod narrationis tenor (conf. II, 19, vulg. 20, ubi incipit narratio particula δέ, *vero*, quæ temerario adscribitur alicui librario, nec pure hebraismum est) et intima rerum proportio ostendit: auctor vero, si non palæstinus fuit, sed ægyptius vel cirenensis, illic tamen opus suum verosimiliter composuit, quippe non solum accuratissimam locorum notitiam ostendit, sed iis locutionibus utitur quæ in Solymorum incolam conveniunt (a). Primus liber ab altero distinguitur simplici ac

(a) Secundus liber nonnisi sæculo 2° scriptus Eichhornio videtur, eo quod a Clem. Alexandrino primum diserte allegatur, sed id rem non evincit, et in epistola ad hebræos (XI, 35 coll. 2 Mach. VI,

vigore plena narratione, antiquis libris historicis consueta, dum alter satis rethoricæ indulget et amplius narrat, auctoris proprios sensus pandit, ac facta mirabilia relevat: prior continet historiam 45 fere annorum ab Antiocho Epihane ad Joannem Hircanum, cujus annales allegat; alter tantum 15 annorum (a 176 ad 161), gesta nimirum Judæ Machabæi.

325. Fides historica librorum egregie a Frœlich et Khell contra Wernsdorff sæculo præterito, novissime a P. Patrizi vindicata (*De consensu utriusque libri Mach*), a doctioribus protestantibus nunc conceditur, ut a Grimm (*Manuale exeget. in apochryphos*, deuterocanonicos), ab historicis passim, dum fontes historiæ Seleucidarum hauriunt, a rationalistis, in iis quæ miracula non sunt (quo respectu 2um præcipue aggrediuntur), et gravibus fundamentis innititur. Et sane auctor 1i factis proximus fuit, palæstinensis, temporum et locorum peritissimus (v. supra), et publicis documentis usus fuit, quæ vel expresse allegat, vel integre carptimve refert (conf. I, 43, 44-52; VIII, 23-32; X, 4-6, 18-20, 25-45; XI, 30-37; XII, 6-18, 20-23; XIII, 36-40; XIV, 20-23, 27-45; XV, 2-9, 16-21, 22-24). Deinde omnia simul connexa secum invicem, necnon superioribus et inferioribus consentiunt, cum temporum rationibus accurate sciteque notatis locorum situ atque natura probe definitis, civili ac religiosæ gentis conditioni, sacræ atque profanæ antiquitatis memoriis ac monumentis mire concordat (v. hæc longius demonstrata apud Ghiringhellum, unde hæc sumpsimus). Ob id fides etiam 2i libri evincitur priori semper consentientis, nec nisi apparenter pugnantis; quæ quidem diversitas testimonium est inaffectatæ veritatis et conspirationis studio non quæsitæ (certe auctor 2i primum non adhibuit), et satis facile ac commode componitur, ipsius Grimmi sententia, denique iisdem rationum momentis defenditur; miracula namque narrata nihil incredibile offerunt, depicta vero minutim facta, verba, orationes aliaque hujus-

19) alluditur saltem oblique, et certo ab auctore *quarti libri Machabæorum seu de rationis imperio;* sive Josephus fuerit, quod fere ab omnibus creditum fuit, sive non fuerit, quod nunc multis placet, ast ante eversionem Solymorum et templi scripsit, ut illa phrasis: «*hanc ipsam patriæ nostræ arcem*» ostendit, aliaque indicia.

modi, diversa tantum apparent ex genere narrationis studio et arte rethorica factæ, sed omnia secum, et cum personarum, locorum, temporum natura congruunt.

326. Difficultates e diverso annos numerandi modo deductæ, inde procedunt quod uterque æra Seleucidarum utitur, quæ incipit 1 Octobris a. 312 ante J.C; posterior tamen auctor eam incipit anno 311, forte quia Babylonia capta a Seleuco rursusque amissa anno 312, sequenti anno 311 recuperata fuit. Hinc fluit unius anni diversitas inter utrumque librum semper existens; sed hæc commentarium historico-chronologicum postulant, non diversa aut incomposibilia narrant. (Adducta sententia a Ghiringhello defenditur; Ideler putat alterum a mense Nisan 312, alterum a mense Tischri 311 æram Seleucidarum numerare; Welte vero primum ab autumno a 312 cum syris, secundum ab autumno item 311 forte cum babyloniis; P. Patrizi putat priorem a vere anni 312, posteriorem ab autumno ejusdem anni æram græcorum, seleucidarum, inchoasse).—Sacra in templo intermissa fuisse per biennium juxta unum, per triennium juxta alterum librorum gratis adseritur (conf. 2 Mach. X, 3 cum 1 Mach. IV, 52, 54 coll. I, 21, 30); et omnia cohærent, nempe A. Epiphanem a 143 templum diripuisse, post biennium tributorum præfectum delegasse, qui civitatem vastavit templumque polluit a. 148 restitutum, si supponas Epiphanem subfine a. 143 Jerusalem adventasse, expletoque ibi integro biennio (μετὰ δύο ἔτη), sub initio a. 146 Apollonium misisse, qui in itinere, insidiis, in moeniis subruendis &c. occupatus usque ad mensem Casleu (nonum), die 25° templum profanavit, quod post alium biennium judæi nimis etiam occupati instaurarunt.—Lysias bellum bis movit (2 Mach. XI, 1-15 coll. 1 Mach. IV, 28-34; VI, 17-60), primo post Gorgiam a Juda devictum, hocque tacet 2 Mach. deinde post templum purgatum Epiphanemque defunctum, quod prior auctor omittit prænuntiata tamen prælii renovatione (1 Mach. IV, 35 coll. 2 Mach. XI, 1...); unde nulla est duorum auctorum pugna, præsertim quia breviator rerum affinitatem potius quam chronologicum ordinem quandoque sequitur, ac multa simul tradit quia similia, non quasi simultanea, veluti Bachidis et Timothei gesta (2 Mach. VIII, 30 coll. 1 Mach. V, 6...; VII, 8...)—Si judæi palæstinenses uno et vicesimo anno post templum purgatum ægyptios admonent, ad festum celebrandum excitant, ac de malis perpessis conqueruntur, nihil mirum est; siquidem propriis negotiis valde implicati erant, fortassis antea eadem monuerant absque fructu, denique eorum querelæ non Epiphanem sed Demetrium respiciebant, qui non levia mala judæis movit (conf. 1 Mach. XI, 53..., XII). Quod si secunda epistola nomine

Judæ inscribitur, non fuit ille Machabæus, sed alius v. g. Essenus aut Hircani cognatus illiusque vicarius; si enim Judas Machabæus documentorum collector fuit, posteriora sane colligere non potuit; nec ulla earum primordialis fuit, sed occasione anniversariæ solemnitatis missa.—Alexandrum in *tota* primum Græcia regnase multo verissimum est (1 Mach. I. 1 gr.); præsertim si nomine Græciæ intelligas etiam Asiam minorem, Syriam et Ægyptum, quod auctorem intellexisse valde probabile est. Sane primus est qui in numismatibus rex græcorum appellatus fuerit, conf. Ackermann. *Inter ejus sodales regnum distribuisse* etiam affirmari potest, tum quia ob plurimas historicorum contradictiones nihil ex illis certo constat de ultima Alexandri voluntate, tum quia a Perdica distributæ sunt provinciæ inter eosdem fere, quos Alexander iisdem præfecerat: et dictum ipsi tributum, senempe *regnum fortissimo relinquere*, si verum fuit, potius ut prænuntiatio futurorum eventuum, quam vera voluntatis dispositio habenda est; unde nemo se regem dixit dum Alexandri successor legitimus vixit (Conf. Justinum I. XIII, 4).—Nehemias quidem templum non ædificavit (2 Mach. I, 18), sed forte munivit, aliquo modo instauravit (Neh. XIII, 7...), quod sufficit ad potestatem vocis *ædificavit;* Elymais Persidis provincia est (1 Mach. VI, 1), et vox πόλις qua utitur græcus textus regionem etiam significat (si non est nominis Persidis aramæa interpretatio), et probabiliter auctor aramaicus voce מדינה (*regio*, *provincia* hebræis, *urbs* arabibus) usus est, quam ambiguam vocem aramaicam ambigue vertit interpres græcus: judæi Babyloniam captivi ducti sunt, sed ætate machabaica vox Persia omnes fere regiones Dario regi olim subjectas complectebatur, ideoque Assyriam et Babyloniam: insulæ mediterraneæ eo sensu Antiocho subsidia contuerunt, quatenus nempe, etiam si illæ insulæ romanis subditæ essent, multi milites libere illi accesserunt, fracto foedere cum romanis ab ipso: post prælium sardense Antiochum, brevissimo licet tempore, captum non fuisse nemo demonstrare potest, etiam si nullus historicorum id narret, quia scilicet aut vi, aut fraude, aut pactis conditionibus, aut militibus corruptis, aut ipsa denique Scipionis conniventia statim fugit; quod proinde romani duces occultum servare voluerunt, nec ad historicos pervenit: denique medis et indis imperase Antiochum dicitur (1 Mach. VIII, 7-8); sed hæc nomina diversissime ab antiquis usurpantur, forte hic Cariam designant et regionem Phrygiæ, quod non spernendis argumentis multi tenent; et si daremus erronea hæc duo posteriora objecta in libro nostro inveniri, nil aliud colligi posset nisi Judam Machabæum hæc audivisse quæ liber simpliciter narrat.—Triplex ac diversa narratio mortis A. Epiphanis (1 Mach.

VI, 1-16; 2 Mach. I, 13-16; IX, 1-28), diversa quidem est, non contraria, si eam excipias quæ in epistola judæorum fit (2 Mach. I, 13-16), ab auctore libri fideliter recepta, etiam si errore ipsi decepti fuissent, quod tamen non est; quia hic de Antiocho Sidete sermo est ad parthos profecto, ab illisque occiso paulo ante tempus quo hæc epistola edita fuit (a. 188), unde intelligitur quare se *de magnis periculis liberatos* fateantur. Aliæ duæ narrationes amplitudine sua ac circumstantiis relatis vel omissis tantum distinguuntur; nam Elymais et Persepolis una civitas est, vel Persepolis urbs Elymaidis, aut duo templa in ambabus urbibus Antiochus diripere studuit; hinc Babylonem per Ecbatana revertitur, tamen Persiæ fines nondum egressus, audit exercitum in Judæa profligatum, unde ira percitus iter accelerat, at curru excussus, ejus viscera vehementer commota et inflammata deinde putrescunt ac vermicant; hinc successore per litteras designato, atra jam bile tabescens, furore proinde ac ventris torminibus insanus, diversa molitur, et in Ecbatanorum montibus occidit.—Machabæorum facta heroica quidem sunt, minime incredibilia; nec unicum exemplum præbent exercituum pene innumerabilium a paucis pro patria et religione, pro aris et focis dimicantibus destructorum: quædam tamen difficultates minutæ e vivida ac rapida narratione fluunt, apud exegetas tamen enodatæ inveniuntur.—In epistolis judæos inter et spartiatas ac romanos missis nulla difficultas est: non synchronismus Oniæ 1i vel 2i cum Ario 1.° item vel 2.°, qui *solus* epistolam inscripsit vel quia cum socio Eupolemo bellum gerebat primus, vel quia jam unus tantum rex eligebatur ætate secundi; non color aramaicus (1 Mach. XII, 2-23; XIV), siquidem aramaice scriptæ vel translatæ; non cognatio utriusque populi ibi a spartiatis adserta, quæ sive vera sive falsa fuerit, nil nostra refert, certe impossibilis non fuit, et veris fundamentis vel falsis rumoribus ducti spartiatæ asserunt, judæi non contradicunt (conf. etiam 2 Mach. V, 9); non denique modus annos et menses computandi in romanorum epistola, quæ judæis aramaice legi debuit, et antea converti, ac notata tempora juxta eorum consuetudinem accommodari.—Numerorum rationes augeri, eventus exaggerari, aliqua adjuncta fabulosa narrari, vel rumore populi aucta, mera accusatio gratuita est nullo fundamento nixa: facinus Eleazari heroicum fuit atque immortale, pro patria susceptum una cum proprii nominis exaltatione, quæ bona in se est et appetenda: Raziæ vero suicidium ut moraliter bonum non laudatur, sed tantum *generosam* mortem sibi oppetiisse dicitur, quod omnibus perpensis verum est, nec ab ignavo quodam peractum fuisset (conf. utrumque factum 1 Mach. VI, 43-46; 2 Mach. XIV, 41-46). Cetera

quæ objiciuntur minora sunt, et alibi præoccuppata (Sect. 2.ª 182-84), aut a protestanticis dogmaticis præjudiciis oriuntur, cum scilicet hi libri, præcipue secundus, præter historiam illorum temporum præclaram, doctrinam contineant antiquæ revelationis perspicuam circa mortuorum resurrectionem (VI, 26...; VII, 1...), orationes pro defunctis (XII, 42...), ac ipsorum defunctorum pro vivis intercessionem (XV, 14).

Adnotatio. Quoniam absque regum in Syria et Ægypto Alexandri M. successorum chronologia, plura quæ in Bibliis extant, intelligi nequeunt; ideo utramque subjicimus, adnotatis nonnullis locis, quibus de quolibet rege sermo est.

Reges Syriæ seleucidæ.	Anno ante C.	Laudantur.
Seleucus nicator, expug. Babyl.	312	Dan. XI, 5.
Antiochus soter	281	
Antiochus II theos.	262	Dan. XI, 6.
Seleucus II callinicus.	245	Dan. XI, 8.
Seleucus II ceraunus.	226	Dan. XI, 10.
Antiochus III magnus.	224	Dan. XI, 10; 1 Mach. I, 11.
Seleucus IV philopator. , . .	187	Dan. XI, 20; 2 Mach. III, 3; IV, 7.
Atiochus IV epiphanes. . . .	175	Dan. XI, 21; 1 Mach. I, 11; VI, 16; 2 Mach. IV, 7; IX, 28.
Antiochus V eupator.	163	1 Mach. VI, 17; 2 Mach. II, 21.
Demetrius soter (filius Sel. IV).	161—150	1 Mach. VII, 1; X, 50.
Alexander balas (fil. illeg. Ant. IV).	152—145	1 Mach. X, 1; XI, 17.
Demetrius II nicator (fil. Dem. I). , . . , ...	147—140	1 Mach. XI, 39; XIII, 31.
Antiochus VI (fil. Alex.). . .	145—143	1 Mach. XI, 39; XIII, 31.
Tryhpon (regni usurpator).. .	143—138	1 Mach. XIII, 31; XV, 39.
Antiochus VII sidetes (frat. Dem. II).	138	1 Mach. XV, 1.

Reliqui, ad subjectionem Syriæ per romanos, apud libros sacros non veniunt, fueruntque Demetrius II, iterum, 131.—Alexander, 126. —Seleucus V, 123.—Antiochus VIII griphus, 123.—Antiochus IX de Cizico, 112.—Seleucus VI nicator, 94.—Antiochus X pius, Antiochus XI et Philippus, Demetrius III eucherus et Antiochus XII Dionisius, 94.—Tigranes, 85, Antiochus XIII asiaticus, 70—64.

Reges Ægypti lagidæ.	Anno ante C.	Laudantur.
Ptolemæus I Lagi.	306	Dan. XI, 5.
Pt. Philadelphus.	284	Dan. XI, 6.
Pt. Evergetes.	247	Dan. XI, 7.
Pt. Philopator.	221	Dan. XI, 11; 3 Mach. apochr. I, 1.
Pt. Epiphanes.	204	Dan. XI, 14.
Pt. Philometor.	180—145	1 Mach. X, 51; XI, 18; 2 Mach. IX, 29.
Pt. Physcon (evergetes II, una cum fratre).	170—116	1 Mach. I, 19.

Reliqui fuerunt: Pt. VIII Laturus, 117.—Pt. IX Alexander I, 107. —Cleopatra.—Pt. Laturus restitutus, 88.—Ptolomæus X, Alexander II et Berenice, aspirantes, 81.—Pt. XI, Auletes, 80.—Ptolomæi XII et XIII, 52.—Cleopatra 52-29.

Machabæi principes.	Anno ante C.	Laudantur.
Mathathias.	166	1 Mach. II, 70.
Judas machabæus.	166—161	1 Mach. III, 1-IX, 18.
Jonathas.	161—143	1 Mach. IX, 31-XIII, 23.
Simon.	143—135	1 Mach. XIII, 1-XVI, 16.
Joannes Hircanus.	135—106	1 Mach. XVI, 23.

Qui post Hircanum obtinuerunt principatum, nec in libris sacris recensentur fuerunt Aristobulus I, rex, 106.—Alexander Jannæus, 105.—Alexandra; 79.—Hircanus II, 70.—Aristobulus et Antigonus, competitores.—Herodes, 40. Hæc probabilia sunt ex Fl. Josepho; ceterum conf. n. 433.

CAPUT XIX.

De libris poëticis ac primum Job: an verâ sint quæ de Jobo liber narrat: an unus sit liber vel fragmentorum farrago.

327. Præcipua scitu digna ac necessaria circa hebraicæ poëseos indolem ac formam superius attigimus (Archaol. n.° 64—67); et ea ipsa est quæ libros historicos a poëticis distinguit, non vero quasi hi etiam historici esse nequeant. Horum primus est liber Job, qui innumeris difficultatibus impetitur circa indolem ejus historicam, poëmatis unitatem, argumentum et formam, ætatem, auctorem, divinamque auctoritatem, quæ proinde breviter et ordinate percurremus.

328. Ac primo quidem ipsius Jobi existentia ita inficiari, ut universam ejus historiam meram parabolam moratamve fabulam traducant, vel audaciores nunc rationalistæ non audent, contrariamque sententiam talmudistarum aliorumque plurium respuunt Rosenmüller, Ewald, &c., et merito quidem, cum eam pariter respuant præcipua capita (v. infra): contrarius veterum hebræorum mos, imo et græcorum latinorumve poëtarum, qui suis poëmatibus heroës veros suscipiebant, nusquam omnino fictos; scriptoris agendi ratio, qui poëmatis partes non hebræis, sed summe invisis edomitis tribuit, quod auctor hebræus, præsertim recens, minime fecisset, nisi veri hominis vices enarrare intenderet; ex quo constat talem fuisse auctoris sententiam, quam denique non suis modo (conf. Ezech. XIV, 14—20; Tob. II, 12—15; Jac. V, 11, cum omnibus fere Patribus et theologis), sed et exteris persuadere valuit; unde sæpe in Korano et inter arabes vetustiores plura inveniuntur monumenta, traditiones, historiolæ, nimium quidem exaggeratæ, demum familiæ integræ, quæ a Jobo se ortas gloriantur. Quod si Jobi persona ficta non est, nulla adparet ratio quare historica esse nequeant ipsius et amicorum nomina, patria, genus, prospera Jobi conditio, filiorum numerus, pecora, utrorumque fatalis amissio, singularis morbi species, patientissimi viri præclarum epiphomena ad tristissimum tantæ cladis nuncium, uxoris dicterium, amicorum morositas, improvisa re-

rum conversio, novæ divitiæ, filiarum nomina, venustas, communis cum fratribus hæreditas, longa denique annorum ac nepotum series. Hæc omnia nimis propria ac determinata sunt, ut parabolica haberi possent, et ita cum viri celebritate connexa, ut ea aut similia admittenda sint, ne absurde Jobum nullo facinore claruisse admittas; multa denique desunt a fabulatore minime prætermittenda, ut Jobi genus, nomina filiorum et uxoris, aut nimis strictim breviterque perstricta sunt, ut Jobi fortunæ instauratio, aut generali et figurata locutione conclusa, ut sanitas eidem restituta (XLII, 10). Hinc rei narratæ substantia a plerisque jam admittitur, solumque disputatur, an veris factis in mosaica narratione ficta misceantur adjuncta, ipsaque poëtica Jobi, sociorum, ac Dei colloquia vera fuerint, vel ad ornatum inventa aut amplificata.

329. Contra veram historiam in prologo (cap I—II) et epilogo (XLII, 7—16) contentam hæc fere objiciuntur: indefinita Jobi persona, ætas et genus; conventus Angelorum, Deique cum satana colloquium; immanis nocendi potestas diabolo permissa vel propria; contemporalis tot ærumnarum concursio singulari tantum cujusque nuntio superstite; hebdomadalis ac tacitus amicorum consessus; numeri rotundi et proportionales (10 filii filiæque, 10,000 oves et cameli, 1,000 boves et asinæ), eorumque duplicatio; tot liberi a vetula uxore procreati; filiarum nomina fabulosa; parentis subita redintegratio et incredibilis longævitas.—Verum Jobi patria satis indicatur (in terra Hus =Idumæa), nec desunt exempla in Bibliis celebriorum hominum, qui nulla patriæ, generis, ætatis, &c. facta mentione adparent (conf. Jud. XIII, 2: Ruth I, 1; Hebr. VII, 3; item Jud. XVII; XIX; Jon. I, 1; Joël, Nahum, Habacuc &c). Angelorum congressus ac satanæ collocutio et facultas Jobum nocendi vera historia est figuratis locutionibus narrata ad hominum captum, ut tot theophaniæ et angelophaniæ in sacris libris occurrentes; tot anthropopatice narrata ad aliquid spirituale facilius inculcandum (conf. Math. VIII, 11—12; XIX, 28, 29; Gen. XXVIII, 12..., 3 Reg. XXII, 19—22; Is. VI; Zach. III; Apoc. XII, &c.), quæ quidem historia divinitus Jobo vel auctori manifestata fuit. Calamitatum consursus ex data dæmoni potestate ejusque vi humana superiori oriri potuit, quin hoc difficultatem moveat, nisi iis qui dæmonum existentiam, indolem, naturam irrident. Deinde singulæ calamitates Jobi naturales fuerunt quatenus intra naturæ limites positæ erant: diabolus autem, data occasione, sabæorum animos movit ad boves et asinas diripiendas, dum valida tempestas oves consumpsit,

chaldæi tulerunt camelos, ac ventus validus domum, in qua epulabantur filii Jobi, concussit; quæ omnia et superiori illa ætate et nostra minime infrequentia sunt. Quod si nuntius semper asseruit se solum fugiisse, imprimis verum esse potuit, præsertim cum dæmonis opera fieret, deinde exaggeravit forsan cladem ob nimium terrorem, vel unusquisque, visa calamitate, reapse credidit reliquos omnes fuisse consumptos. Amici Jobi septenario dierum numero, seu *tempore luctus*, taciti coram eo manserunt: sed non ita ut nihil prorsus loquerentur, aut immoti sederent: fortassis mos erat, qui extraneus nobis videtur, et esset profecto nostra ætate et regione, consuetus tamen inter tribus nomadum, quarum principes (Jeques) erant Job ejusque amici. Numeri rotundi armentorum pecorumve Jobi ex consuetudine procedunt fractos numeros negligendi in sacris libris sæpe recurrente; eorum vero proportio nonnisi factis duabus additionibus ocurrit (liberi 10; 7,000 ovium ac 3,000 camelorum=10,000; 500 juga bovum et 500 asinæ=1,000), ideoque minime videtur ab auctore intenta, etiam si inverosimilis esset, cum multa sint inverosimilia et tamen vera. Armentorum pecorumque duplicatio præter propter intelligenda est, et multis de causis evenire potuit, puta hæreditate insperata, propinquorum et amicorum muneribus, qui ab eo prius recesserant, quem a Deo maledictum credebant, deinde vero cognita valetudine, Dei ipsius approbatione ac singularis dilectionis signis, rerumque omnium commutatione, larga munera obtulerunt, quibus forte accesserunt ejusdem tribus muneribus seu tributis, cui imperabat. Nec ullibi dicitur Jobum priscam valetudinem duplamque substantiam subito recuperasse, sed post multos dies et annos, nec liberi duplicati sunt, nec anni duplicati neccessario adparent; unde Jobi longævitas ætati patriarchali valde extraordinaria non fuit, cum ad ducentessimum fere annum accederet, si calamitates passus est circa annum quinquagesimum, quod facile admitti potest. Denique filiarum nomina significativa sunt, juxta morem valde consuetum, minime vero fabulosa, cum tertium nomen non *cornu Amalthææ* designet, sed cornu fuci vel stibii, vas nempe in quo fuci ac res suaveolentes servabantur; quæ quidem nomina apud nos innumera sunt. Hæ autem filiæ ac filii ab eadem vel ab alia uxore habiti sunt, quod ab auctore historico omittitur, a legendario vix erat prætermittendum, una cum filiorum nominibus.

330. Igitur iis qui ordinem supernaturalem admittunt nulla est ratio, qua historiam in prologo et epilogo contentam ex toto vel partim respuant; quæ si vera historia sit, pars poëtica ficta esse nequit, sed colloquentium sermones

et sententiæ universæ satis sincere ac fideliter servantur, consimili stilo, abundantiori licet et ornatiori; cum eadem omnino verba minime digesta credamus, quæ statim scripto mandata non sunt, nec memoriter servata. Et sane: a) mos vera fictaque miscendi scriptoribus antiquissimis et hagiographis nusquam fuisse apparet; b) Jobum et amicos colloquia secum habuisse, illum audaciora, istos injuriosa in eum efutiisse, ex narratione prosaica eruitur (I, 22; II, 10; XLII, 7-9); c) data operis unitate mox demonstranda, si hæc colloquia vera non sunt, nec verosimilia haberi possunt, cum a reliqua libri parte specie tenus disentiant nec ad eumdem scopum intendant manifeste, quod a mero poëta, et præclaro quidem, qualis auctor libri Job, minime erat exspectandum, bene vero ab historico; d) in ipsis colloquiis deprehenditur veræ historiæ character, cum diversa appareat cujusque facies et indoles, dicendi color, et in singulis constans et uniformis, quæ fabulator ægre omnino servare potuit, in aliis verosimilitudinem sæpe negligens, præsertim in Jobi audacioribus querimoniis et ejulatibus, quibus patientiam amississe videtur ille qui exemplar hujus virtutis sistitur, et in Eliu, quem licet juvenem, senioribus prudentiorem depingit ipsoque protagonista, quod nullus quidem somniasset; e) tantus poëta si rem fictam narrasset, majorem argumentorum diversitatem invenisset, non sæpe eadem recuderet, non ab uno dicta ab alio prave interpretata relinqueret; quod extemporaliter disputantibus usu venit, minime vero concipitur in auctore rem pro lubitu componente; f) quæ singuli laudant majorum documenta poëtica, stilo a propriis sermonibus discreta, vetustiorem originem produnt et utrorumque veritatem (conf. VIII, 11-19; XII, 13....; XV, 20...,). Nec ulla repugnantia esse potest in stilo poëtico a colloquentibus et ipso Deo servato; nam grandi spectaculo Jobi et amicorum animos vehementer perculsos, et intimos cordis affectus vivide excitatos fuisse quisque concedet; in hoc autem animorum statu remisse ac frigide loqui debuisse aut potuisse non facile concipitur; deinde arabes passim subito poëtizare constat, hebræos vero non semel, imo id facilius ipsis erat, ob faciliorem poëseos formam (conf. Ex. XV; Jud. V; XV, 16; 1 Reg. II; 2 Reg. I, 17....; III, 33....; Luc. I; II, 29....): Deus hominum conditioni sese ut olim accommodavit; denique jam admonui-

mus aliquantum immutari potuisse stilum et verba ab auctore libri, non multum tamen, ut allatæ rationes ostendunt.

331 Unitatem libri, et omnium proinde fragmentorum authentiam demonstrant prosaicæ ac poëticæ partis necessarius nexus; nec enim prima ab altera separari potest, cui intendit, veluti prologus et epilogus, nec pars poëtica sensum habet absque illis, ita ut absurda evadat, merosque sermones offerat, quorum auctores (excepto Eliu), rationem et finem ignores; utrum nempe ad virtutis experimentum, an potius ad scelera expianda acerbos adeo casus Jobus duraverit, justane an secus amicorum censura, ex nudo poëmate minime eruitur, quod a Jobi querelis exorditur et omnium divina reprehensione absolvitur. Hinc optime scribit Michaelis: «Deme hæc duo capita; habebis Jobum cum amicis andabatarum more disputantem; intervenientem Deum, sed a cujus interventu non recedas doctior, ut vel conjicere aliquid de consiliorum ejus sapientia, ac de nodi quem nectebat liber solutione possis..... Omnia ergo eodem loco habenda: aut historia aut fabula, sunto universa». Præterea eadem utrobique in rerum morumque descriptione patriarchalis antiquitas, sermonis stilique proprietas et peregrinitas, eaque narrationis cum poëmate ac singularum hujusce partium secum invicem inaffectata consensio, quæ libri unitatem, integritatem et veritatem simul ostendit. Accedit infinita eorum discordia, qui prosam a poëmate, vel hujus aliquas partes distinguentes diversos auctores confixerunt, eorumque diversum scopum, aut unius cum altero fragmento discrepantiam auspicantes alterutrum repudiarunt; futilibus namque rationibus ducti omnia in chaos inextricabile converterunt; verumtamen *rerum dissimilitudo ab ipsis prolata omnem artificiosæ compositionis removet suspicionem, et nullam manifestam repugnantiam scriptorisve diversitatem arguit.* (Ita fere Ghiring.).—Quod ad Eliu sermones speciatim attinet; a) illi minime superflui sunt in libri ordine, præsertim historici, nec illum perturbant; b) nulla illius in prologo mentio fit, quia posterius supervenit (XXXII, 1....), nec in epilogo a Deo reprehenditur cum aliis tribus, quia eam reprehensionem non meruit; c) si quædam alia sermonis dispositio est, atque stilus ex ejus ætate et charactere procedit; demum ei Job non respondet, quia

aut ejus sermonem rectum generatim agnoscit, aut quia Deus locutus est, ideoque Job tacere debuit (a).

332. In sermonibus Eliu generatim hæc veniunt: 1.° mala esse a Deo immissa tamquam tentamina, quibus ipse homines purificat et ab occultis peccatis mundat; ideoque ex Dei consilio scopum moralem habere. 2.° Deus injustus esse nequit propter ejus in universum potestatem: qui mundum universum in suo esse ac vita servat, ipse est etiam justitiæ fons... 3.° Eliu cum tribus aliis existimat mala ad hominum peccata semper referri; sed illi tres, ea considerant ut punitiones quæ complecti debent, ut Deus benefacere possit homini jam humiliato; Eliu vero a bona Dei voluntate oriri defendit, qui per calamitates quas mittit ad seriam cordis cogitationem homines movere desiderat, ut ita eos salvare possit (XXXIII, 17, 27; XXXVI, 7-12). 4.° Sed Eliu doctrina identica non est quæstionis solutioni in prologo adumbratæ in Dei sermone permixtæ, et in epilogo completæ. In iis Jobi mala non veluti disciplinaris purificatio apparent, sed tamquam demonstratio qua solidissima jam pietas ostendit quod fieri debet: justos per tribulationes adhuc justificari. Ecquidem (et hic est sermonum Dei sopus) restitutio Jobi non absque ulla præcedenti humiliatione locum habere potuit: sed non hoc ipsum est quod Eliu docet, mala nempe directe ad contritionem superbiæ et purificationem occultorum peccatorum ordinata esse. Absque verbis Eliu non inveniretur in libro pars quædam essentialis divini scopus in malorum ordinatione; ac præcipue quid in trium amicorum sermonibus pro ea sententia, quæ mala ad hominum peccata semper respicere tenet, rectum sit, non satis intelligeretur» (ita loquitur Oehler, *Grundz. der altest. Weish.* 25.). Circa stilum vero et dictionem hæc adnotat Stickel *[Comment. in Job, 248...]*» nullum aliud fragmentum est æqualis amplitudinis ac sermones Eliu, quod erga reliqua non servet characteres linguisticos peculiares bene multos... et si verum esset, quod ait Ewald, auctorem cuilibet interlocu-

(a) Prologi et epilogi authenthiam multi inficiati sunt: R. Simon, Schultens, Knobel, Richter, Bouiller, De Wette, &c.; descriptionem hippopotami et crocodili (XL, 10—XLI, 25) Ewald; sermones Eliu de Wete, Ewald, Hirzel, Delitzsch, Bleeck, aliique; defendunt vero Welte, Hævernick, Keil, Stælin, Stickel, Schlottmann &c.

tori singularia verba et stilum servasse, minime mirandum esset Eliu in hoc etiam distingui, qui a reliquis tam varia arte jam distinguitur.» Descriptionem hippopotami ac crocodili Deus magnificentissime perficit, sicut aliorum, quæ in toto universo sunt, mirabilium, ut Jobi temeritatem arguat altiora petere ausi, ac in ipsis pene mundi liminibus hæsitantis; cum Deo contendentis, immaniumque bestiarum aspectum trepidantis, quarum sibi incohibili feritate invictoque robore intelligere debuisset haut aliam earum et felicium ac præpotentium sceleratorum esse rationem; æque proinde sapienter recteque utraque Deum permitere ac moderari. Igitur hæ descriptiones Behemoth ac Leviathan, ad scopum Dei loquentis concurrunt nec adscititiæ sunt. Reliqua objecta minoris sunt ponderis; nam 1.° nomen Jehovah etiam in poëmate ocurrit cum nomine Elohah, El, Schaddai mixtum, quod locutio poëtica declarat; 2.° *filii uteri sui* (XIX, 17) aut fratres uterini, aut nepotes, aut e concubinis suscepti erant; 3.° quæ grandioribus verbis maledicta congerit, et querelæ quas vehementer emittit, plus sonant quam significant, ob stili poëtici ac orientalis indolem; minime tamen demonstrant dæmonem victorem in sponsione evasisse, cum hic vellet Jobum apostatam et Dei prorsus oblitum, quod non obtinuit, quamvis doloris, et præcipue disputationis æstu, aliquid humani Jobus passus est, quod a Deo reprehensus ipse fatetur; 4.° contraditiones in Jobi aliorumque inveniri sermonibus, re intimius perpensa, minime adparet, etiam si ex vi disputandi ita amicorum sententias rejiciat vehementer, ut in opposita extrema cadere videatur; nec retractationes earumdem rerum et argumentorum a vividiori disputatione alienæ sunt, sed in Jobi, Eliu ac Dei sermonibus satis cujusque scopo et fine distinguuntur.

CAPUT XX.

Forma litteraria et scopus libri Job: ætas: auctor: divina auctoritas.

333. Operis unitate ac charactere historico vindicato, nihil jam investigandum restat circa argumentum et formam literariam, in qua frustra videres carmen heroicum,

dramaticum, aliaque similia; sed potius accedit ad arabicos *consessus*, *macamat*, quales Hamadani vel Hariri. Argumentum vero fabulæ nullum est, cum nulla sit fabula; historia autem iis continetur: a) Job, dives homo regionis Hus opera satanæ omnibus repente bonis ac filiis expoliatur, ac horrenda plaga vulneratur, ut a Deo recedere ac impietatem profiteri cogeretur (prologus, cap. I-2). b) Tres amici post magnos Jobi ejulatus ac querelas auditas cum eo disputant super origine harum calamitatum. Ipsi tenent omnia hominum adversa in punitionem peccatorum a Deo mitti; Job suam innocentiam tuetur (cap. III-XXXI). a) Tunc supervenit Eliu, qui Jobum et amicos objurgat, atque asserit Deum justum esse etiam cum calamitates mittit in eos qui pecatorum rei non sunt (XXXII-XXXVII). d) Deus ipse e nube tenebrosa loquitur atque Jobo ostendit suam infinitam majestatem atque postestatem, eum reprehendit quia in justæ causæ defensionem aliquantum excesserat; (XXXVIII-XLI). e) Denique in epilogo (XLII) Job fatetur Dei arcana nimium investigare imprudenter voluisse, amici a Deo objurgantur, ut Jobo injurii; denique Job in pristinam salutem restituitur, duplicatas habet divitias, totidem liberos ac valde senex deficit.

334. Ex iis eruitur scopus libri et Spir. Sancti præcipui auctoris, omnia scilicet ea homines docere quæ præclara tum in re morali, tum etiam dogmatica continet; spectaculum grande præbere justi ad extremam miseriam deducti, qui tamen a primæva innocentia non recedit, et in mediis calamitatibus exclamat: «*etiam si occiderit me, in ipso sperabo*»; non omnia hominum mala peccatorum poenas esse docere, sed a Dei inscrutabili consilio procedere, quod frustra ac temere homines penetrare tentant; virtutem nullis temporalibus præmiis evocatam (quæ multorum invida sententia est), sed gratuitam, a Deo tamen serius occius remunerandam; typum denique præclarum Salvatoris nostri exhibere ab omnibus Patribus agnitum. Qualis vero fuerit scopus auctoris, si a scopo Sp. Sancti diversus, nec constat, nec magnæ utilitatis est dignoscere, frustraque ac gratis unus vel alter a criticis et exegeticis viris proponitur; plerumque in falsa sententia librum hunc pro ficto poëmate habente, quos proinde non juvat recensere.

335. Ætatem libri alii mosaicam definiunt, alii superiorem nec sibi

constant, alii demum inferiorem, tempore nempe Judicum, aut Davidis vel Salomonis, aut Isaiæ, aut paulo ante vel in ipsa captivitate babylonica. Cuique sententiæ sua argumenta sunt, quæ vero recentiorem ætatem tuetur fragilibus ac parum ponderosis rationibus nititur, aut ex lingua, aut ex sublimitate poëseos, ob Angelorum notitiam ac satanæ accusatoriam indolem, notitiam historiæ naturalis, plurium locorum ac morum qui recentioris civilizationis videntur, ac præsertim resurrectionis corporum, quæ antiquis hebræis latuit, aut subobscura fuit. Quæ quidem argumenta jam alibi præoccupata a nobis sunt, sicut et alia minoris momenti; postremum vero etiam præoccupatum (n. 150), nititur tantum celeberrimo loco XIX, 23-27, quem *directe* de mortuorum finali resurrectione agere judæi omnes, nonnulli Patres et interpretes, præcipue recentiores, inficiantur, licet *indirecte* ac *typice* ad eamdem referri concedant; quod satis ipsis videtur ad tuendam Ecclesiæ agendi rationem, quæ hoc loco utitur in officio defunctorum ad resurrectionem finalem attendens (a). Nos itaque, vindicato jam operis charactere historico, remotissime scriptum asserimus eo quod temporum patriarchalium historiam continet, quæ non multo post eventum litteris mandari debuit ex ipsa dialogorum natura, nec in toto libro deprehenditur inferioris ætatis indicium.

(a) Contextus minime postulabat Jobi appellationem ad resurrectionem finalem, bene vero ad justificationem a calumniis quibus erat impetitus, quam a Deo exspectare audet ac vehementer desiderat, prout re ipsa demum evenit. Deinde verba ipsa, quæ jam resurrectionem credentibus ad eam immediate ac directe referri videntur in textu latino, nec tantum *typice*, quæ Calmeti aliorumque sententia est, hæc in hebraico significant: Ego novi vindicem meum vivere, et (nostrum) postremum super terram se staturum (nempe ad causam meam agendam), et post cutem meam devolutam (vel exutam) hoc (erit), (forte melius verti posset: et postquam pellem meam vastaverint hi, scilicet vermes), et *sine* carne mea Deum videbo (מִן pro *sine* vel *procul* XI, 15; XXI, 9; Gen. XXVII, 39, ubi vertendum erat *absque pinguedine terræ* &c.); quem ipse videbo mihi (id est, propicium), et oculi mei spectabunt, et non inimicum (vel non *inimicus*, aut non *alius* videbit); consummuntur renes mei in sinu meo (id est, hoc vehementer desidero). Ita fere Ghiringhello, *De Libris poeticis* &c., qui allegat pro se de Rossi, atque ita pariter quædam manuscripta hispanica Bibliorum escurialensia. Attamen interpretatio litteralis de finali resurrectione a plerisque Patribus, præsertim Hieronymo, qui fortasse textum hebraicum habuit ab hodierno paululum diverso, denique ab omnibus fere theologis, præcipue dogmaticis, suscipitur.

336. Et primo quidem virum idumæum libri heroëm auctor inducit, quem absurde admitteres ab hebræo recentiori eximiis virtutibus et sapientia cumulatum ac Messiæ typum depingi potuisse; qui quidem heros cum sociis præstantioribus notionibus religiosis ac puriori vita et moribus eminebat, quam ut post tempora patriarchalia vixisse credatur, quando jam ismaelitæ et idumæi a patria avitaque fide defecerant, et primævæ traditionis documenta obliti erant, aut supertitionibus foedaverant, ut ex simili madianitarum et moabitarum corruptione argumentari licet (Num. XXV, 1-2; 2 Par. XXV, 20). Nec alterius superstitionis mentio fit, quam astrorum adorationis, a qua se immunem Jobus profitetur, quæque antiquissima fuit, a sabæis *(sabæismus)* sive chaldæis arabibusque in reliquos populos derivata. Nec prodigiorum quæ hebraicum populum in Ægypto et deserto comitata sunt, brevique in vicinos percrebuerunt, nec legum et institutionum mosaicarum mentio ulla fit, etiam cum opportune erat expectanda ab auctore Jehovam noscente. Deus depingitur ad instar priscæ antiquitatis principis suos familiares in consilium vocantis, simplicior ejusdem cultus, patriarchalis sacrificiorum modus, septenarius victimarum numerus creationis memorialis (XLII, 8), indistincta adhuc sacerdotis ac familiæ, tribus gentisve principis dignitas (unde venit opinio probabilis multum dignitatis regiæ ac sacerdotalis Jobi), familiare, uti Patriarcharum temporibus, cum Deo commercium ac crebriora colloquia, nonnisi subobscura vitæ futuræ resurrectionisque cognitio (a), Jobi longævitas, grandævitas sapientiæ auctoritatisque conditio, majorum documenta carminibus concredita memoriterque servata (VIII, 11-19; XII, 13..; XV, 20...), rudis necdum signati nummi species (קְשִׂיטָה, XLII, 11 coll. Gen. XXXIII, 19 et Jos. XXIV, 32), bubalos domandi crocodilosque capiendi ratio

(a) V. supra; unde multi asserunt Jobum animæ immortalitatem ignorasse, licet immerito. Conf. III, 13, 19; VII, 9; X, 21-22; XXVI, 5; XIV, 22; ib. 13 .. ;XXI, 26; XXVII, 19; XIV, 12, in quo posteriori loco mortem comparat dormitioni diuturnæ, non tamen æternæ: עַד־בְּלֹתִי שָׁמַיִם, *donec non sint cæli*, quæ phrasis propriam æternitatem non significat, ut constat ex Deut. XI, 21; Ps. LXXI, 5, 7, 17; LXXXVIII, 30; CXLVIII, 6 &c. et eruitur ex antiqua populorum persuasione de cæli et terræ renovatione futura.

nondum inventa (XXXIX, 9-12; XL, 20... coll. Ezech. XXIX, 4), divitiarum ratio in pecoribus et famulitio maxime sita, judicia ad portam urbis in coetu populi habita (V, 4;), donariorum forma et occasio (XLII, 11 cum Gen. XXIV, 22), aliaque id genus primitivam omnimo morum, consuetudinum officiorumque simplicitatem spirantia. Quam summæ antiquitatis fidelissimam picturam nemo negare audet, ob idque auctoris ingenium valde demirantur, quod, qualecumque fuerit (fuit autem maximum, sed non in arte res ordinandi, multoque minus in imitatione), numquam obtinuisset ut nulla prorsus recentioris ætatis vestigia in toto opere demonstrari possent, nec quisquam mortalium in hujusmodi imitationibus obtinuit; cujus rei perspicua exempla sunt apocryphi V. et N. T. Nec talis hebræorum consuetudo fuit, nec cum enarrandi ac docendi, non delectandi auctoris studio, nec cum sermone archaismis, novisque aut inusitatis locutionibus abundante componi potest, quæ potius quam imitatricem ætatem, creatricem postulant; sicut nec dicendi genus nondum longiori usu elaboratum, tractum et æquabiliter fluens, sed pressum, abruptum et audax, ut in vetustioribus Pentàteuchi carminibus; cumprimis augusta illa in media simplicitate maximoque ornatu simplicitas, antiquum adeo hæc omnia deprehendunt auctorem, ut qui illum babylonica captivitate inferiorem faciunt, (addam et paulo superiorem), *non multo sanius in hebraicis judicare* Lowthio *videantur, quam in latinis Harduinus, qui aurea Virgilii, Horatii cæterorumque poëmata ferreis Monachorum sæculis adscripsit* (Ghiringhello). Ceterum Ezechielis testimonium (XIV, 14-20) et parallela loca Zachariæ, Jeremiæ, Isaiæ (XIX, 5 coll. Job. XIV, 11; LIX, 4 cum Job. XV, 35; LIX, 10 cum Job. V, 14 et XII, 25; Jer. XX, 14-18 coll. XV, 10 cum Job. III, 3-11; X, 18-19 &c.), Michææ (VII, 16 cum Job. XXI, 5), Proverbiorum, Ecclesiastæ, Psalmorum (passim, sed sensus, magis quam verborum consensio est, sicut in Proverbiis), et Samuelis (conf. Job. IX, 12; XXI, 22 cum 2 Reg. XVI, 10 coll. Is. XLV, 9; Eccl. VIII, 4; Dan. IV, 32), recenti libri editioni adversantur, et historicus libri character coævum auctorem postulat.

Eædem fere rationes, ac præsertim Idumææ et Arabiæ multiplex descriptio, ita auctorem ibi immorasse demonstrant, ut fere nullus sit qui contrarium sentiat; quæ vero

de Ægypto aliisque regionibus laudat, optime scire potuit auctor idumæus ob antiquissimum florensque commercium inter ægyptios, chaldæos, indos et arabes, cujus centrum Petra erat: indoles deinde linguæ idipsum demonstrat, plurimis arabismis et aramaismis refertæ, quin tamen ex alia versum fuisse vel minima ratio credere permittat. Si igitur coævus et conterraneus auctor fuit, cum Moyses non fuerit, cujus stilus poëticus ne hilum quidem stilum Jobi sapit, historicus vero ob summam tantum utriusque antiquitatem, in iis quæ Moyses ab antiquis documentis probabilius sumpsit, aliquantum adumbrat; cumque Eliu gratis omnino auctor libri ab aliis habeatur, longe probabilius restat ipsum Jobum librum edidisse, qui melius quam alius quilibet omnia noverat, etiam sermones Dei ab illo solo probabiliter auditos (cum ad amicos nusquam alludant, ac jamdiu intermissa disputatio videatur), nec alio convenientius Deus aperuisset calamitatis passæ originem, neque alium invenire est, qui tam grato animo mirabilem Dei providentiam, et præclara documenta ad seram usque posteritatem transmittere voluerit, ac eo mentis enthusiasmo in toto libro patente. Unde vero simillimam hanc credimus sententiam; nisi forte capitis XLII postremi versiculi ab aliquo ex ejus nepotibus additi fuerunt.

337. Ex libri veracitate historica necessario fluit ejus auctoritas divina, quæ peculiarem adnotationem exigit, præter ea quæ de hoc argumento generatim dicenda erunt; eo quod ex natura disputationis hic contentæ, plures sunt sententiæ aliis contrariæ, quæ que diversum pondus habent. Itaque juxta Dei ipsius testimonium, ab auctore libri non semel præventum, Job in rei substantia *rectum loculus est*, et *non peccavit labiis suis*, licet modum defensionis excederet, et nimis audax occulta Dei arcana penetrare tentaret. Tres amici falsam sententiam defendebant, ideoque eorum verba auctoritate divina carent, et a Deo reprehensi sunt; multa tamen præclara habent, quibus uti commode possumus, veluti veris, nobilibus, pulchris, profundioribusque sententiis. In sermonibus Eliu nihil est quod reprehendas quoad rei substantiam, imo propius quam Job ad veritatem accedit: quædam tamen apparet juvenilis petulantia; et Jobi propositiones aut non semper bene intellexit, aut æstu disputationis vel studio torsit. Solutio plena quæstio-

nis ex toto libro petenda est, qui generatim divinitus est inspiratus.

338. Quæ videntur nonnullis errata in Physica vel Historia naturali, aut poëticæ descriptiones sunt juxta vulgatum loquendi modum expressæ; aut ex eo quod Jobus sciebat, Deus arguit ejus impotentiam inscitiamque; aut tunc erant vere ignota quæ nunc ex parte cognoscimus, proindeque apposite Jobo objiciebantur; vel denique ex falsa locorum intelligentia arguuntur. Sic v. g. quæ de struthionis duritie erga filios dicuntur, proverbialia apud arabes sunt, ac reipsa sæpe ova relinquunt a sole fovenda, unde multa pereunt pullique ipsi, ac frequenter inveniuntur. Aurum e septemtrione provenire (XXXVII, 22) falsum non esse demonstrat mons Ural; ast locus non agit de *auro*, sed de solis splendore flante vento boreali. Phoenicis nulla mentio est in illo loco *sicut palma* &c. XXIX, 18, sed optime interpretatus in vulgata est, si non *arenam* designat idemque hic valet; objectio ergo procedit ex falsa græci textus interpretatione. Alia omittimus vel adductis principiis, vel apud expositores facile solvenda.

In græco textu est additio quæ Jobum cum Jobab (Gen. XXXVI, 33) identicum facit; Jobum suosque amicos principes nomadum fuisse (Jeques) satis probabile est (Tob. II, 15; Job II, 11 juxta LXX). Regio Hus in septemtrionali Arabia fuisse videtur (ita Herbst); alii putant fuisse in Auranitide (Delitzsch); juxta LXX in Ausitide, sed hæc est mera interpretatio vocabuli Hus.—Inter novissimos criticos librum Job tempori mosaico aut superiori adscribunt Jahn, Ghiringhello, Ebrard, &c.; ætati salomonicæ Herbst, Welte, Keil, Schlottmann, Danko, Reusch, &c.; inferiorem faciunt præcipue propter mentionem Satanæ, Ewald, Stickel, Bleeck, qui inter Isaiam et Jeremiam; atque Gesenius, Umbreit aliique, qui inter captivitatem collocant.

CAPUT XXI.

Liber Psalmorum: auctores: classes: inscriptiones: divinitas, &c.

339. Psalterium davidicum (a) est complexus 150 lyricorum carminum sensum religiosum multipliciter expri-

(a) Hebr. תְּהִלִּים vel סֵפֶר תְּהִלִּים, gr. Ψαλτήριον Conc. Trid. sess. 4.ª. psalterium.

mentium, et ad divinum cultum maxima saltem ex parte ab hebræis destinatorum, a christianis vero universim. Ex iis alii odes elegantiam, alii hymni granditatem et impetum, aut idyllii suavitatem, elegorumve mæstitiam, gnomes etiam brevitatem gravitatemque didascalicorum, vel artificiosam acrostichidum structuram præseferunt. Ex materia contenta alii sunt cantica laudis aut gratiarum actionis ((VIII; XVII; XVIII); alii supplices aut lamentatorii (III; IV; V; VII), alii poenitentiales (a); execratorii dicti seu contra inimicos (XXXIV; CVIII), didactici seu doctrinales I; XLVIII; CXVIII), historici (CIV; CV), graduales, id est, proprii peregrinantium Jerusalem (CXIX—CXXXIV), demum *messianici* (II; XV; XXI; XLIV; LXXI; CIX, conf. etiam VIII; XVIII; XXXIX; LXVII; CXVII). Plures etiam prophetias complectuntur præsertim messianicas, sive directas (ut in ps. alleg.) sive typicas, cum David, Salomon, pupulus hebraicus generatim, Jesu-Cristi et Ecclesiæ typum gererent; quod minime inficiabantur veterés hebræi, et ex Christi et Apostolorum argumentandi modo constat.

Quamcumque vero rem pertractent, etiam cum personæ privatæ aut eventui singulari respondent, omnibus facile temporibus et hominibus accommodantur, ut ex indole poëseos lyricæ usuvenit, cum hominis affectus iidem semper sint eædemque fere cum Deo relationes, in quibus universi psalmi versantur; unde procedit universalis eorum usus publicus privatusve. Novissime distribui solent a criticis viris in psalmos jehovisticos, elohisticos et mixtos (conf. supra n.° 255), quod in ipsa eorum natura, et meditata in quinque libros antiquissima partitione fundatum videtur, ut sequens schema demostrat:

	1.ª parte. (ps. 1-40)	2.ª (41-71)	3.ª (72-88)	4.ª (89-105)	5.ª (106-150)
Nomen Jehovah venit in	272....	30.....	44.....	103.....	236
Nomen Elohim.....	15....	164.....	43.....	0.....	7

Hæc autem diversitas perinde ac in Peutateucho diversitatem auctoris non evincit, ac re ipsa in uno psalmo ambæ voces occurrunt; sed quamdam diversitatem psalmorum indicat, quam antiquus collector et dis-

(a) Juxta liturgiam Ecclesiæ septem hoc ordine disponendi XXXVII; VI; L; CXXIX; CI; CXLII; XXXI ut cum naturali affectuum poenitentium successione conveniant (*Haneberg*).

tributor (Esdras juxta traditionem, aut forte Nehemias, 2 Mach. II, 13) præ oculis habuit, præter auctores eorum ac tempora, quibus editi sunt. Ceterum in hebraico textu diverso modo adnumerati sunt ac in græco et vulgato, in quibus ps. 9 et 10 in unum colligantur, ut 114 et 115; disjungitur autem in duo ps. 116; cum 147; unde hoc ordine sibi respondent, qui sæpe in citationibus advertendus est:

Textus hebraicus.	Textus græcus ac latinus.
Ps. 1 — 8	1 — 8
9 et 10	9
11 — 113	10 — 112
114 et 115	113
116	114 et 115
117 — 146	116 — 145
147	146 et 147
148 — 150	148 — 150

340. Nemo jam est qui universos psalmos uni Davidi adscribat; sed ex postremis laboribus criticis hæc certo tenenda: 1.° nullos prorsus esse psalmos machabaicos, nec jam ullus id tenet, cum ex Fl. Josepho collectio jam tempore Artaxerxis peracta esset, in versione alexandrina recepti, et ab auctore 1 Mach. laudati (comp. 1 Mach. VII, 16, 17 cum Ps. LXXVIII, 3); nec alia ratio hanc sententiam peperit, nisi convenientia nonnullorum cum temporibus machabaicis, quasi nempe ante ea nulla fuerint hebræis bella et calamitates. 2.° Maximam psalmorum partem Davidi tribuendam, omnes nempe qui ipsi in hebraico textu tribuuntur vocabulo לדוד, nisi contrarium constet, ac plures ex anonimis. 3.° Generatim habendi sunt veri auctores psalmorum qui tales hebraice designantur; sunt itaque 73 Davidis, 1 Moysis (89), 2 Salomonis (71 et 126), 12 Asaphi vel cujusdam ejus progeniei leviticæ una cum Emano et Ethano, 12 filiorum Core (familiæ cujusdam leviticæ), 34 absque nomine sunt, et iis auctoribus tribuendi, quibus analogum argumentum, series eorum (quæ certa nota minime est), aut aliud indicium suadere videatur.

Argumenta contra inscriptionum authentiam, quæ in textu hebræo sunt, minimum pondus habent (conf. Hengstenberg, Keil, Ghiring.); inscriptiones vero textus græci vel vulgati erroneæ esse possunt, tales-

que habendæ, dum materiæ contentæ minime conciliari valent. Ceterum psalmorum tituli, si nomina auctorum excipias, multo obscuriores sunt, quam ut ex eis colligi valeat aut auctor, aut tempus et occasio qua editi sunt, vel melius intelligi possint; præsertim cum hæ inscriptiones vix ullum sensum in textu græco ac vulgato offerant (quas interpretes græci jam ob vetustatem ac breviatas earum indicationes non intellexerunt), unde tot sunt fere sententiæ quot interpretes et critici. En præcipuas juxta Ghiring.: *In finem*, למנצח=להמנצח=*præfecto cantorum;* solet adjungi nomen proprium ut *Idithum*, vel apellativum, ut *idithumæi* (conf. IV—VI; XXXIX hebr. LXII; LXXVII item hebr.). *Psalmus*, נגינות sing. נגינת=cantum peculiare fidium vel tonorum conceptum significat.—*Pro ea quæ hæreditatem consequitur*, נחילות=sortes, id est, quæ bonos vel malos manent præmia vel poenæ.—*Pro Maeleth*, מחלת=*morbus*, (conf. LIII; LXXXVIII heb). —*Pro iis qui commutabuntur*, שושנים et שושן, LX; XLV; LXIX; LXXX hebr.=*lilium* et *lilia*, denotat jucunditatem rerum dicendarum, cujus symbolum apud hebræos lilium erat.—*Pro octava*, על־השמונית, *juxta octavum tonum*, id et gravissima voce cantandos psalmos designat.—*Pro arcanis*, על־עלמות, *more virgineo, acuta voce* (soprano) cantandos psalmos designat.—*Pro torcularibus* על־הגיתות=*ut gathitæ*, modus cantandi iis levitis peculiares, ut græcus, jonicus, lydius &c. *Pro susceptione matutina*, על־אילת השחר =*super cervam auroræ*, symbolice designat psalmi argumentum, cerva enim ut rei jucundæ et dilectissimæ, ita insontis, præsertim injuste habiti imago est; aurora vero felicitatem post miseriam indicat, atque ps. XXII hebr. optime quadrat.—*Pro populo qui a sanctis longe factus est*=על־יונת אלם רחקים,=*super columba muta inter peregrinos*; significat anceps Davidis apud gethæos perfugium (ps. LVI heb.) ideoque psalmi argumentum.—*Ne disperdas*, aut *ne corrumpas*, אל־תשחת, argumentum psalmi indicat simile orationi Moysis (Deut. IX, 26) ad cujus exordium evidenter alludit.—*Pro occultis filii*, על־מות לבן, propter mortem filio (illatam), pariter argumentum designat, sed transpositis literis לבן pro נבל, *stulto* (ps. IX). Similiter inscriptio *psalmus cantici*, aut contraria, indicare videtur psalmum voce et musicis instrumentis canendum, ita ut aut voces inciperent et instrumenta sequerentur, aut e contra; quod confirmari videtur voce סלה, probabiliter vocum aut instrumentorum intermissionem præcipiens (v. ps, IX, 17).

341. Psalmorum authentia, quicumque demum fuerit postremus collector (a) facile constat ex eorum celebritate, publico ac liturgico usu etiam in ipsa captivitate, nonnullis psalmographorum citationibus (b), ipsa etiam facilitate eos memoriter retinendi, tum propter formam poëticam, tum propter quotidianum usum (unde vetus latina psalmorum versio permutari non potuit atque in vulgata manet, licet alia accuratior desideranda foret). Nec sententiæ quorumdam assentire possumus, qui veteres psalmos rursum incudi repositos fuisse affirmant, ut nonnullis additis vel immutatis, temporum conditioni eos accommodarent; nam hoc in tanta psalmorum copia ac varietate necessarium non erat, summa illi religione servabantur, ut pote qui *in Spiritu* editi credebantur, et ipsæ vetustæ inscriptiones servatæ sunt, licet vix intellectæ, præsertim ab interpretibus græcis, latinis, syriacis; nec contrarium demonstrant nonnulla indicia posteriorum temporum. Sic ps. 50 non alludit posterioribus versibus ad Jerusalem destructam a Chaldæis; sed *ædificare muros* idem significat ac urbem munire regnumque solidare, quod psaltes deprecatur, ne forte suo peccato Deus offensus regnum destrueret, aut hostibus traderet. Idem dicas cum sermo est de captivitate aliqua, quæ antiqua esse potest sub ægyptiis, philisthæis &c., de atriis loci sancti, quæ etiam tabernaculum habebat, de *domo Dei* (tabernaculo aut templo), &c.

342. Divinam psalmorum auctoritatem impugnant increduli ob altos trucesque spiritus, sensusque abjectos et superstitiosos, quos in eis se deprehendere affirmant; nempe psaltes suam populique justitiam nimis jactat, exteros omnes ut impios nefariosque traducit ac multa mala adprecatur, nec virtutis ac vitii mercedem agnoscit, nisi tem-

(a) Vix enim concipitur jam ante tempora captivitatis nullos fuisse collectos, et priores duæ classes ante Jeremiam collectas opinatur Hanebergius.

(b) 2 Reg. XXIII, 1; Eccli. XLVII, 9-11; 2 Par. XXIX, 30; aliaque plurima Davidem allegant ut psalmorum auctorem, unde vetus opinio prodiit ab illo solo omnes fuisse compositos, quamvis *a potiori facta denominatio* non id demonstraret: ast quando ab hagiographis allegatur, ipse vere est psalmi citati auctor, aut saltem contrarium demonstrari nequit.

poraneam, vitæ futuræ nescius vel incuriosus (a). Sed propriam justitiam quam profitetur psaltes initialis est, a Deo accepta et relativa, respectu nempe habito ad impios publicosque peccatores, suosque hostes, qui eo ipso Deo adversi erant, ut pote theocratiæ osores, ac divinæ voluntati repugnantes; unde propria peccata non semel fatetur sive manifesta sive occulta. Similiter populum suum justitiæ cultorem asserit comparatione expresa vel tacita cum ethnicis ac corruptissimis; nec universim id profitetur, sed id tantum ait ad *veros israëlitas* respiciens (Rom. IX 6), ut e. g. ps. LXXII, 1 «Quam bonus Israël Deus, *iis qui recto sunt corde*»; unde etiam populi peccata acerrime insectatur, ac gentium futuram vocationem sæpe vaticinatur. Diræ autem et imprecationes psalmorum minime ex vindictæ spiritu, sed ex uno justitiæ amore procedunt; nempe, ex eo quod *via impiorum prosperatur*, timendum est ne et veri Dei cultores, pii et morigeri virtuti valedicant, ac effreni in vitia ruant, unde psalmista Deum adprecatur ut id non permittat, et suæ justitiæ in peccatores nota signa edat. Id nempe agit quod nostri casuistæ declarant cum interrogant utrum mala peccatoribus desiderare liceat ut convertantur, ut amplius non noceant, vel ne boni scandalizentur; quod nec erroneum est, nec a Spiritu Sancto aliud intenditur quam præcipuum psalmistæ desiderium, ut scilicet Dei cultus, pietas et justitia crescant, nec e terra evanescere permittat. Accedunt aliæ probabiles explicationes, quas vide in Hermeneutica. Quod attinet ad poenas temporales præmiave, hoc nec superstitiosum est, nec a rudioris populi hebraici ingenio alienum, cujus personam psalmista gerebat, nec ad virtutem colendam vitiumque fugiendum parum confert, nec futuram vitam excludit, nec demum puriori doctrinæ morali quidquam adversatur. Homo talis est

(a) An tituli ipsi, etiam qui authentici comprobantur, divinam auctoritatem habeant, ego haud dubito, cum mos esset auctoribus hagiographis præsertim prophetis et poëtis sua nomina præmittere, ob idque religiose semper servati sunt: sed *an id fide tenendum*, locum dubitandi relinquunt nonnullorum catholicorum contrariæ sententiæ (conf. Glaire), et conc. Tridentini verba, in hujus articuli definitione (sess. 4ª)... *prout in Ecclesia catholica legi consueverunt»*; tituli autem non *leguntur in ecclesiis*...- flaccidum nempe ac infimum argumentum.

naturæ, ut veluti per gradus ad bonum et sublimiorem sanctitatem perducendus sit, quod de universa humanitate est etiam intelligendum. Ceterum nusquam psaltes futuram vitam excludit, quam toties aperte vel implicite supponit, et universim a toto Israële ac reliquis populis credebatur. Quod si defunctos Deum non laudare affirmat (VI, 6; XXIX, 10; LXXXVII, 11-13), id relative est intelligendum ad vivorum conditionem (CXIII, 17-18); et dogma resurrectionis subobscure olim tum verbis (Deut. XXXII, 39; 1 Reg. II, 6 coll. Sap. XVI, 13-14), tum factis adumbratum (3 Reg. XVII, 21...; 4 Reg. IV, 32), Osee vaticiniis (VI, 2-3; XIII, 14), Isaiæ (XXVI, 14, 19), Ezechielis (XXXVII, 1-14) et Danielis (XII, 1-2) primum omni perspicuitate invectum fuit; multoque magis postumæ mercedis bene vel male factorum exspectatio (conf. n.° 106, 135); demum ætate machabaica (Sap. II, 5; 2 Mach. VI, 26; VII, 9, 11, 14, 23) vulgare factum est, quando jam psalmorum compositio cessaverat; unde nihil mirum si minus accurate in ipsis exprimitur.

343. Psalmos denique vere *messianicos*, ut dicunt, præter singulares prophetias J-C. respicientes, vere existere egregie a multis demonstratum est, contra neotericos rationalistas (a). Et sane Messias jam ab initio promissus, cujus typum gerebant Patriarchæ, cumprimisque David, ita ut antonomastice dictus hic sit Christus, ac Jesus vicissim David sæpe a prophetis appelletur, ita a populi electi vatibus erat celebrandus, ut *a priori* id colligi posset. Deinde plures sunt psalmi (v. supra), quos nisi de Messia intelligas, nullum dare sensum perspicies, aut nimis frigidum, quam ut a regio psalte tam magnificis verbis exprimeretur. Sic, dato quod David ps. CIX auctor sit, quod nemo jure inficiari potest ¿quid significat phrasis illa: «Dixit Dominus *Domino meo*, sede a dextris meis»? (Mat. XXII, 41...). David igitur ejusque regnum non solum Christum et Ecclesiam adumbravit ac typus fuit; «sed hoc solo fundamento tot illi innituntur psalmi, in quibus regni davidici æternitas, divinique promissi hac de re constantia celebratur (XVIII, XXI, LXI, CII-CIII, CXLIV-CXLV, et LXXXIX coreiticus

(a) Præsertim ab Hengstenberg, Meignan, Ghiringhello; conf. Danko, Reinke et Mayer; E. Boelh, *duodecim psalmi messianici*, Basilææ 1862, germanice.

et CXXXII anonymus, hebraice), iique præsertim in quibus sub Davidis (II, CIX) aut Salomonis (XLIV, LXXI) persona, coloribusque ex peculiari præsentique horum conditione depromptis, longe excellentioris olim regis imago præfiguratur, qui unus ipse divinorum promissorum summam plenissime cumulateque expleturus erat, quæ illi ac successores partim atque divise, nec nisi per symbolum et analogiam præsignificaverant. Porro cum typus et idea analoga et respondentia sint (hæc enim typica est, ille vero ideale quidpiam necessario præsefert), fit inde ut sicuti Christus discipulorum omnium exemplar et figura est, suaque vitæ ratione communem eorum quadamtenus prænuntiavit; ita rursus David tunc etiam ad veram Christi personam alludere censendus sit, quum idealem tantum exprimere videtur, rerumque conversiones exponere quibus justi per vices exercentur ac recreantur; hæcque ipsa Apostolorum sententia est et expositio. (Conf. Act. II, 25, 31; XIII, 35; Mat. XXVII, 46; Mar. XV, 34; Jo. XIX, 24; Hebr. II, 12; X, 5-7; Rom. XV, 3, &c.)» (Ghiring.).

344. Psalmorum interpretatio valde implicata est, ob genus lyricum poëseos, rapidas insperatasque transitiones (præsertim cum de typo ad antitypum, aut e contra psaltes transiit), ignorantiam temporis, adjunctorum, quæ occasionem psalmo dederunt, aliorumque, ad illorum intelligentiam valde exoptandorum. Deinde versio vulgata hic multa desideranda relinquit, nec alia latina versio recentior commode in usum privatum adhiberi potest, præter factam a Rosenmüller, quæ catholica non est, multaque rationalistica et protestantica habet. Nec pariter hispanam versionem recentem ac litteraliter ex hebræo factam habemus, quæ valde exoptanda est, ob frequentissimum psalmorum usum nec minus frequentes lapsus in eorum allegatione incurri solitos. Gallice extat versio Ab. Bertrand et Ab. Crellier.

345. Præter psalmorum utilitatem, ut pote sacrorum carminum ad usus liturgicos et privatos quibus aliqui ab ipso conditore editi sunt, reliqui facili negotio et suapte natura iisdem accommodari possunt, præsertim cum eas psalmistæ conditiones exprimunt, quæ publicis Ecclesiæ, vel privatis cujuslibet religiosi hominis similes sunt; aliam etiam sibi vindicant in historica revelationis divinæ evolutione. Nam per ipsos veritates revelatæ diversis singulorum

conditionibus et adjunctis propius accommodantur, et in hominum cordibus singulares sensus et intentiones religiosæ auctoris intimius ac vividius imprimuntur; ex altera vero parte objectivum revelationis progressum ostendunt, præsertim in doctrina circa Deum, circa relationes Deum inter et homines, ac demum circa Messiam.

CAPUT XXII.

Liber Proverbiorum seu Parabolarum: partitio, genuinitas et integritas; auctor: divina auctoritas: solutio objectorum.

346. *Proverbia Salomonis* (a) non ut nostra sunt (adagios, refranes), sed multis modis dispositæ poëticæ sententiæ, in quibus veritates divinæ humanis conditionibus, necessitatibus et relationibus accommodantur; quandoque deductiones ex ipsa auctoris experientia et observatione ortæ, quæ hominum actionibus regulæ esse possunt. Continet præterea liber nonnullas alias doctrinas et considerationes forma poëtica expositas, sed simplici; ideoque *proverbia* hic sunt veritates morales, instructiones, sententiæ aut hortationes legi Dei ac doctrinæ fundatæ, ac poëticæ gnomæ ad vitæ institutionem accommodatæ.

347. Collectio sententiarum Salomonis in tria fragmenta distribui potest: 1^{m} (1-9) complectitur, ad instar introductionis, sapientiæ elogium, ad eamque inveniendam et amplectendam hortatur; 2^{m}, (10-24) plura apotegmata seu sententiosa dicta nullo vinculo ligata, ac longa serie et poëtica forma disposita juxta leges parellelismi, præcipue antithetici, quibus vitæ humanæ documenta plura, religiosa, moralia, politica, domestica exhibentur; 3^{um}, (25-29) aliam collectionem sententiarum Salomonis, *quas transcripserunt* viri Ezechiæ regis Juda (vulg. *transtulerunt*, LXX ἐξεγραψάντο), quibus accedunt quasi appendices *verba Agur* (30, Vulg. *congregantis filii Vomentis*), et *documenta*, quæ e matre sua acceperat *Lemuel*, ac carmen alphabeticum in laudem *mulieris fortis* (cap. 31).

(a) מִשְׁלֵי שְׁלֹמֹה, *Sententiæ Salomonis*; gr. παροιμίαι: pluribus PP. græcis, σοφία aut πανάρετος σοφία, latinis *Sapientia Salomonis*,

348. Harum sententiarum authentia singillatim in quinque libri partibus demonstratur. Et sane tres priores (I-IX; X-XXIV; XXV-XXIX, quarum postrema distinguitur etiam cap. XXII, 17), ex ipsa inscriptione libri Salomoni adscribi debent (I, 1; X, 1; XXV, 1), ex universali Synagogæ et Ecclesiæ traditione, ex horum documentorum cum Salomone convenientia ac nullo vel minimo indicio, quod recentiorem auctorem vel ætatem arguat. Et sane, cum Salomon plurima sapientia etiam divinitus accepta claruerit, ac multas *parabolas* ediderit (3 Reg. IV, 32), nullo modo verosimile est eas auditorum memoriæ viva tantum voce mandasse, quin eas scripto consignaret, aut ab audientibus ex ejus mandato non fuisse descriptas. Unde ante Ezechiam plures harum sententiarum scriptas et in unum collectas fuisse, verba ipsa ostendunt quibus *viri Ezechiæ* veteri collectioni novam addiderunt, ex alio vel aliis documentis eas transcribentes (v. XXV, 1 et supra, ac Gesenii Lex. ad vocem עתק); ac proinde viri illi tres primas libri pericopes Salomoni adscribebant, atque ut tales habendæ sunt donec contrarium demonstretur. Sed nec ulla ratio peremptoria postrema capita, seu appendices (30-31) Salomoni abjudicare cogit, cum nomina *Agur* et *Lemuel* symbolicæ denominationes Salomonis sint (nempe in hebr. 30, 1 est: «Verba *Agur* filii *Iakeh*, effatum, dictum viri ad *Ithiel*, ad *Ithiel* et *Ucal*; et 31, 1: Verba *Lemuel* regis, effatum *quo erudivit eum mater sua*), et omnia hæc nomina propria aut aliqua saltem tanquam symbolica habita sunt ab interprete græco, latino et syriaco, ab omnibus fere Patribus et antiquis interpretibus; ac nullibi horum hominum sive sapientum sive prophetarum mentio fit, eorumque nomina satis apte de Salomone ejusque patre interpretari possumus (a). Contraria argumenta ex sermo-

(a) Id est 30, 2: Verba *Congregantis* (Agur=Koheleth, *Ecclesiastes*, ex אגר, collegit) filii *Pii* sive *Obedientis* (Jakeh a יקה inus. arab. *vacha*, *Deum timuit*, *pius fuit*, aut a יקה=*vachiha*, *paruit*, *obedivit*), effatum, dictum viri ad *Mecum-Deus*, ad *Mecum-Deus-ideoque-potens-sum*: composita scilicet nomina ad Salomonis tirones designandos apta. Cap. vero 31, 1: Verba *Deo-cari*(=Jedidiah, *amabilis Domino*, vulg. 2 Reg. XII, 25), effatum *quo erudivit eum mater sua* (nempe sapientia, ni fallor).

nis, stili, argumenti rythmique diversitate petuntur, præcipue ab Ewald, qui more suo (v. n.° 250) omnia in minuta fragmenta partitur, ac suum cuique tempus assignat, non tamen sæculo 8 antiquius, quo pars X, 1—XXII, 16 edita illi videtur, reliquæ vero postea. Verum voces sive dictiones pleræque, quæ diversam ætatem vel auctorem indicare censentur in diversis fragmentis occurrunt, atque hic ut in omnibus fere libris, præsertim poëticis, inveniuntur vocabula *apax legomena*, aut bis tantum vel ter nec alibi occurrentia, quæ proinde nil evincunt (v. infra in epistolis pastoralibus), nec ullæ sunt quæ Salomoni convenire nequeant. Idipsum dicas de sententiis circa politicum regimen, regum officia, tyrannorum, aulicorum, optimatum, servorumque mores, aliaque hujusmodi in variis pericopis promiscue distributa; quæ quidem omnia sive domestica, sive externa, præsentia aut superiora Salomonem fugere nequibant eruditum a Deo, sagacissimum, rebus naturalibus instructum, nec pessimi mulierositatis exitus ignarum, utut adhuc non expertum; omnia etiam non tam prophetæ aut sacerdoti, quam regi philosopho quadrant, etiam cum se ignorantem profitetur, quod similiter Asaph (ps. LXXII, 22) et Job (XLII, 3) fecerant, optimeque hic erat opportunum ad modestiam edocendam, præsertim cum fictum symbolicumque nomen assumpsisset (XXX, 2-3). Nec turpissimas Baalis aut Astaroth superstitiones unquam persequitur, posterioribus sæculis frequentissimas, cum in cultu Dei sincero inculcando, in multigenis vitiorum illecebris, in meretriciis maxime amoribus damnandis multus versetur; quod ætati salomonicæ apprime congruit, vix vero posteriori. Nec repetitiones earumdem sententiarum diversos auctores evincunt, quæ non semel in eodem capitulo occurrunt, uni auctori ab adversariis adscripto, præcipue si sint in eadem pericope. Diversitas autem in versuum compositione et structura, ex diversitate materiæ, aut occasionis qua singulæ sententiæ editæ sunt, atque etiam maxime ex auctoris facilitate, dexteritate et foecunditate satis explicatur; et omnia tali artificio, tantaque notionum sermonisque affinitate composita sunt, ipsis Ewaldo et Bertheau fatentibus, ut nec vulgaribus proverbiis, nec variis variorum collectaneis uno illustris cujusdam sapientis nomine inscriptis, queant assimilari.

349. Ex dictis jam admodum probabile adpparet ab ipso Salomone vel eo dictante scripto collectas fuisse sententias, quæ hoc libro continentur, quæque nimia arte elaboratæ sunt, ac una earum pars ceteris respondet (a), quam ut extemplo prolatæ et casu hinc inde collectæ a quodam curiosiori videantur. Ex originaria tamen collectione quædam exciderunt saltem in nonnullis exemplaribus, quæ *viri Ezechiæ* (qui isti fuerint frustra perquires) exemplari apud eos exstanti adjunxerunt, relegatis forsitan ad finem libri duobus capitibus nunc postremis, aut iis etiam additis, quod mere hypotheticum est. Sed nihil omnino demonstrat posteriori ætate factam fuisse collectionem, aut quidquam veteri adjectum; imo adversariorum consueta discrepantia in determinando diversorum fragmentorum auctore vel collectore, idem evincit, nempe traditioni standum esse.

350. Adversus Proverbiorum Salomonis genuinitatem simulque divinam inspirationem, quæ ex ipsa doctrina, pluribus Hagiographorum posteriorum allegationibus, atque Synagogæ et Ecclesiæ judicio constat, etiam sequentia allegari solent: a) auctorem prophetali munere functum non fuisse; b)tunc librum scripsisse, cum mulierum amoribus tenebatur atque idololatria, ob idque a Deo fuerat derelictus; c) in libro nonnisi moralia et oeconomica contineri, quæ rationis aciem non superant atque similia sunt iis quæ indi, græci, latini, arabes aliique populi invenerunt; d) multa lippis atque tonsoribus nota, muliercularum rusticorumve propria, ex ore vulgi vel etiam de trivio compitisque deprompta, qualia sunt quædam illiberalia et sordida scurra aut avaro, neutiquam hagiohrapho digna (b). Ast a) Salomon *munere* seu *ministerio* prophetico functus non fuit, bene vero *inspiratione divina* ac *futurorum præsensione;* b) gratis omnino affirmant quo tempore hæc a Salomone scripta sunt, cujus præterea qualitates personales theopneustiæ minime

(a) Nempe 1.ª ut introductio qua minus docti, 2.ª et 3.ª ut libri corpus qua satis docti doctiores evadant, ac omnigenam prudentiam acquirant.

(b) Allegantur nempe Hitopadeca indorum (ed. Müller), Phocylides, Demophilus, Theognis, dicta septem sapientum, distica Catonis, Cæsaris collectanea, &c.; atque inter vulgares nimium aut minus dignas sententias XXIV, 27; XXVII, 23...; XXX, 18-20; VI, 1; XVII, 18; XX, 16; XXII, 26; XXVII, 13.)

repugnarent, quæcumque illæ fuissent; sed et stilus el color Proverbiorum integrum adhuc ac minime senescentem scriptoris ingenium produnt; et ad communia peccata potius quam ad regum propria auctor respicit, quæ ipsum, etiamsi innocens non esset, et proprias lectiones non sequeretur, quippe homo erat, ceteris tradere potuisse nil omnino obstat. c) Etiam naturalia et quæ captum nostrum non superant *inspirari* possunt, quamvis *revelari* nequeant iis qui ea probe sciunt; et omnia quæ in libro inveniuntur Deo digna et hominibus utilia esse quilibet percipit, attenta præsertim populi conditione cui primum scriptum fuit; ut nihil dicam de typicis quæ hic etiam inveniuntur, ac revelationis progressu, præsertim circa *Dei Sapientiam* (cap. 8) quam personificatam auctor exhibet, *Filium* nempe *Dei, qui erat apud Patrem, et apparuit nobis, et per quem omnia facta sunt*. Unde d) nihil mirum si quædam jam nunc vulgata in libro nostro traduntur, quæ meram humanam prudentiam docent, et sunt pleraque ex allegatis; cum Deus populi electi rex et pater et institutor fuerit, etiam in iis quæ agri culturam, munditiem, vestes sacerdotum, &c. respiciunt (conf. Archæol.); immoralia, aut charitati adversa doceri nullus evincere potest, nec objecta loca evincunt: certe charitas et prudentia nequaquam inconciliabiles sunt.

CAPUT XXIII.

Ecclesiastes: materia substracta ac forma compositionis: auctor et stilus.

351. Hic liber dicitur קֹהֶלֶת *Ecclesiastes* (concionator, LXX ἐκκλησιαστής) a denominatione figurata quam sibi auctor tribuit (I, 1, 12; XII, 8, 9), quasi qui coetum congregat (ait Hieron.), quem nos nuncupare possumus *concionatorem* eo quod loquatur ad populum (a). Singularis est

(a) A קָהַל=*homines conjungere* et *in congregatione loqui*, præsertim in comitiis populi. Nec obstat forma feminina, sive quia alludilur ad Sapientiam per os Salomonis loquentem, vel potius quia id lingua patitur, ut e. g. in vacabulis בָּחָה, כִּנָּת, et melius in nominibus propriis סִפְרֹת, פִּכְרֹת).

in universis Bibliis hujus libri forma investigationis philosophicæ similis *meditationibus* nostrorum poëtarum, in quo monologium instituitur circa conditionem hominis super terram, seu summum bonum in hac vita, quod constituit in *aurea mediocritate* cum puritate conscientiæ, observatione mandatorum Dei, fiducia in providentia divina, et spe futuri judicii. Intendit nempe hominem ad moderatam castamque lætitiam ac bonorum vitæ fruitionem excitare, deposita animi ac conscientiæ incuria nimioque timore, mediante observantia legis, ac fide in Dei providentiam justitiamque, quæ in postremo universali judicio super omnes homines apparebit. Hoc ut obtineat examen instituit humanæ vitæ ac desideriorum, quæ homines agitare ac perturbare solent; atque experientia discit eos nimium defatigari eam felicitatem in terra quærentes, quæ e manibus fugit, sive in divitiarum cogregatione versentur, sive in honoribus, voluptatibus, splendore, corporis forma &c., sive in scientia quæ universa vitæ ac mundi problemata explicare valeat, sive ob nimium mortis timorem angustiis quatiantur; quæ omnia cum vana sunt, tum meliorem illius conditionem prædicant, qui bonis hujus vitæ, quæ etiam a Deo donata sunt, moderate fruitur, quin bonum perfectum et absolutum hic quærat. Ob id ad altiora assurgit, ad Deum nempe, qui omnia et homines creavit ac eorum curam agit, præcepta imponit, ac futurum judicium sibi reservat, quo infelix hominum super terram conditio cum Dei providentia harmonice componitur, et nodum investigationis solvit. Igitur scopus finalis libri similis omnino est *Arti semper gaudendi*, sub divina nempe providentia tranquille vivendi, pace cum propria conscientia, ac fide religiosa. Singularis tamen libri forma impedit quin quamlibet ejus propositionem a reliquis disjunctam accipere possimus, sed omnes ad unum tendunt, ac postremum sensum accipiunt postremis item verbis Libri, quæ epilogum constituunt ac nodum solvunt: «*Deum time et mandata ejus serva; hoc est enim omnis homo: et cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum sive malum sit*». Ex ita disposito argumento ac libri forma inquisitoria costat immerito objici quasdam ejus disjunctas sententias tamquam epicuræam vel scepticam doctrinam tradentes: nec pariter dialogismum hic invenire licet, aut tacitas impiorum objectiones; quæ

enim falso prolata videntur, naturaliter in mentem veniunt illius qui problema discutere intendit in hoc libro agitatum, sed posterioribus meditationis sensis atque sententiis, ac ultima præsertim, omnia cohærent, ac bonam et hagiographo dignam instructionem præseferunt.

352. Auctorem libri Salomonem in ipso exhiberi jam omnes fere conveniunt (conf. I, 1, 12... XII, 8...); non vero ficte sed reapse ejusdem verba hic tradi evincunt, 1.° universalis judæorum ac christianorum fides (non paucis neotericis refragantibus, etiam catholicis, ut Jahn, Herbs, Reusch, &c.; 2.° ipsa inscriptio *verba Ecclesiastæ..... dixit Ecclesiastes*; 3.° affinitas doctrinæ cum Proverbiis, in observantia nempe mandatorum Dei præcipue insistentis; 4.° convenientia eorum quæ Ecclesiastes dicit cum Salomone ejusque ætate, præsertim sacietas rerum humanarum ac inanitas diviti et glorioso Salomonis regno apprime conveniens, qui eam experientia discere potuit, ac tempestive docuit, ut populus iis animum nimium non converteret; 5.° quæ quidem in omnibus cum ætate ac peculiari Salomonis conditione convenientia, a simplici hebraicorum scriptorum ingenio non erat exspectanda; 6.° nulla idololatriæ ac similium superstitiorum mentio; 7.° ipsa impossibilitas lectoribus hebræis fucum faciendi, si falso ipsi liber adscriptus fuisset.

353. Nec in toto libro quidpiam occurrit huic sententiæ contrarium: non rerum publicarum pictura ac humanarum relationum, quæ universalis est, nec tantum populo israelico ac regno salomonico accommodata, ita ut ex ea nulli ætati potius quam aliæ tribui commode possit; non modus quo de Salomone loquitur liber, sive in tertia persona sive in prima, quod in Bibliis frequens est, et generi investigationis convenit; nec laudes tributæ, quæ rem perspicuam tradunt, sapientiam scilicet Salomonis; non aramaismi occurrentes, qui etiam in Moyse ac præsertim Job occurrunt, quem tamen Salomonis aut ejus ætati satis communiter tribuunt; nec inverosimile est formam investigationis philosophicæ hebræis insuetam, peculiares locutiones et verba ab auctore etiam inventa vel ex affinibus linguis deducta postulasse; nec hoc argumentum magni ponderis est, quod sæpe admonuimus; non denique diversitas stili cum Proverbiis, quæ major adhuc est inter Canticum et psalmos salomoni-

cos, nempe ex materiæ diversitate oritur. Objectio, quæ ætati jam natæ saducæorum sectæ, ob ejus dogmata hic tradita, librum adscribit, aut inconstantiam doctrinæ arguit modo stoicæ (III, 1—8, 14—15; VII, 14; VIII, 8), modo epicurææ (III, 22; IX, 7—10), modo scepticæ (III, 18—21; IX, 4—6; II, 14—23; IV, 1—3), ex optime intellecto libri scopo ac dispositione superius traditis, ac singularis cujusque loci recta interpretatione facile diluitur. Cap. XII, 12 minime supponitur ætate auctoris plurimos fieri libros, quod qualibet hebræorum epocha eamdem offerret difficultatem; sed admonet auditorem ut dictis contentus sit, siquidem nusquam esset finis loquendi aut scribendi, si omnia essent tradenda. (Conf. simile dictum Joan. XXI, 25).

354. Stilus libri potius rhetoricus quam poëticus est; a soluta oratione discernitur ob plura poëtica fragmenta ac quemdam rhythmum. Diversarum personarum dialogismum hic institui quidam Patres et interpretes crediderunt; aut saltem ex impiorum persona multa in eo prædicari. Propius libri formam attigisse videtur S. Gregorius M. (Dial. IV, 4): «Quot sententias *per inquisitionem* movet, *quasi* tot in se personas diversorum suscipit. Alia sunt quæ per inquisitionem moventur, atque alia quæ per rationem satisfaciunt; alia quæ ex tentati profert animo atque adhuc hujus mundi delectationibus dediti, alia vero in quibus, quæ rationis sunt, disserit, ut animum a delectationibus compescat..... Illud ex tentatione carnali intulit, hoc postmodum ex spirituali veritate definivit». Nihil igitur solidum adversus divinam libri auctoritatem ex nonnullis ejus sententiis seorsum sumptis colligi potest, quæ libri alta sanaque doctrina, ejusque in canonem receptione constat.

CAPUT XXIV.

Canticum Canticorum: auctor et libri unitas: sensus allegoricus in eo est sensus litteralis: objecta et sententiæ oppositæ.

355. Inscriptio hujus libri (שִׁיר הַשִּׁירִים אֲשֶׁר לִשְׁלֹמֹה) Sa-

lomoni illum tribuit (a) et universim ab hebræis et christianis ipsi adscriptus fuit, nullo contrariæ sententiæ fundamento existente: idem evincunt libri lingua, orationis vis et efficacia, nervi ac spiritus a tempore exilio proximo abhorrentes, erotica poëmatis indoles, exquisita venustas, suavissimi castissimique amores, omnigena nec affectata rerum physicarum notitia; imo Salomonis ejusque parentis propria quædam et peculiaria, ceu nota recentiaque ita perstringuntur (b), ut non modo coævi, sed Salomonis manum videre sit. «Porro scriptoris operisque unitas, quam titulus præsefert (canticum canticorum=canticum præstantissimum), solidissimis æque argumentis comprobatur; non modo enim sermonis genus auctori peculiare in toto libro idem manet, earumdem rerum comparationes aut similitudines passim frequentantur, sententiæque et imagines ejusdem propriæ ab iisdem rursus personis vel ab aliis sæpius iisdemque fere verbis iterantur, nonnullæque pericopæ eadem dicendi formula inchoantur aut concluduntur, quod profecto auctoris argumentique unitatem ostendit; verum etiam eædem, vicibus, personæ iisdem se nominibus mutuo compellantes, iisdemque sibi propriis sensis atque sententiis, eoque nexu, responsu, processu interloquuntur, ut nisi justi dramatis forma, cui legitimæ fabulæ defectus, haud secus atque orientalium ingenium adversatur, idyllii certe singularitas inde colligatur». (Ghiring., qui omnia suis citationibus et argumentis comprobat abunde. *De libris poëticis V. T.* pag. 368...). Hæc libri unitas et cohærentia præ oculis habenda est ad ejus materiam et scopum rectius determinandum.

356. Canitur in hoc libro amor *Salomonis* et *Sulamitidis* (probabiliter synonima sunt): ast miro modo variant sententiæ circa hujus amoris sensum, quas ad tres præcipuas reducere possumus: 1.ª eorum qui carnales amores Salomonis hic celebrari putant, sive cum filia Pharaonis aliave

(a) Ob ל auctoris sæpissime in psalmis occurrens, quod ut tale a Vulgata acceptum fuit, licet in gr. textu juxta exemplar vaticanum diversus sit sensus, nempe *Canticum Canticorum, id est, Salomon*, quasi scilicet vocaretur *Cant. Canticorum* aut *Salomon;* sed in Cod. Alexandrino legitur τῷ Σαλωμών, id est, Salomoni adscriptum.

(b) I, 4, 8 coll. 3 Reg. X, 28—29, III, 7—11; IV, 4; VI, 7; VII, 5; VIII, 11 ubi hebr. legitur *vinea fuit Salomoni in Baal Hamon.*

uxore; sive cum populari virgine, quæ pastorem nescio quem deperiens regem aspernatur; sive denique diversorum amorum diversa cantica a quodam recensita, et aliqua aut parva vel nulla arte conglobata asserunt; 2.ª eorum qui veros etiam Salomonis amores vident nonnisi sensu typico intelligendos; 3.ª denique eorum qui totum canticum allegorice de amore Dei erga populum suum hebraicum, perfectius tamquam antitypum, christianum, ac singulam animam in Dei gratia constitutam, præcipue omnino Beatam V. Mariam, intelligendum et interpretandum esse censent. Hanc sententiam demonstrant: 1.° fides hebræorum, qui librum profanos amores canentem minime in canonem recepissent, tamquam sacrum haud fuissent venerati, multoque minus appellassent *Canticum Canticorum*; 2.° Ecclesiæ fides, quæ ita semper librum intellexit (præsertim in liturgia B. Virginis) ac Theodori Mopsuesteni contrariam sententiam damnavit in Conc. 5.° generali; 3.° impossibilitas hoc carmen exponendi juxta corticem litteræ ita ut quemdam sensum rationabilem offerat, quod demonstrant innumeræ adversariorum sententiæ et hypotheses aliæ aliis absurdiores et ineptiores, et ipse contextus. Ibi enim Salomon adparet modo ut rex, modo ut pastor, aut vinitor, qui cum Sulamitha in ædibus regis versatur, aut cum ea gregibus pascendis, aut horti vineæque culturæ addictus est, nunc montes transiliit, nunc amatæ ostiolum sub dio roreque madidus pulsat, quæ ille aperire cuntacta frustra dein per vicos et plateas eum quærit (quod nulli hebrææ virgini accommodatum, nec possibile fuit), in matris domum ad thalamum ductura; quæ omnia cum de uno proco intelligi nequeant, duplicem adversarii finxerunt (v. supra), regem nempe et rusticum. Verum utriusque sermones minime distinguntur (v. supra); nec quodlibet in historia vestigium est nuptialis pompæ in Libano rure (quam adversarii fingunt); nec rusticana puella regis amores respuere vellet, imo nec posset (agitur de rege et puella inter *orientales polygamos*); nec Salomon id celebrasset vehementissimo ac pulcherrimo carmine, ut nempe se in procaci desiderio a rusticana puella fraudatum ac devictum demonstraret; nec una puella, et quidem rusticana, filia principis appellari potuit, et quæ regios amores respuit, regiis ædibus inclusa apparet, tum de Libano, ex Amanæ, Sanir et Hermonis vertice accita, tum sponso innixa e de-

serto procedens exhibetur, aliaque multa impossibilia et absurda veniunt notanda in qualibet harum hypothesium pro libitu inventarum, absque tabulis et testibus, ac tantum ad communem vulgatamque Synagogæ, Ecclesiæ, Patrum, theologorum sententiam repudiandam, horroremque sensui allegorico patefaciendum. Igitur Canticum Canticorum nullum sensum literalem præsefert juxta primigeniam ac nativam verborum et orationum vim, sed est allegoria per universa octo capita discurrens; ac proinde de veris amoribus Salomonis minime intelligi potest in se ipsis, vel typico aliquo sensu, qui sensum literalem suponit (v. Hermen. n.° 681).

357. His addere præstat quæ in sensus allegorici robur egregie scribit Ghiringhellus (L. c.)... «Hunc sensum... poëmatis indoles necessario postulat. Ut enim orientalibus universim nullo non tempore familiare fuit sub humanorum amorum schemate misticam animorum cum deitate conjunctionem designare, ita et hebræis foedus a Jehovah cum Israële initum mutuamque utriusque rationem conjugio (Is LIV, 5-6; LXII, 4-5; Jer. II, 2; III, 1; Mat. IX, 15; XXII, 1-14; Rom. VII, 4, &c.) vel sponsalibus (Is. LXII, 5; Ezech. XVI, 8-14; Os. II, 19-20) assimilare. Jam vero quam aperte hæc allegoria in Cantico dominetur, quamque apte allegorico sensu exponatur, quod proprie acceptum repugnare visum est, facile intelligit qui plerasque ejus imagines cum iis contulerit, quibus Prophetæ passim mutuam Dei populique hebraici necessitudinem adumbrare usi sunt. Sane vinea Sulamithæ cura concredita, hujus incuria, fratrum sævities, vulpium vastatio earumque captura, puella amissum sua culpa dilectum requirens, repertoque sibique reconciliato fructus referens vineæ iterum excultæ custoditæque, imagines sunt iis quamsimillimæ quibus hebraici populi erga Deum fidelitas aut inconstantia, gentiumque hanc ulciscentium incursus a prophetis designatur (Is. V): idemque dicendum de Sulamithæ ex deserto ad Jerusalem processu, quo hebræorum ex ægyptia servitute excessus Palæstinæque occupatio aptissime significatur; comparationes demum quæ ad Sulamithæ formam describendam assumuntur ut in veram puellam accommodatæ minus propriæ, justoque audaciores videri possunt; e contrario, si Sulamithæ nomine universa natio intelligatur, convenientissimæ sunt, Palæstinæque circunscriptionem, æque ac soli fertilitatem graphice delineant atque describunt. Porro nullum de hac expositione dubium ei supererit qui Canticum cum ps. 44 comparaverit, quod eadem forte occasione compositum, eodem argumento versatur: utroque enim in carmine rex describitur forma luxu-

que, haud secus ac bellica fortitudine justitiaque spectabilis, cujus ad latus nova nupta incedit regio decore cultuque, summis undique laudibus celebrata; si igitur unum allegorice (quod antea invicte auctor demonstraverat) de Messia exponendum fuit, eadem ratione erit alterum interpretandum. Hinc vero intelligitur quare Salomon, quippe Messiæ typus spiritaliter ac pacifice regnaturi, modo regis, modo pastoris personam alternatim in Cantico sustineat, iisque se laudibus cumulet, non tam sibi propriis quam in antitypum derivandis, quas ceterum, nedum in rusticanæ puellæ sodalem conveniant, nec ipse sibi tribuere ausus fuisset; hæcque ratio est quare semet a Salomone distinguere auctor videatur; itemque cur Sulamith principis filia vineæque cultrix exhibeatur. Quæ cum ita sint, manifestum est allegorico hoc epithalamio non solum antiquum Johovæ cum hebræis foedus, sed et novum per Messiam faciendum significari, qui utriusque auctor ac fundamentum est, mysticum scilicet Christi Ecclesiæque connubium, qui pariter sponsi sponsæque nomine passim in N. F. designantur; falli propterea qui sub Sulamithæ schemate judaicam tantum, aut christianam Ecclesiam intellexerunt. Verum, quum Christi Ecclesiæque conjunctio singula hujus membra complectatur, quæ per gratiam et charitatem mystico Christi corpori adhærent; neque iis possumus assentiri qui ad hanc conjunctionem, nisi directe (a), oblique saltem Salomonis Canticum alludere inficiati sunt. Hujus porro allegoriæ altitudo atque sublimitas, summa lectissimarum imaginum proprietas, quibus mystici divinique amores castissime adumbrantur (b) eorumque pectoribus ingeruntur qui simplici animo Canticum perlegunt, divinam hujus originem spirant, iisdem quæ modo produximus (v. supra) testimoniis comprobatam.»

358. Ex quibus facile diluuntur quæ contra hujus libri divinam inspirationem objici solent, sive quia profanos amores canit, sive quia vividiores justo imagines aut lubrica verba horum puriorum criticorum oculis ostendit; quæ præterea orientalis poëseos propria sunt, neminem offensura, qui ad Cantici egregii sensum attendat. Addam tamen multa hic, sicut in allegoriis et parabolis, meri ornatus causa adhiberi, ridicule proinde hæc objiciuntur (c), sed ornatus

(a) Hoc sensit S. Joannes a Cruce, qui omnibus præstantius hoc carmen exposuit, inquit Haneberg.

(b) Hoc pulcherrimum ejusdem Sancti canticum demonstrat, quod incipit: Adónde te escondiste, amado...?

(c) Ut ab illo qui Deo accommodare nesciebat ventrem eburneum,

sunt poëmatis, quod plenam accuratamque expositionem adhuc expostulat, nec forsitan ab ullo recipiet, cum difficile omnino sit essentialia a meris ornamentis distinguere; quin hoc tamen obstet quominus rationabilis ejusdem usus fiat ab Ecclesia in liturgia, a Patribus, interpretibus divinique verbi concionatoribus. Ceterum in qualibet sententia litteralem sensum admittente nullam religiosam, theologicam aut moralem explicationem patitur, quæ cum contextu conveniat, et qua inter sacros libros, inter psalmos et canticos populi hebraici *Canticum Canticorum* audiri meruerit.

359. En præcipuas hujusmodi sententias, præter eas quæ aut merum carmen amatorium, aut cantilenarum inordinatam farraginem cum Jahn in eo vident. Bossuet et Calmet nuptias Salomonis hic cani existimarunt, sed typicum sensum ut solum canonicum admiserunt; Delitzsch vehementissimos amores Salomonis, quibus ideam aut mysterium matrimonii, ut typum unionis Domini cum suo populo dramatice exprimeret. Traditionalem sententiam inter alios modernos sustinent etiam protestantes Hengstenberg et Keil, catholici fere omnes, speciatim Welte, Haneberg, Glaire, Danko. Etiam qui sensum litteralem tuentur, significationem didacticam tribuere libro solent; sic Jahn, Stæhelin aliique monogamiam hic celebrari putant. Alii cum quibusdam judæis mystice exponunt de amore Salomonis cum Sapientia, ita Rosenmüller; Hug et Keiser politicum sensum tribuunt, et desiderium exprimere regni Israël se cum Juda rursus adjungendi, aut Zorobabelis, Esdræ et Nehemiæ canticum esse censent, tamquam restauratorum constitutionis theocraticæ, quod quid sibi velit penitus ignoro. Qui collectionem esse censent diversorum canticorum, valde discrepant in diversarum partium designatione, ac ut Bossuetus fere ad septem dies nuptiarum discernendos, nesciunt ubi pedem figant: Magnus (*Kritik. Bearbeitung*,... Halle 1844) 14 poëmata integra distinguit, 8 fragmenta atque 18 glosas. Adversus Renani expositionem consuli potet Meignan.

cruraque marmorea, populove judaico aut christiano umbilicum ad instar crateris rotundi, mammasque gemellis dorcadis. quæ ridet Wenrich.

CAPUT XXV.

Liber Sapientiæ: divisio ac substracta materia: lingua auctor et ætas: auctoritas divina paucis evincitur ac contra plura objecta vindicatur.

360. *Liber Sapientiæ* (Σοφία Σαλωμω , vel Σαλομῶντος) ob argumenti ac formæ similitudinem una cum Ecclesiastico sapientialibus Salomonis libris adjungitur, et olim a multis PP. et interpretibus eidem auctori tributus fuit, repugnantibus aliis, præsertim Hieronymo et Augustino. Continet duabus primis partibus (I-V et VI-VII) descriptionem pessimæ sortis quæ post mortem manet stultos et sapientiæ oblitos vel eam contemnentes, felicissimæ vero sapientes seu justos; atque sapientiæ commoda ejusque adquirendæ rationem et modum, quantum illa rectoribus præcipue necessaria est edocet, ac proinde a Deo postulandam exemplo Salomonis. Postrema pars (X-XIX) quantum ex sapientia præsidium sperandum sit, quanta pernicies ex ejus neglectu pertimescenda collatis hebræorum et ethnicorum vicibus demonstrat, historia præsertim Patriarcharum atque eventuum illius temporis quo ex Ægypto exierunt hebræi; ubi plura inveniuntur in libro Exodi omissa, sive amplificationes rhetoricæ sint, sive ex traditione derivata, aut facta auctori revelatione. Cap. XIII-XV invenitur episodium quoddam super idololatria. Hæ tamen partes stricto nexu ligantur, apte transitiones fiunt, singula capita connectuntur præcipue in græco textu, unus orationis color et stylus quantum materiæ diversitas patitur, eædem sententiæ, voces et lusus verborum, unitatem libri demonstrant, futilibus conjecturis impugnatam; et a Grimm, Welte, Ghiringhello palam ostensam.

Sapientia de qua perpetuo sermo hic est, partim theoretica humana sapientia vel practica est, e revelatione tamen derivata, partim ipsa divina sapientia, quæ multis in locis (præsertim VII-VIII) non tam ut attributum, quam velut persona divina apparet, vixque aliter accipi possunt allegata loca; unde pluralitas Personarum in Deo satis perspicue

evolvitur. Ob id præsertim et apertam de immortalitate animæ ac futuris præmiis doctrinam, inter præcipuos dogmaticos V. T. libros iste haberi debet: prophetiam clarissimam de Christo hic esse (cap. II) Patres et interpretes passim tradiderunt, hodieque tuentur Schmid et Danko; dum alii id generatim intelligunt de modo loquendi agendique impiorum cum justis, sed Christo et judæis eum persequentibus et subsannantibus præcipue applicandum. E græca philosophia quædam dogmata hic derivata fuisse nemo demonstrare valet, nec supra allegata inaudita inter hebræos erant; nec doctrina de *logo* Philonis vel Platonis quidquam commune habet cum *Sapientia* ac *Logo evangelico* (conf. n. 148, 155, 363).

361. Textus libri primigenius græcus est, quod Hieronymus jam asseruit ac plura demonstrant: *stylus græcam eloquentiam redolens* (Hier.), nulla antiqua notitia textus hebraici aut chaldaici, rabbinorum sententia qui solas versiones e græco factas norunt, plurima verba ac lusus verborum græcam originem ostendentes, allegationes antiquorum librorum juxta vers. alexandrinam, etiam dum hæc ab hebræo discrepat, aliaque argumenta quæ omnes fere criticos in idipsum trahunt, solusque Schmid inter modernos hebraicam originem defendit ac Salomoni tribuit. Parallelismus poëticus multique hebraismi satis explicantur si judæo hellenistæ ægyptio ac Scripturæ doctissimo adscribatur, nam similes hebraismi ipsis N. T. auctoribus eadem de causa perquam familiares sunt.

362. Salomonem auctorem libri hujus plures habuerunt vel græca inscriptione, vel libri forma decepti, qua Salomon loquens inducitur (VII-IX); sed ex dictis hæc opinio sustineri nequit, nec Patrum citandi modus eorum sententiam prodit, cum certum sit plures generatim *Sapientiam Salomonis* allegasse, qui de auctore libri dubii fuerunt, aut Salomonem abjecerunt, ut Augustinus et Hieronymus; nempe librum consueto nomine allegabant. His adde quædam dogmata et locutiones hic occurrentes et Salomone multo recentiores (II, 1..; VIII, 7), genus orationis a Proverbiis et Ecclesiaste diversum nimis, ac clariora indicia quæ ab ægyptio judæo Ptolomæorum ætate, quando ii pessime judæos habebant (probabilius sub Philopatore, 247-221, aut Phiscone 170-116) procedere ostendunt.

Nam auctor scripsisse videtur cum mores et instituta græcorum maxime florebant, variaque diversarum gentium numina et religiones

recepta erant; polytheismi multiplices rationes, lararіorum et apotheosis originem, simulacrorum idealem formam et exquisitum artificium, ludrica certamina horumque præmia, foeda cruentaque mysteriorum facinora, vigentem adhuc plurium animalium cultum, ita describit, ut vel præsentia vel suis notissima attingere videatur (conf. XV, 14; XIII, 2; XIV, 15-17, 18-9; XV, 8-10; XIV, 23-24; XI, 16-17, coll. XVII, 9; XII, 24; XV, 18-19). Deinde auctor totus in eo est ut veræ sapientiæ, seu religionis revelatæ ac monotheisticæ indolem atque præstantiam ostendat, superstitionis et impietatis certam perniciem, quo nutantes in vera fide confirmet contra incredulorum (II) et atheorum (XIII) ac contra domesticas apostatarum blasphemias et vexationes, externamque regum ethnicorum potentiam communiat (II, 12..; III, 10; I, 1; VI, 2 coll. XV, 14), omnesque proinde ad pietatem alliciat, ab impietate deterreat (II, 25-V); unde manifestum est non solum veræ sapientiæ originem et utilitatem ethnicos docere voluisse, falsaque stoicorum, epicuræorum, etiam saducæorum dogmata perstringere, sed et ad quosvis religionis hebraicæ desertores, speciatim vero ad ethnicos Ægypti reges et incolas orationem intendere, eosque in antiquissimi temporis memoriam revocare auctorem velle, quia analoga præsentis temporis conditio commodam ad id præbebat opportunitatem (X-XIX). Posteriori vero ætate, Philonis nempe, qui post J-C mortuus est, scriptum fuisse Sapientiæ librum nil evincit, a nemine coævorum ipsi adscribitur, nec in ullo ejus operum catalogo unquam inventus est, imo jam tunc reges Ægypti non erant, nec ulla fere adjuncta allegata; ac plures in N. T. allusiones, priorumque christianorum fides, illum inter sacros et canonicos libros admittentium contrarium ostendunt (a). Inscriptio libri inde repetenda, quod plures Salomonis sententiæ attingantur et explanentur, ob idque ipse, tanquam *hebraicus sapiens* anthonomastice, loquens inducitur; non tamen ex aliarum sententiarum Salomonis farragine liber coalescit, quod superiora argumenta pro ejus origine alexandrina comprobant. Inverosimile prorsus est, ne plus dicam, ætate salomonica materia-

(a) Conf. II, 13 παῖδα κυρίου, cum Mat. XXVII, 43; Jo. XIX, 7 υἱός τοῦ θεοῦ pro Messia: II, 13, 16-19 cum Jo. V, 18; Mat. XXVII, 40; Sap. III, 7-8 et V, 15 cum Mat. XIII, 43; XIX, 28; Apoc. II, 26; Sap. II, 6 cum 1 Cor. XV, 32; Sap. IV, 10 cum Hebr. XI, 15; Sap. VII, 26 cum 2 Cor. IV, 4; Colos, I, 15; Hebr. I, 3; Sap. XIII, 1.... cum Rom. I, 20...; Sap. XV, 7 cum Rom. IX, 21; Sap. XVII, 20 cum 2 Pet. II, 17; et inter Patres Barnabas, Clemens rom., Irenæus &c., unde etiam libri canonica auctoritas abunde constat.

lismum et atheismum jam evolutum fuisse prout cap. II apparet; enumeratio quatuor virtutum *cardinalium* (VIII, 7) ac præsertim longa antithesis inter hebræorum et ægyptiorum conditionem instituta, nostram sententiam confirmat.

363. Jam restat ut divinam libri auctoritatem vindicemus, quam præter argumenta externa (conf. n. 362 nota et sect. 2ᵃᵐ et 4ᵃᵐ ubi generatim hæc omnibus deuterocanonicis vindicatur), ipsa doctrinæ sublimitas atque præstantia demonstrat; cum in nullo ethnico philosopho, etsi multum in veteribus traditionibus erudito, tam sublimia dogmata inveniantur circa Dei attributa, omnium rerum creationem, animæ immortalitatem, præmia vel poenas futuræ vitæ, sapientiæ studium atque præstantiam, primam hominum conditionem, originale peccatum, supremum judicium, bonorum terrestrium inanitatem ac virtutis excellentiam, pluritatem Personarum Divinarum, Christi passionis prænuntiationem, aut saltem tamquam instinctivam adumbrationem; quæ omnia illorum sententiam respuunt, qui e græca philosophia hæc derivata in christianismum, vel etiam in hunc atque Ecclesiastici librum inscite affirmant. Eadem divinam revelationis evolutionem ostendunt a Deo effectam, ut ita via christianismo paratior esset.

Objiciunt vero protestantes et rationalistæ 1° animam mundi cum græcis philosophis hic admitti (I, 7), sicut et virtutes cardinales (VIII, 7), et materiam informem (XI, 18), futura præmia poenasve (III et V), animorum præexistentiam (VIII, 19-20); 2° a Philone etiam multa fuisse derivata, ut doctrinam de Dei Sapientia seu Logo, ac mysticam Scripturæ interpretationem; 3° plura falsa aut nimis exaggerata, ut templum ante mundi initia præparatum (IX, 8), Adami in res omnes summum dominium ac perfectam cognitionem etiam post peccatum (X, 2) perinde ac Jacobi (ib. 10), Caino diluvii causam, Josepho regiam dignitatem tributam (X, 4 et 14), Abraham babelicæ turris constructioni coævum, Lothum justum totumque populum hebraicum depingi (X, 5, 6, 15, 20; XII, 9; XVI, 23; XVIII, 1, 7; IX, 20 coll. Ezech. XX, 7-8 ac XXIII, 3), chananæos veneficos, præstigiatores, parricidas, antropophagos, muscarum cultores (XII, 4-6, 23-24 coll. 8), prodigialem Pentapoleos ruinam ac statuam salis ex Lothi uxore factam adhucque manentem (X, 6-7), ægyptios locustarum morsibus enecatos ac fame pereuntes ob corruptos cibos, atque terriculamentis conturbatos, dum hebræi tunc primum creatis avibus saciarentur (XVI, 2, 3, 9; XVII, 2...), manna Angelorum cibum om-

nigenique saporis (XVI, 20-21), herbosum maris fundum ac animalia transmutata (XIX, 7, 18), ignem et aquam alternatim inermes ut fructus consummerentur, at insecta, antea tamen absumpta, minime perirent (XVI, 17-18, 22; XIX, 20), fabulosum Plutonis regnum, orci portas, fluvium Lethem, ambrosiam (I, 14; XVI, 11, 13; XIX, 20 gr.), idololatriæ originem falso assignatam (XIV, 15).

His respondemus: 1.° neutiquam admitti hic animam mundi, sed Dei immensitatem et scientiam efficaciamque per totam creationem, ut contextus evincit, ac plura attributa *Spiritus Dei* hic assignata. Virtutes, quas dicunt cardinales, diverso ordine enumerantur diversamque significationem præseferunt quam apud Platonem, justitia præsertim, quæ reliquas in æquilibrio sustinendi officium a Platone accepit, dum in libro nostro vulgarem significationem retinet unicuique tribuendi quod suum est. Materia informis hic increata non est, ut platonica, sed a Deo creata, posteaque condita (conf. I, 14 cum X, 1 circa vim vocis κτίζω), unde narratio mosaica confirmationem et explicationem accipit. Præmia poenasque futuræ vitæ perpetuum hebræorum fuisse dogma sæpe diximus (conf. Archæol.), ac in libro nostro absque ethnicorum superstitionibus, fabulis et erroribus apparet. Animæ præexistentiam loco citato doceri falsum prorsus est, non enim temporis hic ratio habetur, nisi absurdum contextum admittas, sed animæ ac corporis; locus vero ita est intelligendus: «*puer eram ingeniosus*, quippe *bonam animi indolem sortitus*: *potius vero* (μᾶλλον δὲ, conf. Rom. VIII, 34; Gal. IV, 9 &c.) quia cum *bona animi indole* et consonum *corporis habitum* nactus fueram nullo flagitio *coinquinandi*, quippe quod ad virtutis exercitium, Deo præsertim opitulante (v. 21), facile se præberet». Alia cum platonicis ceterisque philosophis communia hic tradi, minime mirum est, cum et ipsi veritatem quandoque attigerint plurimasque veritates a populo, id est, a veteri traditione receperint, quas immerito ac falso ab illis primum inventas multi tenent. 2.° Quid inter Philonis ac judaicam et christianam doctrinam affinitatis et discrepantiæ intercedat, in archæologia satis pro re nostra attigimus (conf. n. 155). Plura autem similia esse in libro Sapientiæ duobus ex fontibus manat, quia scilicet Philo judæus erat alexandrinus, multaque dogmata et morales veritates ac orales traditiones servaverat; et quia autor libri sapientiæ philosophos alexandrinos attingit, illorum sapientiam cum revelata sapientia comparat, plures opiniones carpit, ac denique illorum loquendi rationi se accommodare studet. 3.° Ex iis quæ falsa aut exaggerata dicuntur, pleraque e male intellectis singulis locis procedunt, alia ex traditione derivata sunt, aut

etiam auctoris singulari inspiratione, alia e forma satis declamatoria libri, rhetorum amplificationibus ac dictionis figuris intercepta, quæ veritatem minime offendunt. Sic tabernaculi templique exemplar ἀπ' ἀρχῆς, ab initio, id est, ab antiquo datum est, quippe Moysi in monte monstratum (conf. similem phrasim Neh. XII, 45; ps. LXXIII, 2; LXXVII, 2; Is. II, 6, &c). Quod summum Adamo in creationem dominium post peccatum tribuatur histerologia est, inde repetenda quod auctor opportunum duxit Sapientiæ in Adamum insontem sontemque studium uno eodemque commate significare. Jacobo monstratum est *regnum Dei et scientia sanctorum*, hoc est, cognitio Angelorum (sancti=Angeli, קדושים, Ἅγιοί, Job. V, 1; XV, 15; ps. LXXXVIII, 6, 8; Dan. VIII, 13; Zach. XIV, 5), quæ ipsi donata fuit (Gen. XXVIII, 12). *Injustus* cui tribuitur causa diluvii, omnis est qui Cainum imitatus fuit (X, 3...), ob idque appellativo nomine designatur. Josepho principalis potestas tribuitur, non stricto sensu *regia*, licet vox *sceptrum regni* adhibeatur, quod de principibus et aulicis usurpari etiam solet (Conf. Sap. X, 16 cum ps. CIV, 30 coll, Ex. VIII, 3-9). Capite X, 5 minime de populorum consensu ad turrim babelicam construendam (tunc unus erat populus) sermo est, sed de eorum in idololatriam ac perditos mores consensu. Lothi integritas ejus incolumitate et Petri testimonio (2 Pet. II, 7) comprobatur; populus autem justus seu pius, id est, veri Dei cultor dicitur, hæcque omnia relative ac per antithesim intelligenda sunt cum reliquis populis institutam. Chananæorum flagitia partim constant, partim suæ superstitionis consectaria sunt, ac ex carthaginensi phoenicum colonia abunde demonstrantur. Filios in sacrificium offerre consuevisse omnes norunt, quod sufficit ut parricidii et anthropophagiæ accusentur, cum mos esset victimarum sanguinem degustare, antequam cremarentur. Muscas coluisse nec constat (cum Beelzebub potius ut muscarum averruncus deus haberi debeat), nec in libro nostro traditur, sed chananæos a vespis abactos fuisse asserit, ægyptiis tantum earum venerationem tribuit. Nomine Pentapoleos regionem potius quam quinque civitates noster intelligit, ob idque cum Genesi non pugnat (XIV, 2), et cum modernis viatoribus et geographis in definienda soli natura congruit: discrepantia, si qua est, a posterioribus immutationibus procedit, nonnullaque auctor forte dixit rhetorum more, quæ communiter tunc admittebantur, ex quibus vim præcipuam ad scopum suum paræneticum derivare poterat, hocque sufficit quum liber historiam dare non intendit, idemque dicendum quod de systemate hebræorum cosmogonico alibi adnotavimus. Locustarum ac muscarum genus hebraico græcoque hellenistarum sermone minus

accurate exprimi solebat, proindeque quales species fuisse eas de quibus hic sermo est, nemo determinare potest: certo de uno alteroque animantum genere hominibus præter mortem (forte prodigialiter) infenso Moysem locutum fuisse, ex ejus verbis æque ac Pharaonis deprecatione colligitur locustarum incursum mortem denominantis (conf. Sap. XVI, 9 cum Ex. VIII, 21-24; X, 4-6, 14-17). Ægyptiorum fastidium, terriculamenta, &c. vere esse potuerunt, et amplificationes etiam rhetoricæ juxta rei veritatem aut saltem verosimilitudinem factæ. Manna Angelorum cibus dicitur, id est, e coelo seu atmosphæra descendens, ob idque de coelo vocatur a Moyse (Ex. XVI, 4) et psalte (LXXVII, 24-25), satisque hiperbolice dicitur omnem saporem habuisse, quia et gratum erat, et omnibus sufficientissimum: ceterum hoc ad literam plurimi interpretes accipiunt. Similis hyperbole adhibetur in descriptione maris rubri exsiccati, cujus fundum musco et algis refertum est; ac animales terrestres per mare ambulasse, aquatiles autem, ut ranæ (Ex. VIII, 2-13), terram occupasse traditur, minime vero agitur de cujuslibet animalis transmutatione. Similis tropus aliique in reliquis descriptionibus intelligi debent, minime vero constat sciniphes una cum ranis et muscis jampridem abactos fuisse (Ex. VIII, 16, 19 coll. VIII, 13, 31), locus vero XIX, 20 de manna agit. Inferorum regnum et portæ mortis nil mythologicum sapiunt, sed inferorum seu mortis dominationem, et mortuorum sedem significant; ambrosia figurate dicitur suavior quilibet cibus; Lethes hic non venit, sed de mandatorum profunda oblivione sermo est (conf. XVI, 11 gr.). Idololatriæ (non *physiolatriæ* nec *polytheismi*) non unam sed varias causas liber noster assignat, idque vere et cohærenter ad statum suorum coævorum ac concivium ægyptiorum; minime vero alias respuit, nec philosophorum hac de re opiniones tamquam dogmata habendæ sunt. Confer de hoc *Annales Philosophiæ christianæ*, an. 1859 et 1860, ubi Van Drival 7 præcipuas causas assignat: 1ª est adoratio spirituum, qui ab initio crediti sunt, 2ª sabæismus, 3ª cultus virium naturæ absconditarum, 4ª abusus symbolismi, 5ª apotheosis ob metum amoremve (Sap. XIV, 15-22), 6ª vera operatio diabolica, 7ª forma antiqua doctrinæ tradendæ per mysteriosas obscurasque ambages. Hæc ibi longe deducta vide, quæ quidem satis opportuna sunt ad vulgatas hac de re, ac super origine historiaque religionum, rationalistarum theorias refellendas.

CAPUT XXVI.

Liber Ecclesiastici: partitio et argumentum: lingua, auctor et ætas: auctoritas divina: adnotatio circa duos textus græcos et eorum versiones.

364. Hic liber *Ecclesiasticus* (Σοφία Ἰησοῦ υἱοῦ Σειράχ) dictus est ex argumento et auctore, vel ex ejusdem olim in Ecclesia ad catechumenos præcipue erudiendos usu et prælectione juxta plerorumque sententiam; estque Proverbiorum libro quamsimillimus, postremusque inter poëticos doctrinales, seu sapientiales (qui omnes in missali romano allegantur uno titulo *Sapientiæ*). Argumentum simile omnino est libro Proverbiorum, nisi quod non ita presse stricteque, sed plenius, abundantius quam alter rem pertractat, et singulatim ad virtutum vitiorumque causas, occasiones et exitus intimius inquirendos, et ad plerosque vitæ casus variasque hominum, mediæ præsertim sortis, rationes et vices accommodatur. In duas partes distribui commode potest, quarum 1.ª sapientiæ laudes et hortamenta continet (cap. I-XLII, 14), altera exemplis antiquorum rem totam illustrat (XLII, 15-L), et oratione auctoris ad Deum concluditur (cap. LI). Prima pars in binas subdividitur forma potius quam substantia discretas (I-IX et X-XLII), ut pariter in Proverbiis evenit, et utriusque forma similis in utroque libro est, nisi quod non ita breves aculeatæque hujus sententiæ sunt, ut in libro Prverbiorum. Sed omnia tamen mutuo conjunta sunt, opusque unum complent, frustraque et absque gravi fundamento aut operis unitas aut singularum partium genuinitas impugnata fuit, vel tamquam plurium sapientum præclara dicta academica disputatione a nonnullis habita sunt. Equidem bini græci textus (ed. complut. et romanæ) a se mutuo discrepant, sicut etiam versiones, cumprimisque latina vulgata (antiquissima, ante Hieronymum existens, et ab eodem forte auctore facta qui librum Sapientiæ interpretatus est); sed hæc criticam textus integritatem attingunt, minime vero authentiam et genuinitatem; stili autem inconstantia quædam a diversitate ma-

teriæ ac fontium ex quibus auctor haurire solebat (omnes pene V. T. libros), repetenda tantum est; plerumque tamen Salomonem imitatur et in sententiis et in elocutione.

365. Ob hanc libri cum Proverbiis similitudinem, ac forte quia uno cum quatuor precedentibus volumine describi solebat, Salomonis a nonnullis dictus fuit; sed auctorem ipse fatetur Jesum filium Sirach, qui hebraice illum edidit, ejusque nepos (forte cognomen) in Ægypto græce reddidit, ut ipse in prologo asserit. Hebraicum textum S. Hieronymus viderat sub titulo משלים, *parabolarum*, sed deperditus est; quem græcus ad litteram nimis exprimit, ita ut quandoque græca syntaxis elegantiaque satis neglecta, nonnullaque errata exinde explicari posint (a). Libri tenor posteriorem etiam auctorem necessario exigit, et quidem palæstinensem, ac Simonis Oniæ filii sacerdotis coæqualem; cum vero ex prologo constet libri interpretem, auctoris nepotem, sub Ptolomæo in Ægypto vixisse, atque ex suffcientibus indiciis hic Ptolomæus Evergetes 1.s fuerit, tertius scilicet Ptolomæorum (247—221), restat ut librum compositum fateamur circa annum 280, græce vero donatum circa a. 230: vel si Ptolomæus 7.s coævus fuit ac Simon 2.s summus pontifex (quod multa reffellunt, cumprimis tot laudes Simoni huic tributæ, altero silentio prætermisso), tum scriptus fuisset circa a. 180, interpretatus vero circa a. 130 ante Christum. Conf. libri prologum, persecutiones ab auctore in Palæstina latas, confugium in Ægyptum (ibi ergo judæi bene habebantur) ac regum lagidarum chronologiam (supra 226). Primam sententiam inter modernos tenent Welte, Scholz, Danko, Keil, Vaihinger, Zundel, Ghiringhello, Glaire; alteram Dillmann, Delitzsch, Fritzsche, Rohrbacher. Proinde hic liber Sapientia prior tempore est, etsi ordine posterior, atque in historia revelationis ejusdem fere cum Proverbiis et Sapientia prætii, et ad prudentiam acquirendam moresque emendandos numquam nimis laudatus.

366. Argumenta quæ contra ejus auctoritatem divinam

(a) Ut cum, accepto vocabulo ראש pro *capite*, vertit οὐκ ἔστι κεφαλὴ ὑπὲρ κεφαλὴν ὄφεως, non est caput nequius super caput colubri, *pro non est venenum* &c., XXV, 15, vulg. XXV, 22; conf. etiam XXIV, 27 gr. vulg. 37.

protestantes congerunt, minora iis sunt, quæ librum Sapientiæ impetebant, ac ejusdem fere generis. Multa etiam a minus certa lectione sive textus græci utriusque, sive versionum procedere possunt, aut ex malo desiderio falsa et absurda in hoc libro inveniendi; cæterum jam æquiores protestantes sunt, qui illum magnis laudibus extollant, et injurios erga eum proprios parentes fateantur, ut Staulin, Conz, Addisson, Eichhorn, Bretschneider, cujus hæc verba sunt *(Liber Jesu Siracide*, pag. V-VI: «Doctrinæ enim puritas, præceptorum ubertas, vera in rebus humanis et divinis sapientia, consiliorum de quovis vitæ genere, de prudente cum hominibus quibuscumque agendi ratione salubritas, humanitatis erga homines et pietatis erga Deum sincerrimæ maxima commendatio, aliæque quibus opus Nostri splendet, virtutes, intelligentiores ac meliores quosque ita semper delectarunt, ut hujus libri apud omnes fere esset et summa auctoritas et frequentissimus usus. Quorum in numero fuerunt in primis Patres Ecclesiæ christianæ, et doctores Ecclesiæ usque ad tempora *emendationis sacrorum* (protestantismi)».

367. In antiquis versionibus alius a græcæ ordo invenitur a capite XXX ad XXXVI. Latinam non ab hebræo sed a græco textu procedere, tum generalis regula omnes nempe Scripturæ libros antiquæ vulgatæ e græco fuisse conversos, tum plura græca verba in illa servata demonstrant, v. g. *eucharis*, *acharis*, &c. Comparatio utriusque textus nova indiget investigatione, judicio Welte, Scholz et Fritzsche. Vero simile est originalem textum in antiquis græcis manuscriptis sæpe breviatum (nonnulla recentiora vulgatæ similia sunt), in latino vero amplius redditum fuisse: nullus alius liber iis alterationibus commodior fuit. Capite I v. g. potest v. 2-3 nuda ampliatio esse v. 2-3 gr.; v. 19 repetitio est v. 13, sed v. 5 vulg. invenitur in græcis manuscriptis, ut 27, quem clem. ant. fert. Etiam syriaca versio textum ampliorem offert, est vero satis corruptus et ex arabico originem ducit. Armeniaca versio sæculi 5 omnibus perfectior est. Hæc fere habet Reusch.

CAPUT XXVII.

De Prophetismo: vox *propheta*: donum ac ministerium propheticum: electio ac illuminatio Prophetarum: ætas: criteria quibus discerni poterant: vaticiniorum objecta: diversitas inter prophetias ac ethnicorum divinationes.

368. Prophetæ in S. S. dicuntur: 1.° qui notionibus profundioribus præstant, præcipue in divinis rebus (Tit. I, 12; 1 Cor. XIV, 6); 2.° qui occulta norunt, etsi præsentia vel præterita (Mat. XXVI, 68); 3.° qui ut Dei instrumenta quidquam loquebantur, quin ipsi rem intelligerent, veluti Caiphas (Jo. XI, 51); 4.° Dei vel alterius *oratores* (idque antiquitus significavit etiam vox προφήτης ac נביא, Ex. VII, 1 coll. IV, 16-17; Jer LI, 59); 5.° qui sacros hymnos componere aut decantare solebant, adhibitis etiam musicis instrumentis (1 Reg. X, 6; XVIII, 10; 4 Reg. II, 5); 6.° qui miracula patrabant, ut ossa Elisæi (Eccli. XLVIII, 14 coll. 4 Reg. XIII, 21; Jesus etiam ut *magnus propheta* habitus est ob multa quæ fecerat miracula, Luc. VII, 16); 7.° denique proprio sensu qui futura prævidebant ac prænuntiabant quæ soli Deo nota esse possunt (dicebatur proprie propheta hoc sensu רֹאֶה vel חוֹזֶה, generatim נביא a נבא = נבע *ebullivit*, unde *copiose effudit sermones*).

369. Institutionem permanentem et ordinariam non constituerunt; sed extraordinarie a Deo mittebantur, cum ipsi placebat præsertim ad urgendam Legis observantiam; erantque veluti extraordinarii Jehovæ legati, cum reges et sacerdotes essent ordinarii ministri; quos etiam, non solum populum, ob male facta objurgabant, ad bonum incitabant, Dei voluntatem eis ostendebant in gravioribus negotiis etiam politicis, quod in theocratia facile intelligitur, ac denique futura nuntiabant, præsertim personam, characterem, missionemque Messiæ. In regno Israelis plus valuit prophetismus quam in altero Judæ, eo ipso quod pejores et a theocratia magis alieni essent reges, nullum aaronicum sacerdotium,

lexque aut penitus oblita aut derelicta. Exstiterunt etiam scholæ prophetarum (in sensu 5.°) ab antiquiori et digniori propheta ordinatæ ac rectæ, quæ mutuas relationes servabant, eorum alumni sese mutuo invisebant, atque per studium et observatiam Legis ad *munus propheticum*, imo ad *donum gratuitum prophetiæ*, aptiores reddebantur; quamvis donum hoc etiam peccatoribus concedi a Deo possit, ut factum est quandoque (Balaam, Jonas, Caiphas, conf. Mat. VII, 22), sed ordinarie viri sancti eligebantur, ut eorum prædicatio ac munus divinum debita veneratione haberetur, quod in suis legatis et ministris Deus semper intendit. Ceterum *ars prophetandi* in iis scholis nulla tradebatur, nec hujus rei aliquod vel minimum vestigium est, præter nomen, quod satis ex dictis intelligitur; atque prædictæ scholæ non incongrue nostris monasteriis comparari possunt, quibus etiam alumni Dei legem discunt ac servant, atque in pietate ac animarum zelo proficientes, *ministerio publico prædicationis* aptiores redduntur, minime vero se præparare intendunt miraculis patrandis ac edendis vaticiniis. Probe igitur distinguendum est *ministerium propheticum* a *dono prophetiæ*, quæ communiter in iisdem individuis juncta inventa sunt, sed non semel discreta (v. g. in Jacobo, Davide, Salomone, &c, qui *donum* non *ministerium propheticum* sortiti sunt).

370. Eligebantur a Deo liberrime Prophetæ ex quolibet hominum genere, ac divina voluntas et occultæ veritates aut futuri et soli Deo noti eventus *multifariam multisque modis* ipsis pandebantur (Hebr. I, 1), veluti Angeli ministerio, aut in somniis, aut per visiones symbolicas, quas non semper Propheta intelligebat, et a Deo explicationem quærebat, aut in extasi, aut denique interiori luce, quo illustrata Prophetarum mens futura perspicue vel sub quadam calligine videbant ac noverant. Nullus sane ex iis aliisve modis Deo difficilis est, nec possumus exacte definire fænomena psychologica, quibus Prophetæ sub divina inspiratione subjecti erant, frustraque et gratis a nonnullis minutim determinari solent. Hoc unum constat, quod utile et necessarium est: inspirationem Prophetarum vere fuisse supernaturalem, non arte ulla aut humano modo comparatam; alioquin eorum vaticinia veræ prophetiæ esse non possent, nec propriis eventibus adamussim compro-

bata, sed vagis et contortis atque ambiguis paganorum oraculis, divinatorum aut pithonisarum sententiis similia. Hoc quidem increduli asserunt, sed summa injuria; unde nullum, ex tot quæ circumferuntur, paganorum aut sibyllarum vaticinium allegare valent, de quo hæc tria constent: ante eventum vere editum fuisse, in causis naturalibus minime prævideri potuisse, ac demum ad amussim fuisse completum, non ex parte, non casu, non aliqua fraude; quæ quidem conditiones de præcipuis Sacrorum Bibliorum vaticiniis demonstrari facile possunt, ob idque cum paganorum oraculis, quidquid demum de iis sit, minime sunt comparanda.

271. Prophetæ veteres ante seculum octavum ministerium propheticum ut plurimum cum inspiratione etiam prophetica acceperunt, sua tamen vaticinia litteris non ipsi consignarunt, specialibus nempe voluminibus, prout fecerunt septemdecim posteriores; fueruntque præcipui, præter Moysem et Samuelem, Nathan, Gad, Elias, Elisæus &c.; nonnullæque prophetissæ etiam commemorantur, Maria, Debbora, Holda. Illi qui libros propheticos ediderunt sunt quatuor prophetæ majores dicti (in quibus comprehenditur in versione græca et vulgata latina liber Baruchi) ac duodecim minores, ita appellati, quia eorum volumina minora sunt, atque jam antiquo hebræorum canone uno libro conjuncta.

372. Criterium optimum ad prophetas hebræorum veros dignoscendos nobis esse potest prophetiarum adimpletio, demonstrata semel vaticiniorum authentia. Ast hebræis prophetarum coævis alia esse debuerunt criteria, tum negativa, tum positiva. Cum enim prophetæ, sive futurorum vates, sive ministri Dei extraordinarii, aut utrumque essent, missionem divinam patefacere deberent ad ejusdem scopum assequendum; certæ quædam notæ exstiterunt quibus a falsis prophetis ac veteratoribus secernerentur. Itaque notæ negativæ quibus ut falsi vates erant judicandi, et quidem morte mulctandi, erant idololatriæ prædicatio et vaticinia eventu non comprobata (Deut. XIII, 1-3 et XVIII, 22), ac etiam oppositio legi aut vero prophetæ (3 Reg. XXII, 28; Jer. XXVIII).

Positive autem suam missionem comprobabant patratis veris miraculis, vaticiniis editis, quorum eventus suo tem-

pore ad amussim sequebatur, ac testimonio alterius prophetæ certe a Deo missi. Quia tamen inspiratio prophetarum permanens minime erat sed transitoria, iisdem signis patefieri debebat quotiescumque novum erat edendum vaticinium. Patet igitur non coeca superstitione ab hebræis ut Dei ministros prophetas habitos fuisse; quin immo ex eorum historia constat incredulitate potius quam nimia fide israelitas laborasse in supernaturali prophetarum missione admittenda. Quidquid ergo increduli et rationalistæ obtrudant *de vi quorumdam extatica*, *de mirabili imaginationis vi*, *de magna mentis spontaneitate*, *imo de animali magnetismo aut somnambulismo*, si superis placet; nihil prorsus evincit adversus *perspicuam hebræorum et prophetarum historiam*, *vaticiniorum authentiam* (quam propterea vindicabimus præcipue circa Isaiam et Danielem), *et eorum adimpletionem undequaque completam sane et mirabilem*. Hic rursus *ad facta* trahenda quæstio est, non metaphysicis systematibus subjicienda. Si Deus est, etiam prophetia est possibilis; utrum autem exstiterit, non ex humanæ naturæ prætensa occulta vi (a), sed ex factorum indubiorum dilucidatione judicari debet. Nempe res in promptu est. Judicare opportet ordinariis critices regulis num liber e. g. Isaiæ aut Danielis genuinus sit; deinde quid ibi vere legatur, utrum nempe futuri eventus nuntientur, qui absque Dei numine prævideri ac certo prænuntiari non poterant; denique utrum eventus vaticiniis responderint. Quæ si non constent, nulla ibi datur prophetia; si vero recta ratione, regulis critices germanis, ac bono sensu re vera adfuisse demonstrentur, nihil jam restat, ac veræ prophetiæ admittendæ sunt.

373. Vaticiniorum objecta diversa fuerunt, res nempe ad hebræorum theocratiam spectantes proxime vel remote, ad populos etiam israelitico proximos, ac præcipue ad Messiam, aut directe, aut typice vel symbolice. Quandoque etiam vaticinia edebant ad ministerium tantum propheticum confirmandum, ac sæpe non verbis, sed actione symbolica rem futuram prænuntiante. Edebant vero suas pro-

(a) Quæ aliunde quotidie perficere posset, quod aliquando fecisse asseritur, ac proinde quotidie similia edere posset vaticinia, quod audeant si velint rationalistæ.

phetias coram populo, regibus, sacerdotibus, prædicantium more, quas dein litteris consignabant; sæpe autem immediate scribebant, quod in Isaia videtur frequentius accidisse. Quocumque demum modo vaticinia ederent, poëticum stylum ut plurimum servabant, prout eorum præstantia, effectus divini numinis, immediatus prophetarum concionatorius scopus, ipsa demum futurarum rerum natura et nexus, non semel ipsis vatibus subobscurus, postulabant. Posteriores tamen prophetæ ad solutam orationem potius accedunt. Ex iis omnibus fluit prophetiarum exponendarum non levis difficultas, quæ singularem curam et laborem postulat singularesque regulas in hermeneutica enucleandas (conf. n. 733). Quod si posteriores hebraici vates (non simplices poëtæ, nam isti veras prophetias non edunt) præcedentes imitari solent et in dicendi modo, et in rebus ipsis vaticinatis; minime hinc eruitur non veros prophetas ipsos fuisse, sed Deum paulatim ac gradatim regnum messianicum preparasse et prædixisse, quod jam alibi adumbravimus. Sic multa repetunt posteriores prophetæ, sed multa etiam apertius annuntiant, aut nova pandunt, ut in Moyse, Davide, Isaia, Michæa, Daniele, Aggæo, Zacharia et Malachia circa res messianicas facile invenitur. Nempe omnes prophetæ in unum conspirant, imo omnes utriusque Testamenti libri, quorum finis Christus est; quod mirandum est fænomenon ob tot scriptorum tantamque diversitatem, nec unquam oblivioni tradendum, ut et vis omnium prophetiarum simul sumptarum, et universum revelationis opus intimius percipiatur ac comprehendatur. Denique prophetiæ V. T. illud ponderis habent, quod nempe ejusdem divinitatem demonstrent, ac messianicæ præsertim, quæ præcipuæ sunt ac majori cura distinguendæ atque interpretandæ (conf hermen. n.° 731).

374. Certum est nonnullas prophetias mediante extasi communicatas fuisse (conf. Act. XXII, 17; Apoc. I, 10...), quod Patres agnoscunt; negant tamen has quidquam commune cum ethnicorum μαντικαῖς habere, aut cum insanis montanistarum aliorumve fanaticorum motibus. «Neque vero, ait Hieronymus, ut Montanus cum insanis feminis somniat, prophetæ in ecstasi locuti sunt, *ut nescirent quid loquerentur*, et cum alios erudirent, ipsi ignorarent quid dicerent.»

Ex dictis sequentia intelliguntur: a) prophetæ futura depingunt, qualia in spiritu ipsi vident, nempe ut præsentia, (prophetia præsens aut præterita); b) quoniam illuminatio prophetarum habitualis non erat nec universalis, inveniuntur in eorum vaticiniis quædam non undequaque ab ipsis intellecta, sed partim ac per fragmenta tantum, unde primo aspectu nonnulla apparent contraria in sermone prophetico (Is. II, 2; Joel III, 2; Is. IX, 6 et LVI, 2); c) raro edocebantur prophetæ de tempore quod inter eos ac eventus prædictos, aut inter ipsos eventus jacebat, unde non semel eventus depingunt valde inter se dissitos absque temporis adnotatione, vel etiam juxta eorum connexionem internam, ac proinde quasi immediate se mutuo excipere deberent (conf. e. g. Joel II, 28...); d) eventus ac conditio futuri temporis ita ostenduntur a Prophetis quandoque, ut ea e præsentibus aut præteritis rebus desumant (conf. Joel II, 32; III, 17..; Am. IX, 11; Abd. 17... Mich. IV, 1...); e) ex iis adjunctis illuminatur aliquantum prophetiarum obscuritas, quæ a S. Petro comparatur *lucernæ lucenti in calliginoso loco*. Dum nobis plerumque jam claræ sunt eventibus ad amussim impletis; coævis multa erant satis quidem perspicua ad alendam fidem, spem, desideria, non tamen ad futurum tempus dignoscendum. Imo in quibusdam prophetiis sensus illarum completus ipso Vati occultus manebat; «etiam veri Prophetæ, ait S. Th. 2. 2, q. 173 a. 4, non omnia cognoscunt, quæ in eorum visis aut etiam factis Spiritus Sanctus intendit». Hæc de prophetis generatim tenenda, una cum iis, quæ in hermeneutica longius enucleabimus circa Scripturarum antilogias, typos in V. T. exstantes, ac principia et regulas exponendarum prophetiarum.

375. Distinguuntur Prophetæ vaticiniorum amplitudine, atque locutionis et styli differentia. Sub postremo respectu eminent Isaias, Joel, Michæas et Habacuc. Isaias vaticinatus est seculo 8 ante Christum, ideoque ante captivitatem babylonicam; Jeremias hac jam instante, sed fere omnia ante ipsam, aut forte omnia; Ezechiel partim ante, partim post initium captivitatis; Daniel hac durante. Duodecim Prophetæ minores in unum librum jam diu collecti fuerunt; quorum tres posteriores vixerunt soluta jam captivitate, reliqui ante ipsam, sed dubium aliquando est

qua præcise ætate vixerint. Reuschio videntur Oseas, Amos et Michæas coævi Isaiæ, Sophonias Jeremiæ; Jonas vixit circa annum 800 juxta 4 Reg. XIV, 25; Habacuc et Nahum post ruinam regni Israëlis, Joel et Abdias antea, probabiliter coævi fuerunt Amosi. Ceterum postea ad hæc propius accedemus.

CAPUT XXVIII.

Isaias: argumenta prophetiarum ejus: authentia.

376. Isaias, filius Amosi (a) prophetavit a postremo anno regis Oziæ († 759, conf. VI, 1 ubi sermo est de inauguratione Isaiæ prophetica, licet multi repugnent) ad decimum quartum saltem Ezechiæ, sed fere certo ad prima tempora Manasses, a quo juxta hebraicam traditionem serra lignea martyrium passus est. Huic traditioni nihil est quod obstet, non ratio temporis, si admittas plusquam 60 annis prophetasse (Ezechias vita functus est anno 698), non inscriptio libri, quæ probabiliter refertur ad tempus quo *ministerio prophetico* functus est, quod ætate Ezechiæ reliquit ac privatam vitam egit, et eam sui libri partem conscripsit, quæ ad tempora captivitatis et regnum Messiæ refertur (cap. 40-66), quæque ætate pessimi regis Manasses apprime convenit, minus autem Ezechiæ. Probabile est etiam primam libri partem jam fuisse compositam dum Isaias ministerium publicum dereliquit, cui deinde alteram adjecit circa finem vitæ absque nova inscriptione. Patres etiam locum Hebr. XI, 37 de martyrio Isaiæ interpretati sunt. Juxta 2 Par. XXVI, 22 scripsit Isaias historiam Oziæ regis, et juxta XXXII, 32 forte aliam Ezechiæ.

377. Isaiæ vaticinia in duas partes distingui possunt. Prima arguit judæos ac cladem minatur assyriacam per Sennacherib, babylonicam per Nabuchodonosor, et romanam per Titum, illorum excæcationem et reprobationem ætate

(a) יְשַׁעְיָהוּ, *salus Jehovæ*, LXX Ησαΐας, vulg. ant. Hesaias: pater ejus Amos אָמוֹץ fuit, non עָמוֹס propheta.

Christi, cujus nativitatem ex Virgine gloriosumque sepulcrum prædicit (1-12). Deinde vaticinatur contra exteros populos assyrios, philisthæos, syros, phoenices, æthiopes, idumæos, arabes ipsamque Hierosolymam (13-28), in quibus eminet magnificentia et eventu adamussim sequuto prophetia contra Babyloniam (13-14) et contra Tyrum (23). Judæorum devastatio per chaldæos, additis nonnullis solatiis, sequitur, deinde narratio historica nonnullorum eventuum sub Ezechia rege (29-35 et 36-39). Sex priora capita absque ordine chronologico videntur collocata, quo probabiliter ordinata sunt vaticinia adversus exteros populos. Secunda pars (40-66) offert amplam præclaramque picturam futuræ redemptionis ac salutis regnique messianici, quæ in tria fragmenta distribui potest: 1um (40-48) complectitur vaticinia circa liberationem judæorum a captivitate babylonica, alterum (49-57) loquitur de redemptione a *Servo Dei* peragenda, tertium denique de gloria populi Dei tempore messianico (58-66).

«Finis assyriaci dramatis (cap. 37) fuit etiam terminus ministerii prophetici Isaiæ. Nihil est in historia illum respiciens in posterioribus tredecim annis Hischiæ (Ezechiæ).,. Isaias vitam privatam egit postquam ad culmen gloria sui ministerii pervenerat. Tunc suas prophetias collegit in unum. Jam nonnullarum descriptio præcepta ipsi fuerat, ut posteri eas legere et confirmare possent (XXX, 8; XXXIV, 16..). Novas tamen accepit visiones isto tempore, quæ indeterminatæ et inexplicatæ manere debebant, ac futuris generationibus reservatæ. Postquam Israëlem coævum comitatus est usque ad assyriacam catastrophem coram Hierosolymis, a Spiritu traslatus est ultra pericula ab assyriis et chaldæis imminentia, quibus alii inferiores prophetæ servabantur, Sophonias, Habacuc, Jeremias, et in solum captivitatis perductus, ad contemplandam redemptionis consolationem. Post sextumdecimum Hischiæ (Ezechiæ) annum vixit quidem Hierosolymis, ast ἐν πνεύματι inter Babyloniæ exules. Iis ac præcipue ecclesiæ futuri temporis reliquit verba cap. 40-66, ut charum, sed signo munitum legatum. Recte Hengstenbergius ea comparavit postremis Moysis verbis in Campestribus Moab, atque postremis item verbis Domini per Joannem congregationi suorum relictis. Illa sonant, non ut hominum, sed veluti Angelorum verba, tamquam e mundo Spiritus et transfigurationis. Est liber hic totus esotericus. Tantum revelatur apparitio *Servi Jehovæ* in persona Jesu-Christi crucifixi et e sepulchro surgentis». Delitzsch.

378. Quoniam multa Isaiæ vaticinia perspicua sunt et eventibus perfecte respondentia, necessario erat eorum authentia a rationalistis impugnanda, quia veram prophetiam aliquando exstitisse aut existere posse inficiantur; si vero hoc *præjudicium dogmaticum* non *criticum* demas, nullum grave eorum sententiæ fundamentum invenies, dum gravissima sunt, ac prorsus rem demonstrantia, quæ prointegri Isaiæ libri genuitate sunt argumenta externa et interna. Controversia fere tota sita est in 2ª libri parte, et nonnullis capitibus 1æ ut 13-14 ac 23. Præcipui adversarii hic sunt Dœderlein, Justi, Eichhorn, Berthold, Gesenius, Bleek, Stæhelin, Knobel, Bunsen (qui 2am Isaiæ partem absurde prorsus tribuit Barucho), alii denique, rationibus seu *criteriis tantum internis* ducti, cum nulla sint externa. Contra hos præcipue dimicarunt Jahn, Herbs-Welte, Scholz, Stier, Haneberg, Reinke, Hengstenberg, Kleinert, Hævernick, Keil, Delitzsch, Glaire, Danko, Lamy, &c.; qui eo rem perduxerunt, ut appareat nihil prorsus horum capitum genuinitati opponi posse, admissa semel possibilitate prophetiæ, ut alibi sæpe fit in omnibus iis criticorum argumentis contra Sacrorum Bibliorum authentiam.

379. Argumenta externa pro genuinitate secundæ partis libri Isaiæ (40-66) hæc præcipua sunt: α) universalis christianorum traditio usque ad Spinosam ac seculum octodecimum, cui firmissimum pondus tribuunt allegationes ipsius Christi et Apostolorum (conf. Mat. III, 3; VIII, 17; XII, 17-18; Mar. I, 2; Luc. III, 4..., IV, 17-18; Joa. I, 23; XII, 38; Act. VIII, 30-32; Rom. X, 16, 20, præter alia infinita loca, quibus tacito nomine allegatur). Igitur fateri debent adversarii, si vera sit eorum sententia, omnes prorsus Ecclesiæ Patres, Apostolos et Evangelistas, Christum ipsum errore lapsos fuisse. β) Tertio aut saltem secundo ante Christum seculo eadem traditio apud judæos vigebat, ut ipsa versio alexandrina demonstrat, ac præcipuæ Jesus, filius Sirach, qui ait (XLVIII, 27) «Spiritu magno vidit (Isaias) *ultima*, τὰ ἔσχατα, et consolatus est lugentes in Sion. Usque in sempiternum ostendit futura et abscondita ante quam evenirent»; quæ verba nonnisi ad secundam partem referri possunt (conf. Is. XL, 1...,) et fatetur præcipuus adversarius Gesenius scribens: «maxima pars hujus laudis, speciatim prænuntiatio longinquorum eventuum et consolatio captivorum in Sion ex secunda Isaiæ parte solum deducta est» (I. 1, 37). γ) Immediate post tempora solutæ captivitatis supponit propheta Zacarias (VII, 4-7) textum

Isaiæ LVIII, 5 ante exilium fuisse conscriptum; nullum enim alium alludi a Zacharia perspicuum est locis collatis, nec adversarii alium designare possunt; hæc autem prædicta et reprehensa dicuntur *cum adhuc Jerusalem habitaretur et esset opulenta*. Igitur si non Isaias, sed alii diversi, ut nonnulli adversarii contendunt, seu unus *deutero-Isaias*, *magnus pseudo-Isaias* seu *magnus incognitus* hæc capita scripsit, statim ac facillime fefellit suæ gentis etiam viros perspicuos, prophetas, collectorem canonis esdrini, quicumque demum fuerit, qui minores prophetas, utut parvularum prophetiarum auctores, ab invicem distinxit, et sub uno nomine Isaiæ omnia 66 capita collegit. δ) In ipsa captivitate eadem judæos credidisse constat ex traditione a Josepho servatâ, nunciatum nempe fuisse Cyro regi se a Deo nominatim fuisse appellatum ad libertatem hebræis concedendam; cui quidem traditioni, quin eam fabularem habeamus, non leve pondus tribuunt ipsa verba, quibus decretum libertatis conceptum est, ubi asserit Cyrus præceptum sibi a Deo (*Jehovah*) ut ædificaret domum in Jerusalem (Esdr. I, 2, comp. Is. XLIV, 28 et XLV, 1..), quæ verba tantum intelliguntur si loca Isaiæ citata jam exstitisse, atque hoc sensu Cyro ab hebræis explicata fuisse credas. ε) Denique prophætæ ante captivitatem viventes Nahum, Sophonias ac præsertim Jeremias hanc 2^am^ Isaiæ partem tacite allegant aut sæpe imitantur, quod a multis jam demonstratum est, præsertim a Caspari et Küper, et facile colligitur collatione Nah. I, 15 cum Is. LII, 1, 7; id. III, 7 cum Is. LI, 19; Soph. II, 15 cum Is. XLVII, 8; Jer. X, 1-16 cum Is. XL, 19-20; XLI, 7; XLVI, 7; XLIV, 9...; Jer. L et LI cum Is. XLVI, 1; XLVIII, 20, &c.. Ecquidem Isaiam nullus ex iis nominatim allegat, sed imitatio manifesta est, sive horum prophetarum a pseudo Isaia, quod incredibile prorsus esset, cum eos omnes ille longe antecedat sublimitate idearum, styli, sermonis &c., sive veri Isaiæ ab iis prophetis, quod bonus sensus suadet, attenta præsertim Jeremiæ consuetudine imitandi a citato Kueper pluribus probata (conf. opus: *Jeremias librorum sacr. interpres et vindex*, Berolini).

380. Nec minus luculenta sunt, quæ ex ipso libro eruuntur pro ejus genuinitate, argumenta interna. Nam a) Inscriptio ipsa vetustissima initio libri exstans ipsum Isaiæ tribuit, nec ulla ratio adest quædam multa vel pauca capita

excipiendi, neque grave indicium eam ab ipso auctore non fuisse appositam. Dein eadem repetitur initio capitis XIII, quod Isaiæ abjudicatur a rationalistis. b) Libri incomparabilis præstantia in omnibus suis partibus, ac similitudo in genere dicendi inter capita minime controversa et posteriorem partem, præstantissimum quidem et unum auctorem postulant eo tempore scribentem, quo hebraicæ litteræ maxime florebant, quod, cum ætate captivitatis et statu servitutis minime componitur. Certo, in omni populorum litteratura inveniri nequit liber sublimis adeo, magnificus, a linguarum exterarum influxu immunis, vivida ac juvenili adeo imaginatione præclarus, qui amissa civili autonomia, destructa patria, captivo populo, sub hostilibus ferreis catenis scriptus fuerit. Hæccine sunt opportuna adjuncta ad admirabile prorsus opus concinnandum? c) Si altera Isaiæ pars cum prophetis comparetur qui circa captivitatem scripserunt, aut in ipso babylonico solo, maxima discrepantia invenietur in dictionis elegantia, ornatuum ac visionum symbolicarum sobrietate, puritate linguæ, absentia cujuslibet picturæ quæ vel ex aspectu regionis babylonicæ, vel ex incolarum moribus, monumentis, vita quotidiana desumpta videatur; quod in Ezechiele et Daniele passim occurrit. Quin potius lingua purior ac limpidior est multo quam lingua Jeremiæ, objicit templum adhuc stantem, populum falsa numina colentem, imo filios Molocho sacrificantem, quod ætati Manasses aut forte postremis Ezechiæ annis congruit, minime vero tempori captivitatis, a qua omnis idololatria e populo israelitico disparuit. d) In toto libro sunt locutiones Isaiæ ita propriæ, ut a reliquis auctoribus eum discernant, quales sunt præcipue *vocabitur* pro *erit*, et *Sanctus Israel* pro *Jehovah*. Sane postrema hæc locutio per totum librum æqualiter occurrit, nempe decies septies in prima parte, ac duodecies in altera, cum in toto V. T. quinquies tantum inveniatur, id est, ter in psalmis LXX, 22; LXXVII, 41; LXXXVIII, 19), ac bis apud Jeremiam, qui hanc locutionem, ut alia, ab Isaia mutuatus est; imo ita propria Isaiæ est, ut semel etiam inveniatur in ejusdem sermone, qui legitur 4 Reg. XIX, 22. e) Auctor secundæ partis se verum prophetam sistit; talia vero fatur, ut ineptum impostorem eum diceres, si media captivitate babylonica, aut illa jam labente scripserit. Talia sunt quæ de Cyro longe prosequitur (XLIV-XLV), ubi

ex prænuntiatione ipsius atque ex ejus electione ad libertatem Israeli tribuendam, scientiam Dei omnium futurorum maximamque potentiam extollit. Hoc autem sensum non habet, si asseras nomen כֹּרֶשׁ, Cyrum, aut appellativum esse, aut posteriori manu additum; præterquam quod nihil obstat, quominus in vera prophetia inveniatur determinatum ipsum nomen personæ ad quam refertur. Idem fere dicas de agendi modo, quem cum hebræis captivis tenuisset, eos tamquam testes invocans hujus prædictionis veluti longe antea factæ, quæ tamen tunc primum in hypothesi adversariorum fuisset inventa. Neque potuisset auctor sanus asserere a nemine ante ipsum captivitatem fuisse prædictam, ut asserit noster (XLVIII, 3—8), quam vaticinatus fuerat Jeremias (L—LI). Igitur nisi ipse fuit Isaias auctor totius libri, ab impostore composita demum fuit altera pars in captivitate, et *animo fallendi*, quamvis sublimi ingenio, eximia sanctitate, dono prophetiæ illustris erat; certum namque est plura ipsum prænunciasse circa characterem, vitam et mortem Messiæ, ac vocationem gentium, quæ ita ad perfectam amussim evenerunt, ut a pluribus jam dictus fuerit evangelista plus quam propheta; unde si adversariorum ratiocinandi modus valeret, quo omnem librum de quadam re loquentem perspicue, post illam scriptum fuisse asserunt, jam auctor noster post prima secula christiana vixisse dicendus foret. f) Accedit demum adversariorum oscitantia in determinando auctore hujus secundæ partis, si unum tantum admittant, ut plerique faciunt cum Gesenio, aut tempore quo præcise illam scripsit, aut scopo ipsius, præsertim dum loquitur de עַבְדִּי יְהוָה *Servo Dei*, aut modo quo ipse demum fefellit universum populum Israëlis, regem Cyrum, sacerdotes et prophetas: accedit imbecillitas argumentorum quibus nituntur, dummodo prophetiam possibilem, ut par est, admittas. Quod dogmaticum præjudicium magis adhuc in illis patefit, qui absque tabulis et testibus cap. XIII—XV cum De Wette Isaiæ abjudicant, nihil enim aliud probare possunt, præter clarissimam rei futuræ contingentis prædictionem. Hoc autem non est criticum agere, sed propria præjudicia in historiam ac veram et independentem criticam scientiam invehere, quod eam necessario labefactat.

CAPUT XXIX.

Solvuntur argumenta adversus authentiam, unitatem et integritatem vaticiniorum Isaiæ: quid intelligat per *Servum Dei*: libri præstantia.

381. Contra genuinitatem posterioris partis libri Isaiæ objiciunt: 1.° linguæ ac styli diversitatem, nempe prima parte purior lingua est stylusque concisus, sententiosus ac frequenter obscurus; in altera vero occurrunt verba chaldaica, stylus difusus ac perspicuus, nonnullæque peculiares dicendi formæ, ut Servus Jehovæ עבד יהוה pro universo populo, aut meliore ejusdem parte, aut denique ipso propheta vel prophetarum coetu, atque vox צדק *justitia* pro *salute*, &c.; 2.° posterior pars non judæis Isaiæ coævis sed posterioribus in captivitate degentibus destinata est, siquidem Judæa depingitur desolata, templum destructum, populus captivus et jam libertati proximus, aliaque plurima occurrunt ab auctore inter captivos degente libri partem controversam fuisse compositam veluti digito monstrantia, uti sermo de chaldæis, omissis assyriis aliisque populis ætate Isaiæ florentibus et negotia cum israelitico habentibus, potentia Cyri regis ipsumque nomen laudatum, quæ omnia ignota et signata fuissent judæis seculi 8, opportuniora valde captivis inter chaldæos; sermo denique ubique consolatorius, et spes libertatis ac restitutionis gloriæ Solymorum regnique davidici ostendit ambo tunc destructa esse; 3.° quod si clarissimæ inspirationi divinæ tribuas, in primis vulgarem superstitionem admittis, a prudentibus non necessario admittendam; deinde contra propriam aliorumque prophetarum consuetudinem Isaiam egisse concedes, cum ipse in priori parte, alii vero universim ex eventibus coram oculis positis quædam divinare consuescant statim adimplenda, aut pro futuro tempore vota faciunt atque ætatem auream depingunt, et quidem modo vago et indeterminato; 4.° ipse auctor contra suos contribules invocat adimpletionem antiquarum prophetiarum circa captivitatem, que aliæ esse non possunt quam Jeremiæ; imo si ante hunc jam Isaias hanc captivitatem vaticinasset, non tanta passus fuisset Jeremias quia primus rem amaram minabatur; et ipse quidem

nominat Michæam (XXVI, 18), minime vero Isaiam, quod non parum utile ipsi tunc temporis erat.

382. His respondemus: 1.° in aula Ezechiæ noscebantur certo vicinorum populorum linguæ (conf. 4 Reg. XVIII, 26) affines adeo hebraicæ, ut totidem dialecti ejusdem idiomatis videantur; nihil proinde mirum est quod Isaias pauca admodum exotica verba adhibuerit, si tamen adhibuit, quod plures jure negant, saltem ea quantitate, quæ alium auctorem saperet (conf. Hævernick, t. III, p. 214...). Ipsa vero lingua, ac præsertim styli diversitas satis explicatur tempore transacto inter primæ et alteræ partis compositionem, materia contenta et adjunctis prophetæ. Nam 1.am partem juvenis adhuc scripsit, alteram senex, postquam vicinorum populorum dialectis assuetus erat; primam durante *ministerio prophetico*, alteram domi reclusus et a publicis negotiis abstractus (a); prima ex variis Isaiæ orationibus et imprecationibus composita est, singularibusque vaticiniis, altera est veluti lucubratio una longior, unaque prophetia ad tempora messianica respiciens et futuram spiritualem redemptionem; nisi quod more prophetarum a typo ad antitypum transiit, aut e contra, a Christo ejusque opera ad Cyrum et concessam ab eo libertatem; imo non semel solum babylonicum, ubi spiritualiter vivit, derelinquit, et ad suos coævos et contribules rediit. In secunda igitur parte diversa materies est diverso stylo pertractanda, diversa sunt auctoris adjuncta, qui totus in spiritu futuris ætatibus vivebat jam senescens; ea tamen ingenii ac phantasiæ vi, quæ in præclaris scriptoribus ac summis viris non deficit ætate. In alterutra vero parte tales characteres et dotes inveniuntur, quæ et auctorem præclarum, et unum, magnum nempe Isaiam, ætatem auream literarum hebraicarum postulant, et calamitosa tempora captivitatis babylonicæ aut eis proxima summe refugiunt.

383. Locutio illa *Servus Jehovæ* de Jesu Christo D. N. tantum intelligitur, prout epitheta adjuncta, vaticinia et orationis contextus demonstrant, ita ut si cum rationalistis intelligeretur de populo hebraico &c., sensum prorsus absurdum, impossibilem et aperte falsum prophetæ tribueres (b). Vox autem עֶבֶד proprie significat sensu ethico quidquid

(a) ¿Nonne invenitur major styli diversitas inter orationes Tullii ejusque lucubrationes philosophicas, inter sermones Bossueti ejusque Historiam universalem, inter polemicas orationes oratorum politicorum nostri temporis, et eorumdem scripta didactica aut mere litteraria?

(b) Sane apud Isaiam hic non de quolibet servo Dei sermo est, *sed de eo qui eximius et præ ceteris unicus inducitur, quo ad perficiendum*

rectum est, quod adimpleri debet, ut ex ipso Gesenio in Lexico discimus, recte proinde adhibetur ab Isaia.

384. 2.° Ex antea dictis, presertim quæ a Delitzschio sumpsimus, et ex possibilitate prophetiarum patet responsio ad secundum argumentum, quin neccesse sit in iis amplius immorari, quæ Gesenio, ut pote incredulo, videntur demonstrativa; ast quilibet animadvertit majorem minoremve in prophetia claritatem et adjunctorum determinationem æque possibilem Deo esse, ac proinde nihil ex iis adversus genuinitatem 2.æ partis Isaiæ concludi posse. Ceterum nullus demonstrare valet quidquam hic contineri, quod omni modo ignotum prorsus fuisset prophetæ coævis, aut a nemine intelligibile. Sic de babyloniis seu chaldæis audîerant jam hebræi ætate Ezechiæ ex legatione Merodac-Bel-Adon (Isa. 39). Reliqui populi hebraico vicini jam silentio prætermittuntur, quia dicta erant quæcumque erant prædicenda in prima parte; in altera vero propheta ætatem illam prætergreditur atque in tempore futuro tantum vivit, quod tamquam præsens more prophetico contemplatur ac depingit (conf. n.° 374 a), prout cap. 7 fecerat in celebri prophetia Emmanuelis, ubi de signo admodum futuro dicit *ecce* Virgo illa concipiet &c.; et multa dein prosequitur sive futuro si-

consilium suum Deus utitur, qui singulari omnino tutela Dei atque cura gaudens scribitur, quamvis tumultuosa nequaquam ac terribili potestate, sed miti potius et indulgente amore ornatus sit proditurus, neque otium sibi concessurus, donec salus omnes quoscumque homines amplectens fuerit procreata. (Conf. Isa. XLII, 1-7; XLIX, 3, 5, 6; L, 10; LII, 13-LIII, 12 coll. Ezech, XXXIV, 23...; XXXVII, 24... Zach. III, 8-9; VI, 12-13. Quæ quidem minime conveniunt populo universo, quod volebant Telg, Rosenmüller, Hitzig; præsertim cum *Servus Dei* depingatur innocens, absque causa punitus, et ita punitus ut cives innoxii evadant, quod sensum nullum haberet nisi absurdum. Sed nec convenit meliori parti populi, ut pluribus placuit, Thenius, Maurer, Koester, Kahler, Lutz, Knobel, imo jam chaldæo paraphrastæ et doctoribus rabbinis Jarki, Kimchi, Abrabanel, &c.; etenim loca LXV, 8-14; LXVI, 4, 7, 24 testantur quam longe abfuerit propheta ab opinione cum meliorum sorte in tale consortium trahendi impios, ut illorum ratione habita, ipsi a luendis poenis absolverentur. Neque congrueret imago cum pluribus atribueretur, quod juxta contextum nonnisi in unum cadere potest. Populus hebraicus ipse erat ab hoc *Servo Dei* erudiendus (conf. LIII, 11), et numquam sistitur Spiritu divino afflatus ut *Servus Dei* (XLVIII, 16; LIX, 21; LXI, 1). Neque coetui prophetarum accommodari possunt quæ de *Servo Dei* leguntur, quæ est opinio Gesenii, Wette, Schenkel, Umbreit, Winer, &c., quia numquam talis conditio prophetarum fuit, quod sciamus, qui patienter civium

ve præsenti aut præterito tempore utens (de qua quidem vexatissima prophetia confer Perrone et etiam Danko, l. c. 386). De potentia Cyri et nomine ipso laudato ante ducentos annos jam satis diximus.

385. 3.° Quæ tertio loco objiciuntur theoriæ rationalisticæ sunt ad prophetas naturaliter explicandos inventæ, quæ *erunt forte scientificæ*, sed omnem veræ prophetiæ notionem explodunt, et clarisima V. et N. T. vaticinia non explicant, quippe quæ nonnisi tamquam a Deo realiter inspirata intelligi possunt. Solent quidem prophetæ e præsenti rerum statu et adjunctis ad futuros eventus assurgere eosque prænunciare et describere; sed neque hoc universim servant, neque dum faciunt, adversus veram prophetiam quidpiam inde eruitur, ut ex plurimis patet tum V. tum novi T. (e. g. vaticinia de J.-C. resurrectione, Petri negatione, mundi conversione, &c). Sic legatio babylonica, de qua Isaiæ XXXIX sermo est, huic prophetæ occasionem præbuit prænunciandi regios thesauros prolemque aliquando in Babyloniam fore transferendos, idque prænunciatum est dum regnum babylonicum minime robore præstabat, atque assyriorum potentia maxime florebat. His in adjunctis *divinari* quidem poterat captivitas aut subjectio Judææ sub assyriis, minime vero sub babyloniis, quæ tamen omni cer-

inde orituram salutem sperantes, suppliciis sese affici paterentur, sed si injuria afficiebantur, iram Dei propterea superventuram prædicere oportuit (conf. Mat. XXIII, 35, 37; Jer. XV, 15; XX, 11). Deinde nescimus an multi tunc essent prophetæ, ac «multa desiderantur in iis vaticiniis, quæ si de iis prophetis cogitandum esset, necessario addenda fuissent.» Denique uni prophetæ Isaiæ aut Jeremiæ applicari nequeunt attributa et officia istius *Servi Dei*, quod voluit Stæudlin, Hoffmann, &c., quin sententiarum sensui multa arbitrarie derogentur et contextus prorsus negligatur; numquam Isaias tam alta de se dixisset, quæ certo non effecit; mundi conversio *Servo Dei* tribuitur; deformitate, morbis, supliciis, morte affectus est, et quidem pro omnium salute, quorum peccata unus in se suscepit et expiavit, quod nusquam de homine *solo* in V. T. docetur, imo docetur contrarium Mich. VI, 6-8; Ezech. XVIII, 20; Ps. XLVIII 8-10. Ergo Jesu-Christo applicanda hæc sunt, cui ad amussim conveniunt, et a Patribus, antiquis interpretibus, præstantissimisque modernis, cum ipsis Evangelistis accommodantur, (Conf. Joa. IV, 34; X, 18; XII, 38; XVII, 2, 23; Luc. XXII, 37; XXIV, 26; Mar. XV, 28...; Mat. VIII, 17; XII, 18-21; XVI, 21...; Act. VIII, 35; Rom. IV, 5; V, 6, 8, 17-19; 1 Cor. XV, 3; 1 Pet. I, 19; II, 22; III, 18; 1 Joa. III, 5; Patres plurimi, interpretes orthodoxi omnes, et ex novissimis Stendel, Krüger, Jahn, Bleek, Reinke, Schegg, Bade, Hævernick, Hengstenberg, Hahn. Hæc ex Danko fere transcripsi, conf. H. R. D. V. T. pag. 396....

titudine ab Isaia prænunciatur. Idem dicas de celeberrima descriptione destructionis Tyri, cujus rudera adhuc vehementiorem illam vividamque ac pulcherrimam picturam comprobant, de ipsa Babyloniæ ruina, de clade exercitus Sennaqueribi, de prolongatione vitæ Ezechiæ per quindecim annos, &c. &c. ¿Quid si increduli horum vaticiniorum authentiam denegent? ¿Numquid hebræorum primores stupidi adeo erant, ut has prophetias *post eventum* factas, pro veris vaticiniis haberent, atque Isaiam tamquam verum Dei legatum ad hæc prædicenda missum? Idem dicas de apertissimis Jeremiæ vaticiniis circa exitum belli Nabuchodonosoris, cum omnibus adjunctis temporis, modi &c. quæ quomodo *divinari*, aut humano ingenio prævideri potuissent penitus ignoro. Verbo, hic Dei existentiam, perfectam futurorum notitiam atque possibilitatem prophetiæ admittimus, quæ in *Demonstrationibus Religionis* plenius probantur adversus incredulos; iis autem admissis, quæ in objectione cumulantur rationalisticæ theoriæ et *divinationes* prorsus evanescunt. Si vero hæc non admittas, adversus veram genuinamque Philosophiam, bonumque sensum peccatum committis, nec explicare potes innumera Scripturæ loca, nexum utriusque Testamenti, historiæ hebraicæ ac christianæ seriem, imo nec ipsam universalem historiam, hominumque naturam, dogmata credita, traditiones, originem, scopum, nihil denique ad ordinem spiritualem ac religiosum spectans.

386. 4.° Præterquam quod Isaias ita loquitur quasi inter captivos ipse viveret, quod jam animadvertimus, ac proinde veterum prophetiarum circa captivitatem populi adimpletionem objicere prophetando poterat; attamen nihil est quod demonstret de iis vaticiniis ipsum agere quæ ad captivitatem respiciebant, et a Jeremia et Ezechiele præcipue data erant, sed de quibuslibet aliis ad amussim impletis, veluti clade exercitus Sennaqueribi, ruina regni decem tribuum, &c., ut de veteribus nihil dicamus. Nec Jeremias adeo exosus aulicis judæis fuit quia *primus* ipse captivitatem nunciabat, sed quia acriter peccata populi, regis, aulicorum, pseudoprephetarum reprehendens, jam imminentem captivitatem prædicabat, ab aliis ante ipsum nunciatam, ipso referente (XXVI, 18...). Quod si Isaiam non nominat, argumentum hoc negativum non solum nihil probat, sed probaret nimis, nempe inauthentiam prioris partis libri Isaiæ ubi captivitas babylonica expresse prænunciatur cap. 39, sicut vaticinorum aliorum prophetarum, ut Habacuc, qui ante Jeremiam eamdem captivitatem respiciebant. Igitur silentium hoc consuetudini Jeremiæ tribuendum est priores auctores allegantis aut excerpentis absque expressa nominis citatione.

387. Minori adhuc fundamento inficiantur multi genuinitatem

vaticinii adversus Babyloniam XIII, 1-XIV, 23; XXI, 1-10, capita item XXIV-XXVII, XXXIV et XXXV; ob perspicuitatem nempe vaticiniorum et cum effectu consonantiam, id est, ex eodem præjudicio dogmatico contra omnem veram prophetiam. Propugnatur autem iisdem fere argumentis supra allegatis, et *præscriptione*, donec contrarium demonstretur. Alii impugnant prophetiam adversus Tyrum, quam tamen Isaiæ tribuunt Gesenius, Wette ac Knobel. Prophetia contra Moab alio priori tribuitur a multis (XV-XVI), quam Isaias retractavit; nempe isti critici putant prophetiam meram esse compositionem litterariam, quam alius invenire, alius retractare solet, ut nostri poëtæ faciunt. Eo usque progreditur Hitzig, ut illam Jonæ prophetæ, et nulli alio tribuat.

388. Quanti faciendus sit Isaiæ liber facile colligitur ex dictis. Si ut opus literarium spectetur æqualem non habet, et magnificos sensus, vividissimas imagines, sublimiores ideas, præclaram dictionem ubique offert, a christianis oratoribus nunquam satis meditandus. Si de valore polemico agatur, ex rationalistarum adversus illum impetu constat: certe, si liber Isaiæ authenticus sit, quod abunde probavimus, naturalismus et rationalismus necessario corruunt; tam sunt claræ et apertæ prophetiæ ibi contentæ, tantus illarum cum eventibus responsus, talia testimonia supernaturalis ordinis. Si locum, quem in revelationis historia tenet, consideres, jam adnotavimus evangelistam potius quam prophetam, judicio D. Hieronymi habendum esse, cum ipse depingit felicitatem a Messia procurandam (II, 2-4; IV, 2-6; XI, 6...); ortum e matre virgine (VII, 14), naturam divinam (IX, 6; XI, 1....), passionem (L, 6; LII, 14-15; LIII, 1-12), vitam et actus (XLII, 1-7; XLIX, 1-9 *[Servus Dei]*; LV, 1-5; LXI, 1-3) &c.

CAPUT XXX.

Jeremias: argumentum libri ejus: ætas et indoles: discrepantia inter textum hebraicum græcamque versionem, ejusque causa: authentia: Threni.

Jeremias (a) filius fuit Helciæ sacerdotis (sed diversi ab

(a) ירמיהו vel ירמיה, LXX Ἱερεμίας, vulg. ant. Hieremias.

eo de quo 4 Reg. XXII, qui erat summus sacerdos), de Anathoth, prope Jerusalem, in tribu Benjamin. Ab utero matris ad ministerium propheticum a Deo electus illud inchoavit anno 13 Josiæ (628 a. Chr.). Ejus vita, præsertim post mortem pii regis, cujus fatum flebili carmine lamentatus est (2 Par. XXXV, 25), perpetua lucta fuit cum populo peccatore, falsis prophetis, impiis regibus, ac potentibus inimicis. Sub Joakimo et Sedecia sæpe persecutus fuit et in carcerem detrusus, præsertim quia imminentem jam regni destructionem et captivitatem septuaginta annorum vaticinare, et subjectionem regi assyriorum consulere non desinebat (conf. cap. XX; XXVI—XXIX; XXXII; XXXVI—XXXVIII). Nabuchodonosor reliquit eum liberum post ruinam Solymorum, eique optionem dedit manendi in Judæa cum pauperibus ruricolis ibi relictis, aut eundi Babyloniam. Primum elegit, atque sedens contra Solymorum ruinas, incomparabili carmine urbis et templi vastationem ac populi captivitatem deflevit. Post Godoliæ occisionem, quem rex babylonius super populo relicto præfuerat, in Ægyptum vi ductus est, ubi cum peccata populi reprehendere non desineret, et ipsius Ægypti per Assyrios vastationem, a judæis lapidibus obrutus periit. Hic prophetæ finis antiqua traditione fulcitur, cujus meminit Tert., Hieron., aliique, et Martyrologium Romanum ait (1 Maii): «S. Jeremiæ proph., qui a populo lapidibus obrutus (Hebr. XI, 37) apud Taphnas occubuit ibique sepultus est». Christi typum gessisse ob tot probra, verbera, persecutiones immerito toleratas, pariter Patres agnoverunt.

389. «Vaticinia Jeremiæ in duas partes distribui commode solent, quarum prima (1—45) judæos, altera exteras gentes respicit (46—52). Prima complectitur adhortationes, narrationes historicas et vaticinia ad judæos directa, quæ omnia turbato temporum ordine referuntur. In ea totus est propheta in increpanda judæorum ingratitudine, impietate et idololatria, ob quæ crimina prædicit populum et principes a Deo, non obstante illius cum ipsis foedere, mox dereliquendos, templumque ac urbem et regnum per babylonios evertenda, judæos denique in Babyloniam deportandos. Ut tamen tristia hæc leniat propheta prædicit exilium nonnisi septuaginta annos duraturum (XXV, 11), quo temporis spatio exacto, populus in Judæam est rediturus. His autem pro-

phetiis nonnulla miscet oracula de venturo Messia, cujus ætate Deus cum populo suo novum foedus inibit. Quædam oracula speciatim respiciunt Joakim, quem Jeremias prædicit sepultura cariturum (XXII, 19, conf. tamen quæ diximus archæol. n.° 109), Jechoniam, quem chaldæis tradendum annuntiat (XXII, 24-5), et Sedeciam, quo regnante Jerosolyma capta fuit et populus in exilium abductus. Hisce autem vaticiniis nonnulla facta historica ad Jeremiam et judæos spectantia immixta sunt. In secunda parte referuntur vaticina Jeremiæ adversus Ægyptum, Philisthæos, Tyrios, Sydonios, Moabitas, Ammonitas, Idumæos, Ælamitas atque Chaldæos, et Babyloniam, cujus ruinam non tam prædicit, quam potius exactissime describit» (Lamy). Inveniuntur etiam quædam ex iis vaticinia per visiones prophetæ communicata, atque actionibus symbolicis non semel futura prænuntiavit.

390. Ipse Jeremias juxta divinum mandatum Barucho dictavit quæ prophetaverat ante annum 5um regni Joakim; cum autem rex volumen igni tradidisset, eadem rursus dictavit aliaque adjecit, quæ Baruch pariter conscripsit. Postea ipse Baruch probabiliter collegit posteriores prophetias, adjecitque cap. LXII narrationem eversionis Solymorum et templi, quo vaticinia Jeremiæ eventum exactissime comprobata apparent. Scriptus fuit liber hebraica lingua pluribus aramaismis referta, quod ætatis illius ratio postulabat; in stylo longe ab Isaia distat, et cum isto comparatus fere prosaicus est, pluribus tamen virtutibus, præsertim in cogitationibus, si non in dictione, præstat, et tantum Isaia inter prophetas majores inferior est. Ipsum autem, nisi natura suarum prophetiarum ac ministerii aliud postulasset, magnum poëtam esse potuisse demonstrant multa huc illuc dispersa, ac præsertim Lamentationes seu Threni. Antiquiores imitari consuevit, præsertim librum Deuteronomii, unde nonnulli falsam consecutionem deducunt, alibi a nobis refutatam, tunc nempe compositum fuisse librum hunc ab Helcia, qui pater Jeremiæ ab ipsis dicitur (a).

391. Versio alexandrina hujus libri atque ex ea proce-

(a) Id etiam credidit Clemens Alex., sed identitate nominis falsus fuit; alioquin Jeremias id indicaviset (I, 1), dum contrarium ostendit eo ipso quod ad patrem suum discernendum addat *de sacerdotibus qui fuerunt in Anathoth*.

dentes ab hebraico textu discrepant et ordine capitum et nonnullis additionibus et omissionibus, in sequenti tabella videndis ex Lamy desumpta:

Textus hebraicus.	Versio græca LXX.
Cap. I-XXV, 13.	Cap. I-XXV, 13.
XXV, 15-38.	XXXII.
XXVI-XLV.	XXIII-LI.
XLVI.	XXVI.
XLVII.	XXIX, 1-7.
XLVIII, 1-44.	XXXI.
XLIX, 1-5, 28-38, 23-27	XXX.
XLIX, 7-22.	XXIX, 7-22
XLIX, 34-39.	XXV, 34—39.
L-LI.	XXVII-XXVIII.
LII.	LII.

Desunt in versione græca cap. VIII, 10—12; XVII, 1-4; XXVII, 13—14, 19—22; XXXIII, 14—26; XXXIX, 3—14; XLVIII, 44—47; alia fragmenta breviora. Adduntur vero nonnulla verba II, 28, 30—31; III, 7, 17—18; IV, 2, 26, 29; V, 1, 17—18; VII, 4—10; XXVI, 15, &c.

Hujus perturbationis causa diversa a diversis allegatur: illi vero qui a Pseudo-Isaia additiones factas fuisse admittunt, statim ac demonstratur nullum fuisse Pseudo-Isaiam, causa cadunt. Alii putant duas recensiones ab ipso Jeremia adornatas fuisse, alteram judæis palæstinensibus, alteram ægyptiis, aut ab alio dein recensitum putant librum nostrum, atque ex palæstinensi aut babylonica textum hebræum, ex ægyptia græcam versionem prodiisse. Neque hac hypothesi contenti, jam alii stant pro prima recensione (Eichhorn), alii pro secunda (Movers, Hitzig, Bleek, Davidson), ita tamen ut nullus ex hodiernis textibus congruat cum originario Jeremiæ libro. Sed non aliud hic mysterium adesse videtur, quam quod Origenes et Hieronymus jam animadverterunt et judicarunt, has textus græci variantes lectiones oscitantiæ, arbitrio vel errori interpretis tribuentes, quam sententiam defendunt Küper, Keil, Hævernick, Wichelhaus, Graf, Danko, allique. Non inverosimile est e fortuita membranarum commutatione in textu quem habuit

interpres græcus, aut ejusdem minore correctione, id accidisse, quæ videtur opinio esse Glaire et Lamy, qua etiam defectum ordinis chronologici in toto libro patens etiam in hebraico textu, explicaretur. Nec incongrue forsitan omnibus iis causis omnes hæ textuum differentiæ tribuerentur, nempe commutationi fortuitæ membranarum quibus prophetiæ singulæ descriptæ erant, incorrectioni textus, quem adhibuit græcus interpres, ac hujus denique erroribus et voluntariis omissionibus.

391. Authentia libri Jeremiæ ita testimoniis extrinsecis (conf. 2 Par. XXXVI, 20-21; Esdr. I, 1; Eccli. XLIX, 8; Dan. IX, 2), multiplici inscriptione (conf. I, 1; II, 1; VII, 1; XI, 1; &c.), et charactere historico, linguistico, omnimodaque convenientia cum auctore, tempore, loco, adjunctis omnibus constat, ut nemo illam respuere audeat; plures tamen ejusdem integritatem oppugnant consuetis argumentis, præsertim 1.° quia breviorem formam nonnulla habent in textu alexandrino, 2.° quia incolam Babyloniæ et inter captivos degentem auctorem quædam capita indicare ipsis videntur, ac demum 3.° quia nimis cum altera Isaiæ parte concordant. Prioribus argumentis responsio patet ex dictis nuper, atque de simili difficultate contra librum Isaiæ; tertio vero occurrit consuetudo imitandi Jeremiæ propria atque multis locis patens. Nihil est jam pariter respondendum impugnantibus genuinitatem cap. 50-51, ob exactam nimis prædictionem ruinæ Babylonis, atque determinatum annorum captivitatis numerum, quod invenitur XXV, 11: nempe veræ prophetiæ sunt; et quidem cap. 50-51 defenduntur ab ipso Bleek cum Graf, et Nægelsbach: adeo res est manifesta.

392. Præter alia opera Jeremiæ, nempe posteriores libros Regum (conf. 195) et lamentationes de morte Josiæ regis, quæ a cantoribus et cantatricibus replicabantur, ut ait 2 Par. liber (XXXV, 25), nunc vero deperditæ sunt; scripsit Jeremias Threnos seu Lamentationes, quibus deflevit ruinam propriæ patriæ ac Solymorum. Hæc vero cantica objectum istud habere, non autem Josiæ funus, quod aliqui putarunt, ut Hieronymus, brevi errore lapsus quem postea correxit, demostrat antiquissima versionis vulgatæ inscriptio (quæ tamen canonicam auctoritatem non habet), ac melius totum libri argumentum. Continet hic quinque cantica elegiaca,

quarum quatuor priora alphabetica sunt, et tertium quidem ter alphabeticum; quintum inscribitur *Oratio Jeremiæ*. Genuinum Jeremiæ opus esse constat ex tota traditione, et ipsa materies et linguæ cum libro et adjunctis Jeremiæ consonantia. Argumenta quæ Thenius opposuit cap. 1.° 3.° et 5.° nullius ponderis esse judicavit ipse Bleek, Stæhelin &c. Quo modo iis canticis utatur Ecclesia ad deflendam nostri Servatoris mortem in majori hebdomada omnes norunt. Inveniuntur in Bibliis hebraicis inter Ruth et Ecclesiastem.

CAPUT XXXI.

De libro Baruch, ejus partibus, argumento, lingua, authentia et oppositis difficultatibus: Ezechielis ministerium, liber, hujus authentia et divina auctoritas.

393. Baruch amanuensis fuerat Jeremiæ, ejus prophetias concripserat ac postea forte collegerat, ut conjicimus, atque cum magistro suo in Ægyptum ire cumpulsus est. Anno 5.° post captam Jerusalem (a) legit coram Jechonia et captivis Babylonis scriptum quoddam (Bar. I, 1-9), quod cum paucis captivorum verbis (I, 10-14) nonnuliisque donis transmissum fuit Hierosolymam ad judæos ibi relictos. Scriptum Baruchi continetur Bar. I, 15 ad V, 9. Caput VI est epistola Jeremiæ ad judæos Babylonem adsportandos, quæ proprie ad librum Baruchi non pertinet, et in græco textu ab eo disjuncta est, sub titulo: *Epistola Jeremiæ*. In vetustis manu exaratis editionibus græcis inveniuntur Threni inter librum Baruchi et Epistolam Jeremiæ.

394. Continet liber, præter introductionem historicam (I, 1-14), humilem populi confessionem, suam miseriam propriis iniquitatibus tribuentis (I, 15-II, 35), orationem ad finem exilii impetrandum (III, 1-8), allocutionem ad populum ut ingrati animi reum se fateatur, et utilitatem agnos-

(a) Nonnuli putant post captivitatem Jechoniæ id accidisse, Calmet, Maldonado, Haneberg, iisdem fere argumentis quibus protestantes libri genuinitatem inficiantur.

cat in omnibus sequendi legem Dei, seu *sapientiam* (III, 9-28), *sapientiæ* laudem, cujus possessio gloriam Israel constituebat (III, 29-IV, 4), demum complexum vaticiniorum circa finem exilii ac meliora tempora futura (IV, 5-V, 9). Epistola Jeremiæ (cap. VI) monita complectitur adversus idololatriam, et demonstrationem vanitatis idolorum. Utrumque ergo scriptum opportunum valde erat pro judæorum exulantium adjunctis. Designari possunt quædam messianica vaticinia v. g. II, 33-34; IV, 21..; V, 1... (conf. præsertim III, 38).

395. Scripta sunt quæcumque in libro continentur hebraice; textus tamen primigenius jam ætate S. Hieronymi perierat, atque græcus satis respondet versioni græcæ libri Jeremiæ; sed id explicari potest aut quia ab uno eodemque interprete conversus uterque est, aut saltem ab eo qui versionem græcam Jeremiæ præ oculis habebat. Ceterum character linguisticus hebraicum textum originarium nimium sapit, textus Theodotionis ab alexandrino diversus supponit diversam esse originalis hebraici versionem, versio syriaca locutiones omnino hebraicas servat, ipsa denique libri genuinitas cum græca originali lingua pugnat.

396. Quæ quidem libri genuinitas ex ipso libro in primis ostenditur (I, 1; Jer. XXXVI, 4), atque ex traditione præsertim, qua constat a judæis hellenistis in canone receptum fuisse, et cum reliquis in versione alexandrina Apostolis, et ab iis deinde Ecclesiæ traditum. Allegatur autem a Patribus communiter aut tacito nomine, aut sub nomine Jeremiæ, cujus amanuensem Baruchum sciebant, atque hujus librum veluti appendicem libri Jeremiæ in bibliis græcis et latinis habebant. Sic eum laudat Iren. *Contr. hær.* V, 35; Athenagoras, *Leg. pro christ.* 69; Tert. *Contra Gnost. scorp.* n. 8, I, 233; Orig. apud Euseb. *H. E.* VI, 25; Hyppolitus, *Contra Noet.* p. 44; Cypr., *De orat. Dom.* 5, II, 157; Athan. *de incarn.* 22, I, 888, Ambr., Basil., August., Melito in *Clavi*, licet in canone non recipiat, ut alii, ob eas causas, quas alibi allegavimus, una cum argumentis communibus contra librorum deuterocanonicorum auctoritatem, quæ omnia suo loco recole (n. 180...).

397. Difficultates præcipuæ a protestantibus et rationalistis oppositæ hæc fere sunt: a) Baruch ivit Babylonem anno Sedeciæ 4.°, deinde in Ægyptum; non ergo erat Ba-

bylone anno 5.° post Solymorum destructionem; b) liber supponit urbem incendio deletam et templum adhuc stans (comp. I, 2 cum I, 14), quod cum historia puguat; c) nec potuit legi coram Jechonia, qui erat in carcere (comp. Bar. I, 3 cum 4 Reg. XXV, 37); d) Joakimum dicit summum sacerdotem, contra fidem 1 Par. VI, 13; e) Baltassarem *filium* Nabuchodonosoris, qui tamen nepos aut pronepos fuit; f) allegantur libri exilio recentiores, et quidem juxta versionem græcam, a qua maxime pendet liber controversus præsertim a versione libri Jeremiæ; g) denique vetus synagoga pluresque Ecclesiæ Patres, ut Hieronymus, illum repudiarunt.—Ast a) Baruch potuit ex Ægypto Babylonem ire ante vel post mortem Jeremiæ. Credo ab ipso forte Jeremia missum fuisse, ad judæos exulantes edocendos et consolandos. Falsum vero est nec cum libri genuinitate pugnat, Baruchum Babylonem ivisse quarto Sedeciæ anno, nam cap. LI, 59 Jeremiæ, unde id eruunt, non de Barucho sed de *Saraia* loquitur, ejus fratre; b) liber non supponit templum stans, sed sacrificia et thus offerri consuevisse a judæis relictis super altare parvulum inter ruinas templi erectum, quod ab illis fuisse consuetum evincitur Jer. XLI, 5; c) coram Jechonia legi potuit liber Baruchi, nisi reliquorum captivorum accessus ad eum vetitus fuisset, quod nullus demonstrat; verosimile videtur diversis occasionibus universo exulantium populo, sacerdotibus, proceribus &c. lectum fuisse; d) loco citato Paralipomenon minime asseritur Joakimum non fuisse præcipuum sacerdotem qui in Judæa remanserat, etiamsi non fuisset *summus sacerdos*, quod noster non asserit; e) Baltassar vere Nabuchodonosoris filius fuit, dictus etiam Evilmerodach, ut alibi dicendum erit, et demonstratum est a Saulcy in *Annal. Philos. Christ.* t. 38 et 39; f) hæc difficultas partim falsa asserit, partim solvitur ex supra dictis (n. 395); g) huic difficultati jam occurrimus agentes de canone sacrorum Librorum (n. 180...).

398. Ezechiel יְחֶזְקֵאל, Ἰεζεκιήλ) filius Buzi, e genere sacerdotali, cum rege Jechonia Babylonem captivus ductus fuit, vixitque juxta flumen Chobar (Chaboras), ubi mediante visione, qua thronus gloriæ Dei ipsi apparuit. ad ministerium propheticum vocatus est a. 5° suæ captivitatis ac 7° ante ruinam Jerusalem; prophetavit autem ad 27.um suæ captivitatis annum. Quemadmodum nempe Jeremias inter

judæos palæstinenses, sic Ezechiel inter captivos laboravit adversus falsorum prophetarum seductiones ac mendacem et carnalem judæorum spem atque impenitens cor. Dum Hierosolymæ adhuc stabant, expectabant exulantes a pseudoprophetis seducti celerem in patriam reditum; atque Ezechiel intendit hanc stolidam impugnare spem, et factis verbisque, symbolis ac prædicationibus, inevitabilem Solymorum ruinam vaticinatur. Postquam vero hæc locum habuit, consolari coepit populum jam animo deficientem proximæ ac futuræ redemptionis promissione.

399. In tres partes distribui potest Ezechielis liber: 1.ª continet post brevem personæ prophetæ notitiam atque historiam suæ vocationis, sermones contra populum judaicum, ob cujus peccata ac impoenitentiam vaticinatur ruinam regni, ac vastationem Solymorum, regisque Sedeciæ captivitatem, cum omnibus adjunctis quibus evenit, nempe per muri rupturam evasurum, ab hostibus capiendum, ac Babylonem deportandum, quam tamen non erat visurus, captis scilicet oculis (cap. 1—24); 2.ª vaticinatur contra externos populos a chaldæis etiam puniendos, nempe ammonitas, moabitas, idumæos, tyrios, sydonios, philisthæos, ægyptios; 3.ª demum redit ad judæos post captam Jerusalem, prænuntians redemptionem a captivitate, ac sub hoc typo redemptionem futuram ope Messiæ. Multis abundat visionibus propheticis ac simbolicis factis, ob quæ, una cum proprio stylo audacibus descriptionibus ac imaginibus pleno, difficilis est hujus prophetæ expositio et intelligentia. Ejus lingua hebraica minus pura est, ut Jeremiæ, ac multis aramaismis referta; pluresque descriptiones et ornatus e rebus babylonensibus desumptæ sunt, ut ex picturis inter babylonicas ruinas non ita pridem inventas apparet.

400. Authentia hujus libri ita firma est, ut vix ab ullo rationalistarum fuerit impugnata: nonnullæque difficultates adversus novem posteriora capita et vaticinia secundæ partis ab aliquibus propositæ, omni probandi vi destitutæ declarantur ab ipsis Eichhorn, Rosenmüller, Berthold, Gesenius, Wette, Winer aliisque, ob quam confessionem ab illis exponendis ac refellendis supersedemus.

Utilius erit adnotare loca in quibus ad Messiam respicit, ejusque operis ac regni naturam describit, v, g. XI,

17; XVI, 60; XVII, 22: XXXIV, 23; XXXVI, 22; XXXVII, 1-14 (visionem resurrectionis ossorum); XXXVII, 22; XL-XLVIII (descriptionem novi templi symbolicam). Messiam ut secundum Davidem depingit XXXIV, 23; XXXVII, 24; conf. XVII, 22. Familiaris ipsi est locutio: *Fili hominis*, quam nonagies adhibet, et Dominus Jesus-Christus sibi tribuere adamavit.

401. Propter obscuriorem ejus sensum, forte ob vividas nimis descriptiones, ut est illa cap. 16 et 23, ac nonnulla difficilia conceptu aut apparenter contraria aliis Pentateuchi dictis, judæi ante trigesimum ætatis annum hujus libri lectionem non concedebant, et difficulter in canonem receperunt; sed hæc talmudicorum narrationes sunt, nescio quanta fide dignæ. Ceterum densa obscuritas alibi etiam invenitur; vividiores picturæ pariter, ac styli orientalis propriæ sunt, ubi minus quam apud nos erant periculosa; difficilia conceptu non sunt impossibilia, ut ille tanti temporis prophetæ accubitus super latus dextrum aut sinistrum (cap. 4), qui probabilius fiebat tantum aliquo diei spatio, ut a populo videri posset, cui signum hoc erat tribuendum; denique antilogiæ respiciunt præcipue caput 18, ubi asseritur filium portare non debere iniquitatem patris, sed animam quæ peccaverit solam puniendam, cum tamen in Pentateucho dicatur Deus *zelotes*, *visitans iniquitatem patris in filios usque ad tertiam et quartam generationem;* quibus verbis non significatur proprie punitio filiorum ob peccata parentum, sed talis punitio parentum quæ mala physica imponeret etiam in filios redundantia, quæque proinde filiis (qui non imitantur iniquitates parentum) essent *mala physica tantum*, parentibus vero *etiam pœnæ peccatorum*. Alii locum postremum intelligunt de filiis qui parentum iniquitates imitantur; mea autem sententia immerito.

CAPUT XXXII.

De Daniele: adnotatio circa historiam Babyloniæ prophetæ coævam: Danielis ministerium ac peculiaria adjuncta: pondus quæstionis circa hujus libri authentiam: ejusdem quæstionis status.

402. Daniel (דניאל), e regia judæorum stirpe oriundus, parvulus adhuc Babylonem adsportatus fuit cum rege Joakim (probabiliter anno 605 a. C.), atque cum tribus aliis puerulis judæis, aliisque aliorum populorum, quos Nabuchodonosor devicerat, in aulam regiam receptus et educatus in scientiis et lingua chaldæorum. Ibi multum profecit virtute, sapientia, zelo veræ religionis, et miraculis in ejus favorem patratis, atque vaticiniis prorsus mirabilibus. Videtur quandoque extra aulam regiam vixisse, sed in ea fere semper, multumque valuit apud Nabuchodonosorem, somnis ejus declaratis et interpretatis, apud Darium Nabonedum, et apud Cyrum persam, cujus imperii anno saltem tertio adhuc vivus erat (cap. X, 1).

403. Ut liber Danielis eventibus regni Babyloniæ synchronis apprime respondere perspiciatur, hæc circa eorum seriem videntur nobis *certo* tenenda, quæ longius et, ni fallor, complete demonstravit D. Saulcy (l. s. c.). Anno 607 ante C. rex Babylonis Nabu-palatzer (Nabopolassar), qui a Ciaxare adjutus Ninivem destruxerat, sibi in thronum adjunxit filium Nabu-cadr-atzer (Nabucodonosor), qui anno 604 unicus regnavit, defuncto patre. Ipso anno quo associatus in regnum fuit regem Joakim devicit, pluresque captivos Babylonem adsportavit; unde ex hoc anno 607 videtur incoepisse captivitas 70 annorum, quæ anno 536 desiit. Anno 603 ipsum regem, qui revelaverat, captivum duxit, ac sequenti anno somnum habuit a Daniele interpretatum. Postea regnum a Jechonia abstulit (599), deinde Hierosolymas oppugnavit (590), quas cepit ac destruxit anno 588, et plerosque judæorum captivos duxit. Postremi eorum perducti sunt anno 584, ac deinde incipiunt Nabuchodonosoris bella in Cælesyria et Ægypto. Illo mortuo succedit Evilmerodach, qui est ipse Baltassar, inter cenandum occisus a leviro suo Nerghel-saratzer (Neriglissor

conjurationis auctor et caput (a). Neriglissori succedit post quartum annum Labu-sarak, qui nono mense occiditur ab ipsis aulicis ob ejus crudelitatem. Tunc eligitur Darius Nabu-Naed (Nabonedo, 555) anno ætatis 62, qui filius forte fuit cujusdam Ahasaveri—Nabunaed et Nitocris, origine medus (b), ob idque a medis forte adjutus atque eorum moribus assuetus, plura ex eis in Babylonicum regnum induxit, ita ut leges medorum prævalerent. Hic a Cyro regno pulsus est (538), Babylonia capta, ac Darius in Caramaniam exulare compulsus, ubi non paucos annos adhuc vixit; Cyrus autem hebræis libertatem concessit anno 537 aut 536. Hæc enucleata ac comprobata vide apud Annales Philosophiæ christiane, t. 38 et 39. Alii tamen aliter rem componunt, cum fontes profani nimium discrepantes sint, nec cum libris nostris in hac re comparandi.

404. Daniel habuit Babyloniæ similem missionem ac Joseph in Ægypto, per prophetias ac grandia miracula nomen Dei apud ethnicas gentes glorificandi ac veram religionem propagandi; deinde fidem captivorum confirmandi, ac eorum redemptionem parandi. Liber continet multa ad historiam Danielis spectantia (I—VI ac in vulg. XIII—XIV) deinde suas visiones, præsertim cap. VII—XII. In iis eminet vaticinium de quatuor imperiis, ac eorum cum populo electo relationibus ac destructione per imperium Messiæ cap. II, VII—VIII, X—XII), vaticinium de septuaginta annorum heddomadibus (cap. IX). A capite II, 4 ad VII, 28 chaldaice scriptus est, caput. I, 1 ad II 3 et VII ad XII hebraice. Reliqua fragmenta, scilicet cap. III a versu 23 ad 90 et cap. XIII et XIV, quæ sunt partes deuterocanonicæ, nonnisi in versionibusgræcis inveniuntur, quamvis originarie hebraice aut chaldaice fuerint exaratæ.

405. Distinguitur Daniel a reliquis prophetis, 1.° quia non donum tantum propheticum a Deo accepit, sed etiam donum miraculorum, ut olim Elias. Et hæc quidem miracula non solum ad confirmandos in fide hebræos facta sunt, sed ad Dei nomen et religionem coram paganis populis propagandam et glorificandam. 2.° In forma

(a) Minime vero a Cyro Babylonem obsidente, nec concipi animo posset, quomodo in arcta urbis obsidione imminentique periculo, rex et magnates conviviis indulgebant; denique hanc opinionem fovit, dispositio capitis V, quod v. 30 erat finiendum, ut in hebraico textu; versus autem 31 prior est capitis VI, nec asserit Darium *immediate* Baltassaro succesisse.

(b) Non vero rex medus.

vaticiniorum diversus est etiam a reliquis, quatenus omnes suæ prophetiæ visiones fuerunt, quod in ceteris minus commune est; ob idque Apocalypsi similis est. In hoc apprime Dei scopui congruit, quatenus hæ prophetiæ potius ad futuras, quam ad coævam generationem directæ erant, ob idque magis determinatæ sunt. 3.° Revelationes Danielis cum ejus persona arctius connectuntur; cantor divinus est, non solum in populo electo, se etiam in babylonico imperio. Dum futurorum prænuntiatio in aliis prophetis connectitur historiæ Israëlis, in Daniele respicit imperium universale; illis regnum messianicum est continuatio hebraicæ theocratiæ, Danieli vero est novissimum universale imperium; illi reliquorum populorum futuram destinationem considerant sub hebraico aspectu, Daniel autem destinationem Israëlis considerat sub aspectu paganorum populorum. Ut id assequatur determinatissime exponit futuros populorum eventus, eorum præsertim, qui cum hebraico arctiorem connexionem habebant aut erant habituri, veluti persarum, græcorum sub Alexandro, ac sub Ptolomæis ac Seleucidis, donec omnis fere nexus rumpitur Israëlis cum iis populis. 4.° Jam adnotaverat S. Hieronymus «nullum prophetarum tam aperte dixisse de Christo. Non enim solum scribit (Daniel) eum ese venturum, quod est commune cum ceteris, sed etiam quo tempore venturus sit docet» —Quomodo 70 hebdomadum computus texendus sit, ac quæ sint quatuor enuntiata regna, vexatissima quæstio est, apud interpretes amplius haurienda—Peculiares Danielis proprietates sub numeris 1.° et 2.° expositæ causæ fuerunt probabiliter cur non inter *prophetas*, ser inter *hagiographos* in canone hebræorum positus fuerit liber Danielis: certe, chronologicæ rationes hic non sunt in causa, alioquin diversum ordinem ii posteriores libri servarent.

406. Quis fuerit libri Danielis verus auctor summi momenti quæstio est inter rationalistas et eos qui revelationem divinam admittunt; nam si non Danielis est, sed judæi cujusdam secundi ante C. sæculi, nec veræ prophetiæ in eo essent, sed mendaciorum collectio et vaticiniorum *post eventum* animo fallendi adornata, quam tamen ut authenticam receperunt judæi, Christus (Mat. XXIV, 15), Apostoli, Ecclesia universa per octodecim sæcula. Hic non agitur de mera quæstione critica, quæ nihil utilitatis aut periculi secum ferat, ut in determinando e. g. auctore Ecclesiastæ, sed agitur de vitæ aut morte rationalismi. Si namque a Daniele conscriptus liber noster fuit, aut ab alio coævo, adhibitis ejusdem Danielis adnotationibus scriptis, quod inter alios admittit Haneberg (absque necessitate mea sententia);

tunc plures in eo veræque dantur prophetiæ longissimis temporibus ad perfectam amussim impletæ, nempe usque ad Antiochum Epiphanem saltem ex omnium adversariorum confessione; proindeque Daniel legatus Dei fuit, nec mentiri potuit dum tot tamque præclara miracula a se patrata narrat; denique ordo supernaturalis sola hujus libri authentia demonstratus manet. Nihil igitur mirum si veluti agmine facto, rationalistæ plurimi ac præclari adversus libri hujus genuinitatem dimicent, quos ita impugnabimus, ut si miracula et vaticinia vere existere admittas, reliquæ difficultates nullius prosus ponderis sint. Evenit hic quod alibi sæpe, ut jam adnotavimus.

407 Ex plurimis laboribus criticis, sive pro, sive contra Danielis authentiam, hæc jam demonstrata manent: auctorem libri veluti ipsum Danielem se sistere (conf. VII, 1; VIII, 1 &c.), ob idque aut ipsum re vera fuisse, aut impostorem sæculi Machabæorum, qui *pia fraude* hæc vaticinia Danieli tribuit, ut aiunt adversarii, ad roborandos inflammandosque judæorum animos, ut certo sperarent *apocalypsin Filii hominis* ibi prædictam, qua judæi de hostibus vindictam sumerent, eamque eo certius sperarent, quo exactius adimpletæ fuerant priores prophetiæ ab auctore inventæ circa historiam præteritorum temporum. Demonstratum etiam est *unum idemque* esse totius libri auctorem, quod non parum refert, et fatentur, imo ipsi ad id evincendum contulerunt, Rosenmüller, de Wette, Gesenius, Kirms, Bleek, Ewald aliique. Hinc supra laudata Hanebergii opinio parum probabilis est, cum nuspiam appareat indicium aliquod, quo scripta Danielis a brevi collectoris labore et adnotationibus distinguantur; admitti tamen posset, si opus fuisset, cum authentiam vaticiniorum Danielis supponat ac miraculorum veritatem. Defenditur vero libri hujus authentia precipue a Jahn, Dereser, Hug, Hengstenberg, Hævernick, Zundel, Keil, Herbs et Welte, Auberlen, Danko, Reusch &c. in Germania, Glaire in Gallia, Janssens et Lamy in Belgio, Boyle in Anglia, Ghiringhello in Italia (in opere Renano opposito: *vita di Jesù*). Impugnatur ab omnibus fere rationalistis biblicis, qui eamdem quam suo tempore jam Porphirius invenerat sententiam, et Hieronymus, Methodius, Eusebius et Apollinaris impugnaverant, rursus e pulvere excitarunt, quod ob eamdem in religione christiana incredulitatem necessarium erat. Speciales opponuntur a protestantibus difficultates circa partem deuterocanonicam, quam infra etiam vindicabimus: nunc de libro Danielis sermo est prout in hebraicis bibliis adest. Comprobatur autem argumentis externis et internis.

CAPUT XXXIII.

Authentia libri Danielis prout in hebraicis bibliis jacet.

408. 1.° Universam christianorum traditionem pro authentia libri Danielis stare, quem allegavit Christus cum Apostolis, et adversus judæos ut certam et ab omnibus agnitam supponunt Ecclesiæ Patres in libris polemicis contra illos exaratis, non diffitentur, imo contendunt adversarii. Ætate Machabæorum non fuisse primo compositum, sed tamen vulgo agnitum probatur: a) ejusdem receptione in versione alexandrina antiquissima, et quidem prave facta, ut videtur, quia interpres non bene intellexit antiquum scriptum originarium (a); b) allegatione ejusdem in libro 1 Mach. II, 59-60, quæ demonstrat librum nostrum non ex ea commotione ortum fuisse, quam Seleucidarum tyrannis et Machabæorum heroica virtus produxit (ut Renanus asserit) sed huic commotioni, ac religioso zelo potius vim addidisse, quod supponit inter hebræos fuisse Danielis historiam; c) Philo hunc librum agnoscit, Josephus vero refert librum Danielis Alexandro Magno in Solymorum ingressu oblatum fuisse, ut imperium ejus a Deo prænunciatum fuisse sciret; unde Alexander honore affecit Jaddum Sacerdotem, templum nationemque judaicam; quæ Josephi historia nullam patitur exceptionem fatente ipso Hitzig, *si jam liber exstitisset*; d) invenitur liber Danielis in canone hebraico Sacr. Librorum, qui post Artaxerxem nullum amplius recepit ob minus firmam prophetarum seriem, ut alibi longius enucleavimus (n.° 180). Ipsa vero Danielis persona laudatur a propheta coævo Ezechiele (XIV, 14, 20; XXVIII, 3).

(a) Credit Bleek auctorem primi Machabæorum libri allusisse jam ad alexandrinam libri Danielis versionem (conf. 1 Mach. I, 57, gr. 54, cum Dan. IX, ult. græce, nempe, βδέλυγμα ἐρημώσεως, in numero singulari, ut etiam Mat. XXIV, 15, cum tamen hebraice sit in plurali.

409. Argumenta intrinseca pro genuinitate libri Danielis multa sunt et validissima. a) Sane, cum sæpe appareat Daniel loquens in prima persona, quasi auctor libri fuerit, aut saltem ejus scripta hic integra inserta sint, cumque ex dictis, libri unitas unusque auctor res sit demonstrata et ab omnibus admissa, aut ipsius Danielis est, aut impostoris fetus; postremum vero absque demonstrativis argumentis admittere æquitas et justitia refugit, presertim in auctore sensibus pietatis et religionis imbuto, ut noster est, atque nulla vel minima extante notitia hujus *piæ fraudis* aliunde impossibilis, cum sermo sit non de libro quocumque, sed de libro celeberrimo, viro prophetæ tributo, evidentissimis vaticiniis atque stupendis prodigiis referto, quæ, si judæis nota non erant ætate machabaica, ipsis obtrudi minime potuerunt, nisi homines illos insanos pronunties, præcipue quia ab omnibus tunc admittebatur, et in utroque canone, hebraico et alexandrino receptus fuit. Summa igitur solertia maximoque ingenio opus fuisset ad id asequendum (nec tamen potuit), quod cum crasis ignorantiæ argumentis, quæ in ipso auctore rationalistæ vident, quomodo componi possit penitus ignoro. b) Liber Danielis, ut diximus, partim hebraice, partem chaldaice scriptus est; ergo illa ætate fuit exaratus qua utraque lingua familiaris et auctori, et populo erat, quæ nonnisi ætas exilii babylonici aut huic valde proxima esse potuit; præsertim quia, adnotante Gesenio, lingua hebræa hujus libri simillima est linguæ ante captivitatem adhibitæ, chaldaica vero potius ad eam accedat, quæ in libris Esdræ, quam quæ in *Targumim* adhibetur, cum tamen juxta adversariorum sententiam multo proximior sit ætati, qua ii exarati sunt. Et sane juxta eosdem inventus fuit liber noster et Danieli falso tributus ad animos populi commovendos ac roborandos pro patria ac religione ab Antiocho nimium vexatis ¿quomodo ergo auctor callidus linguam adhibuit maxima libri parte, quam ipse populus jam tunc non intelligebat, et eidem auctori juxta ipsos difficilior erat quam chaldaicus sermo? ¡Præclarus sane modus librum popularem exarandi lingua populo ignota! Igitur si Danielis est, omnia cohærent et libris Esdræ confirmantur; si vero ætatis machabaicæ, omnia nutant atque absurda evadunt. Quod si dicas studio id factum fuisse ad facilius ostendendum Danielem fuisse verum auc-

torem, quia utraque lingua peritus erat; respondeo minime id necesarium fuisse, cum notus esset Ezechiel, in Babylonia et sola lingua hebraica scribens. Imo ad conciliandam libro fidem melius fecisset auctor ætatis machabaicæ sermone hebraico illum integrum exarando, ob reverentiam *linguæ sacræ* ab hebræis illius temporis præstitam, ita ut non multo post assererent rabbini prophetias nonnisi lingua hebraica et in Palæstina edi potuisse, ob idque difficulter ipsum Ezechielis librum admitterent, quia extra Palæstinam scriptus fuit, prout doctores rabbini narrant. c) A tempore Ezechielis Daniel celeberrimus fuit, ut ex allegationibus constat supra adnotatis, nec diu ante ipsum, cum a nemine antea laudetur. Igitur miracula et vaticinia jam ea ætate ipsi tribuebantur, quæ in ejus libro sunt, aut postea inventa fuerunt tempore Machabæorum, aut saltem *antiqua legenda* (sic loquitur Renanus) tunc transformata fuit. Si primum dicas, nihil impedit quominus in libro jam tunc excriberentur; si alterum aut tertium, explicare imprimis debes quomodo tot mendacia obtrudi et ab judæis universim credi potuerunt; deinde vero *hæc legenda*, aut illius transformatio, *juxta ideas tunc dominantes inter judæos* fieri debuit. Atqui contrarium potius habemus. Nam judæi illius ætatis zelo religioso usque ad fanatismum prope imbuti comprehendere vix poterant hominem sanctum et prophetam cum regibus ethnicis et idololatris amice conversantem, in aula regia paganorum viventem, chaldæorum scientiis peritum, ideoque divinatione, magia, aliisque ethnicis superstitionibus (siquidem somnia interpretari videtur perspicatia naturali et scientia acquisita, potius quam inspiratione divina (conf. IV, 16), divinos et hariolos a morte liberantem, contra id quod olim fecerat Elias, cujus imago illius ætatis exaltatationi religiosæ typus idealis esse debuit; et tamen Daniel pro magis et hariolis intercedit, qui ad superstitionem fovendam non parum conferebant! Si quis originem et naturam *legendarum* vere callet, alio argumento non indiget ad repudiandam hujus imaginis, quam de Daniele liber noster exhibet, creationem aut transformationem ætate Machabæorum. Eadem fere impediunt quominus imaginem Danielis ante captivitatem hebræi invenirent; præter clarissimas prophetias, quas juxta adversarios nemo ante Epiphanem edere potuit, et ideam Danielis, quam offert

Ezechiel, illi prorsus respondentem, quam liber exhibet, quod cum antiquæ *legendæ* transformatione pugnat. Igitur hujus *legendæ*, seu, ut nos dicimus, historiæ inventio ante et post tempora exilii babylonici non explicatur; ergo illius temporis est, ac proinde ipsi Danieli jure adscribenda. d) Ea fit in libro Danielis religionis, morum ac civilizationis chaldæorum descriptio, quæ apprime respondet iis quæ a præstantioribus auctoribus indagatæ sunt post antiquos scriptores, post rudera collecta Korsabad, Persepolis, Borsippa; picturæ in iis ruderibus et tapetibus babylonicis inventæ mire congruunt descriptionibus, quas in visionibus Danielis legimus; verbo, liber hic non minoris prætii est ad res babylonicas intelligendas, quam liber Estheræ ad res persicas, quod inter alia erudita opera videri potest apud Münter, licet rem nostram minime curaret in libro super *Religione Babyloniorum*, apud Hengstenberg, Hævernick, Glaire (n. 4, pag. 498 edit. 1862). Hoc autem auctori judæo post quadringentos et amplius annos existenti impossibile fuit divinare ac describere. e) Denique notitiæ historicæ hic occurrentes, et quidem non data opera, sed veluti casu, cum historiam profanam minime auctor conscriberet, non solum reliquis auctoribus sacris apprime conveniunt, sed profanos historicos non semel emendare ex illo necessarium est, plura refert quæ illi ignorant, alia supponit coævis pervia, nobis, imo jam tempore machabaico difficilia intellectu, minutas quandoque circumstantias narrat; quæ omnia auctorem synchronum produnt, et cum origine machabaico incomposibilia sunt.

410. Nonnulla ex iis omnibus exempla dabimus, præter ea que de historia babylonica supra adnotavimus; ac similiter lectorem mittimus ad laudatos *Annales Philosophiæ christianæ*. Ad nonnulla ex iis perspicienda intimiori attentione et cura opus est, sed hoc sententiam nostram potius juvat quæm lædit; nam proprium est historiæ coævæ multa prætermittere vel sola allusione tangere, quia vulgatissima tunc erant, deinceps vero oblita tenebras narrationi effundunt. Sic asserit α) Nabuchodonosorem *tertio anno* regni Joakimi Hierosolymas cepisse, cum apud Jeremiam legatur *anno quarto* id fuisse factum; nihil tamen obstat quominus intelligatur Danielis liber hoc fere sensu: *anno tertio Joakimi orsus est Nabuchodonosor expeditionem bellicam adversus Ægyptum et Judæam, victor evasit apud Charcamim et Jerusalem cepit*, nempe jam quarto Jechoniæ anno, cum omnia hæc non

ipso anno quo cepta sunt, pariter fuerint absoluta. β) Cum filium Nabuchodonosoris Baltassarem dicit, congruit Barucho, atque profanis monumentis quæ annos duos et menses regni ejus durationi tribuunt. Cena illa magna, qua fatalis manus scribebat in pariete, anno tertio locum habuit, nec tunc Cyrus obsidebat Babylonem, sed Neriglisoris conjuratione occisus Baltassar fuit, regnumque ejus post paucos, et magnis politicis motibus refertos annnos medis et persis datum est (conf. supra). γ) Capite sexto continet narrationem eventuum posteriorum, atque silentio præterit regna Neriglisoris et Laborosoaschoris, ut transeat ad Darium, filium Assueri *de semine medorum* (IX, 1). Necessarium ergo minime est ut *regem medorum* ipsum fuisse dicamus; sed e medis oriundum, eorumque partibus addictum, quorum probabiliter ope regnum chaldæorum adeptus est; ob idque ab ipso observari coeperunt consuetudines et leges medorum atque persarum, ac juxta illas rogatus fuit ab hostibus Danielis ut decretum conderet, quo sui adorationem imperavit. Qui ab una ex diversis factionibus tunc exstantibus rex constitutus erat, debilem et irresolutum sæpe fuisse et ipsis personalibus amicis invite infensum optime concipitur, prout in libro Danielis legimus (cap. VI). Ceterum Neriglisor morte violenta minime occubuit, Laborosoaschor nec integrum annum regnavit, Darius Nabonedus in Caramaniam a Cyro relegatus fuit; nullus ergo ex iis fuit Baltassar Danielis et Baruchi. Apud auctores profanos diversa utique nomina occurrunt; se qui exactius rem pertractant, ut Berosus, in re conveniunt plerumque; cum vero non conveniunt, plura sunt quæ pro libro Danielis stant, præ omnibus scriptoribus profanis, satis quidem posterioribus aut etiam exteris, quod de græcis præcipue intelligi debet. Sententia, quam tenet Quatremère, Baltassarem simul cum Nabonedo nominatim regnasse, ut hic suam usurpationem aliquo legali pallio tegeret, tabulis et testibus caret, nimis ingeniosa est ac parum congruit iis locutionibus libri Danielis: (cap. VIII, 1) «anno tertio regni Baltassaris regis, visio apparuit mihi...» (et cap. IX, 1) «In anno primo Darii, filii Assueri de semine medorum... anno uno *regni* ejus ego Daniel intellexi...» δ) Descriptio characteris et potentiæ Nabuchodonosoris cum profanis scriptoribus convenit; ejusdem somnium refertur ab Abydeno, etsi præ se tribuat regi vaticinium Danielis super ruina Babyloniæ; dictum Nabuchodonosoris se *ædificavisse*, id est, multum ornatus, amplitudinis ac munitionum addidisse (hæc ex usu vocis biblico discimus) urbi imperii capiti, eidem Abideno congruit, quamvis hoc græci historici ignorarent. In libro Danielis sermo est de *medis et persis*, numquam, ut in libro Estheræ, de *persis et medis*, quia nempe nonnisi post Cyrum præ-

valuit persica progenies super medicam, quæ antea potentior erat; ast machabaica ætate auctor locutus fuisset ut tunc communiter, quando nempe persæ notissimi erant, medi vero prorsus obscuri, ita ut in historia Alexandri, qui persicum imperium debellavit, vix de medis sermo sit. ε) Magna illa statua, quam erexit Nabuchodonosor (a), posita erat in campo *Duræ*, inter muros Babyloniæ (non in *provincia* Babyloniæ, ut hic vertit vulgatus); alibi autem nomen *Duræ* non occurrit, auctori sane et primis lectoribus notissimum. θ) Quandoque in apparentes antilogias incurrit auctor, eo ipso quod plura supponat coævis lectoribus nota postea vero oblita, ut cum cap. I, 1 vocat Nabuchodonosorem *regem* Babylonis, et post tres annos quibus Daniel inter reliquos juvenes deportatos educatus fuit, asserit in *anno secundo* somnium regis fuisse interpretatum, quæ optime cohærent, si biennio ante mortem patris in regnum ob ipso associatum fuisse admittas, quod jam nunc inter omnes fere convenit. Certe post 500 annos hanc antilogiam nonnisi stupide auctor incurrisset, tempore vero Danielis nihil difficultatis implicabat, cum res notisssima esset. Igitur quæ de rebus coævis babylonicis monumenta restant, nimis Danielis libro congruunt ut tamquam judæi veteratoris fetus hic habeatur ætate Machabæorum viventis, utut eruditum eum dicas et ad bonum patriæ ac religionis ipsum *pia fraude* hæc omnia invenisse et Danieli adscripsisse affirmes. Ergo argumenta libri interna ejus genuinitatem mirifice corroborant, quam universalis et numquam interrupta traditio et fides nationis judaicæ invicte demonstrant.

CAPUT XXXIV.

Solvuntur oppositæ difficultates: authentia partis deuterocanonicæ.

411. Difficultates quæ a rationalistis *centies propositæ sunt* (ait Renanus) pluriesque contritæ, ad duas reduci possent, si adversarii sinceri esse vellent, nempe, a) summa determinatio ac perspicuitas prophetiarum, quas hic liber complectitur, et perfectus eventuum responsus; unde incredulis necessario videri debent *prophetiæ post even-*

(a) Probabiliter super columnam, ut altitudo utriusque 60 cubitorum melius respondeat latitudini 6 cubitorum; cavam etiam fuisse credo, aut tantum inauratam.

tum, saltem ut ipsi dicunt, usque ad Antiochum Epiphanem, a quo, ut falso repetunt, obscuriores evadunt; et b) miracula hic narrata ab auctore coævo, qui testis et instrumentum eorum fuit. Quæ duo cum rationalistis sint impossibilia, planum erat concludere librum *legendarium* esse, aut falsa data opera narrantem. Ad suam tamen agendi rationem paulisper tegendam, atque ut rationibus non dogmaticis, sed criticis perducti videantur ad libri hujus genuinitatem inficiandam, quæ ab ejusdem divina inspiratione inseparabilis est, eo ipso quod plures contineat veras prophetias eventibus suis confirmatas, alia minora argumenta addunt hic breviter exponenda ac refellenda. Nempe asserunt c) elogium Danielis ab auctore libri Ecclesiastici prætermitti, ubi reliquos prophetas laudat; d) ab ipsa Synagoga non inter prophetas sed inter hagiographos in hebraicis bibliis fuisse collocatum; e) utramque linguam qua scriptus est, linguæ ætatis exilii non respondere, sed posterioris temporis indicia præ se ferre; f) imo non solum persica, sed græca vocabula adhibere; g) post exilium a nemine prophetarum alludi aut aliquo modo in usum deduci; h) falsam Babylonis imaginem offerre, universalemque libri colorem a scriptis babylonicis nimis alienum; k) doctrinas contineri, quas nonnisi postremis temporibus judæi a persis acceperunt, aut inter eos evoluta fuerunt, ut Angelorum ministeria, usus oratorii atque triplex oratio per singulos dies facta facie ad Palæstinam conversa, virtus expiatoria eleemosynæ, sublimiores Messiæ ideæ, &c.; l) ab historiis profanis in multis dissonantiam; m) plurium impossibilium aut saltem inverosimilium narrationem; unde n) omnia explicant scopo a judæo temporis machabaici concepto, qui *pia fraude* hunc librum confecit statim post mortem Antiochi Epiphanis, ut paulo post alii pseudo-epigraphi libri compositi sunt, ac præsertim primis christianis sæculis. Cetera objecta minoris momenti sunt, et in commentariis passim solvuntur.

412. Primis duobus argumentis (a et b) nihil est jam quod respondeamus cum toties id factum sit. Nempe miracula et vaticinia cum possibilia sint, nihil aliud postulant quam demonstrationem existentiæ eorum, quæ, ut *factum quoddam*, testimonio indiget historiæ fide dignæ ut ab illis credatur qui *facti illius* testes non fuerunt. Grave quidem indicium falsitatis adesset, si aut miracula absurda, Deo indigna et absque ratione sufficienti patrata dicerentur, aut vaticinia ambigua, naturali ingenio pervia aut absque fine etiam Deo digno edita essent. Ast hic neutrum ocurrit, ut ex supra dictis circa missionem specialem Danielis patet. Ratio obscuritatis eorum coævis prophetæ, et perspicuitatis posteris generationibus, etiam allegata est, nempe iis generationibus propheta loquebatur; præter generalem vaticiniorum condi-

tionem, quæ ab eventibus magnam recipiunt lucem. Falsum vero est vaticinia Danielis clara tantum esse usque ad Epiphanem, cum perspicua sit prophetia adventus Christi, rejectionis populi, vastationis Solymorum et templi, determinato tempore aliisque circumstantiis in bello judaico cum romanis adimpletis. Deinde celebris prophetia quatuor regnorum imperium romanum necessario comprehendit, tum ex interpretatione totius nationis judaicæ, ut pluribus documentis demonstratur illius historiæ circa ætatem Christi ac præsertim in bello contra romanos ac posteriores commotiones, tum ex ipso contextu; cum enim nullum fuerit imperium medorum, et macedonici fragmenta in ipsa prophetia designata sint ut talia, non vero ut imperium diversum, patet per quatuor imperia intelligi tantum posse babylonicum, persicum, macedonicum et romanum. (Conf. VII ac præsertim versum 23 ubi quartum regnum majus præcedentibus dicitur; Seleucidarum autem dominatio absurde tantum diceretur major persica aut Alexandri magni). Cum ergo plura de quarto hoc imperio dicat, et de ejus destructione ope *lapidis e monte decidentis absque manu* a qua impulsum receperit, concludendum erat ab adversariis post imperii romani universalem dominationem, ejusdemque spirituali sensu destructionem ope christianæ religionis, librum Danielis fuisse compositum. Si logici esse velint, aut absurdum hoc admittere debent, aut præmissas positas repudiare. Accedit adversarios nimium torquere imminentem, quam sibi fingunt, apparitionem Messiæ ac resurrectionem sanctorum prædictam immediate post auditam mortem Epiphanis (ita Bleek); quod (licet illi gratis concludant, cum duæ res absque intermedia prævisæ et prædictæ, non eo ipso sese *immediate* excipere debeant) cum ingenio et calliditate falsi auctoris componi minime posset, statim enim ut falsarius habitus fuisset prophetia non adimpleta, ac proinde inutilem laborem impendisset in libro exarando ad fidem religiosam amoremque patrium inflammandum certa fide triumphi sanctorum ope Messiæ. c) Auctoris Ecclesiastici non mens fuit omnes viros celebres et scriptores hagiographos celebrare; nihilque de Jobo dicit, Esthera, Mardochæo et Esdra, qui postremus meritis superavit Nehemiam, Josuem et Zorobabelem, quos laudat auctor Ecclesiastici. Ceterum argumentum nimis probaret, nempe numquam Danielem exstitisse neque illius famam apud hebræos, quod allegationibus citatis Ezechielis contrarium est. Si vero ex iis concludas nonnisi antiquissime Danielem exstitisse, cum laudetur ab Ezechiele inter Noe et Job; dicam ordine chronologico hic minime tres hos viros recenseri, sed pro eorum meritis in ordine ad intercessionem et salutem inde manantem: nempe, Noe tres filios totidemque nurus liberavit, et cum

eis totum genus hominum, Daniel tres socios castamque Susannam, Job tres amicos; et hoc quidem nisi mavis asserere casu servatum fuisse ordinem hunc. d) Cur non inter *prophetas* sed inter *hagiographos* liber recenseretur in canone hebraico certo nescimus; sed ob rationem chronologicam certo non factum fuit, cum ordo chronologicus non servetur. Probabilius existimo id accidisse quia Daniel *inspiratione* quidem, sed non *ministerio prophetico* apud populum israeliticum usus fuit, sed apud ethnicos principes. Quidquid tamen sit, in canone erat receptus, ob idque ut liber sanctus et inspiratus habitus fuit; quod, ex speciali ejus natura, cum genuinitate necessario conjungitur. In versione tamen alexandrina inter prophetas recipitur; utrum aliquando in textu hebræo, quæstio vexata est ac minime patens. e) Tam falsum est quod hic asseritur, ut a peritioribus grammaticis contrarium affirmetur, ut a J. D. Michaelis hæc dicente (Gramm. chald. pag. 25): «Ex his similibusque Danielis et Ezræ (Esdræ) hebraismis qui his libris peculiares sunt, intelliges utrumque librum eo tempore scriptum fuisse, quo recens adhuc vernacula sua admiscentibus Hebræis linguæ chaldaicæ; non seriore tempore confictum. In Thargumim enim, antiquissimis etiam, plerumque frusta hos hebraismos quæsieris, in Daniele et Ezra ubique obvios». Hebraicus vero sermo Danielis illo Ezechielis simillimus est; unde omnibus suis partibus nutat objectio. f) Quod si verba *zendica* aut *persica* nonnulla haberet, nil esset mirum ea ætate, qua tribus medo-persicæ inter babylonios ita influere coeperunt, ut illos demum subjicerent. De verbis autem græcis hic occurrentibus, nempe nominibus quorumdam instrumentorum musicorum, satis superque diximus in archæologia; unde patet nil prorsus inde pro recenti libri nostri compositione erui posse, etiam si nomina ista ab orientalibus radicibus derivari nequeant, quod minime certum est. (Conf. Archæol. n. 57). g) Argumentum hoc negativum est; non prorsus verum, cum imitatio Danielis a Zacharia (Conf. I, 18; VI. 1.) satis pateat; denique explicationem habet ex iis quæ diximus de speciali charactere vaticiniorum, missionis atque intentionis Danielis a reliquis prophetis diverso.

413. h) Vagam hanc Renani objectionem aut ex mala fide, aut ex rerum babylonensium ignoratione, et profundioris Danielis cum Ezechiele et Zacharia comparationis defectu ortam fuisse, ex his, quæ paulo ante in argumento d) pro libri genuinitate pauca delibavimus, patet, plurima enim adduci possent, si operis nostri ratio id pateretur. Sed ob rei gravitatem alia addere placet e *Vita di Jesu* Dr. Ghiringhelli, pag. 447...: «Nec tantum usus promiscuus et peculiaris indoles duplicis linguæ adhibitæ a Daniele incomposibiles sunt cum hy-

pothesi recentioris ætatis; sed stylus, imagines straneæ et hyperbolicæ, multitudo et prædominium symbolorum e regno animali desumptorum ad hostiles potentias designandas; ipsa monstra alata aut sine alis in tapetibus babylonicis contexta et in cylindris designata (a) characteribus cuneatis, aut in muris persepolitanis sculpta (b), genus descriptionum juxta babylonicam artem magnificum, ingens, quandoque inconcinnum et extraordinarium, quod apparet in somniis et visionibus Nabuchodonosoris (Dan. II, 31..; IV, 7-14, 17-23, 29-30); cessatio symbolorum in visionibus prophetæ postquam imperio chaldaico succedit medopersicum (Dan. IX-XII); anologia inter imagines et symbolos hujus, et illa quæ adhibent, licet minus frequentia minusque explicata, coævi Ezechiel et Zacharias (c), hic veluti reminiscentiam antiqui sui incolatus, ille ut qui, vivens in longinqua provincia, sub oculis non habet magnificentias ingentis metropoleos; omnia hæc lectorem transferunt in locum illum, illudque tempus, omnia produnt ipsam scriptoris personam. Quod multo verius est, si attendas ad perfectam et inaffectatam cognitionem, quam auctor ostendit, circa res historicas, usus, mores, leges, instituta, ad universum denique systema domesticum, civile, administrativum, politicum, litterarium et religiosum illius regionis et temporis, non tantum iis consentiens, quæ e sacris auctoribus et profanis constant, verum etiam, relate ad hos postremos, accuratiorem et a spiritu partium magis liberam». Notitiæ erga babylonensium religionem in libro Danielis contentæ, adamussim congruunt iis, quas priores prophetæ reliquerunt, et traditionibus servatis a Ctesia, Herodoto, Beroso et Diodoro. Ex quo fluit religionem populi sub Nabuchodonosore fuisse, paucis adjunctis exceptis, substantialiter eamdem, quæ ante chaldæorum irruptionem; inde sub persis coepit ex horum dogmatibus ea recipere, quæ cum

(a) Horum plura sunt in Musæo Britannico et alibi.

(b) V. Münter l. c. et Boyle opere anglico: *Inspiratio libri Danielis*. &c. Sect. 2, cap. I, 2.

(c) Eze. XXXI, 3... cum Dan. IV, 7... et Schlosser, *Historia univ. I*, pag. 240, qui tamen rem exaggerat, dum reminiscentiam templi et aulæ Babylonis videt «in curru tonitrui et terribilibus fulmineis equis illi subjugatis, in throno sapphiri, in solio corruscante coloribus iridis» (Eze. I, 4-28). Et de Zacharia ait idem auctor; «hic in suis visionibus colorem ostendit veteribus Hebræis ante exilium ignotum; lapidem sculptum septem oculis quibus Jehovah universam inspicit terram uno aspectu (III, 9; IV, 10), quatuor spiritus repræsentatos per currus ad quatuor terræ cardines directos.» (Conf. etiam Ps. CII, 3-4.

proprio polytheismo componi poterant; donec paulatim sub macedonibus cum religione vicinorum populorum confusa fuit. «Credimus, ait Münter, in solo Daniele inveniri superstites reliquias dogmatum, morum ac linguæ ætatis babylonicæ, cum græci ea transmiserint sub græco aspectu, si non adulterarunt, ut Berosus, græcam formam illis tribuentes. Ars interpretandi symbola et somnia, constitutionem classis sacerdotalis, integram vitæ rationem postremorum regum Babylonis, ut etiam nonnullas indicationes super ætate medo-persica, nullibi habemus, nisi in libro hoc». Conf. Hævernick, *Novæ criticæ investigationes super libro Danielis*, germanice, Hamburg, 1838.

414. k) Mirum est qua certitudine ab adversariis affirmatur nonnisi post commercium cum persis doctrinam Angelorum apud hebræos viguisse, aliaque in hac objectione comprehensa. Nam Angeli passim apparent in veteri testamento, ut in serpente Evam seducente, vel si hoc adversariis non arrideat, in querub paradisi custode, in Angelo Abrahamo apparente, ut in aliis tribus Sodomæ eversoribus, in eo qui apparuit Agaræ, Jacobo, Josue, Gedeoni, parentibus Samsonis, in Seraphim thronum Jehovæ velantibus, quos vidit Isaias &c. Quod si a captivitate assyria et babylonica depingi coepere coloribus ac symbolis inde deductis, hoc nil refert, cum aliud sit idea expressa, aliud modus eam exprimendi, qui diversus esse potest, et diversis adjunctis accomodari, ipsa eadem manente. Angelorum nomina officium eorum designant, seu specialem missionem acceptam, aut denique symbolica sunt, ut aliquo modo substantiam spiritualem extraordinario in historia apparentem denominare possent, nec hebræis prorsus ignota erant (conf. n.° 210). Quod vero in Daniele primo occurrit, est idea Angeli regni custodis, valde propria doctrinæ hebræorum circa Angelos (ut ille qui præcedebat castra Israel, Jos. V. 14; conf. 137 nota) valdeque cohærens: nempe, antiquum dogma novam evolutionem seu potius majorem determinationem a Deo per ministerium Danielis accepit, si non jam inter hebræos vulgare erat, quod indicari videtur ex valde simplici Danielis narratione nulla adnotatione facta (conf. cap. X). Eleemosyna universis Bibliis commendatur, semperque ut opus bonum, sanctum et meritorium habitum fuit; hæc autem ad Deum placandum apta esse, imo necessaria, ex qualibet fere pagina V. T. constat. Jejunium a Daniele adhibitum fuisse tamquam præparationem ad recipiendam inspirationem propheticam merum mendacium est, cum ipse liber scribat id fecisse Danielem *ut se pro populi sui peccatis affligeret et ad libertatem populi postulandam* (IX; X, 2, 12..; &c.). Aliunde quamvis donum prophetiæ gratuitum sit, nil est quod impediat quominus

a Deo facilius concedatur piis animis et in oratione et bonis operibus ad divinas communicationes dispositis; quod quid cum genuinitate libri Danielis habeat connexionis non video. Utrum Daniel oratorium haberet, seu cellam ad orandum *tantum* destinatam non appareret in libro; nec constat a quo tempore hoc apud judæos obtinuit; unum constat, etiam veteres hebræos diversoria habuisse, quibus ad orandum abstracti a ceterorum consortio uterentur. Triplex diurna oratio antiquissima videtur, cum ætate Christi vulgaris, nusquam statuta appareat, et ab auctore psalmi 54 jam indicata illis verbis: *vespere et mane et meridie narrabo* &c.—Denique orationem peragere facie ad Jerosolymam versa facillime concipitur consuevisse hæbræos captivos, pro restauratione religionis, templi, ac patriæ quotidie suspirantes: adumbratum jam fuit ab ipso Salomone cum templum dedicaret (2 Par. VI, 38), cosuetum a Davide, postea ab omnibus judæis in dispersione, ab indis, muhammedanis &c. De sublimioribus, quas dicunt, ideis messianicis nil moror; cum longe ante Danielem magnificentissime Messiam depinxerint Isaias, David in psalmis, duplicemque naturam aperte tradiderint, mortem pro omnibus expiatoriam prædixerint, regnum futurum sempiternum et ineluctabilem potentiam pluribus persecuti fuerint. Nullum est ergo indicium posterioris libri compositionis in doctrinis quas complectitur aut in moribus ad quos alludit. l) Nec mirum est ab historiis profanis in quibusdam librum nostrum dissentire, quæ ipsæ minime inter se conveniunt, et plura ignorant, confundunt, detorquent, absurda fabulantur, nec cum Daniele aliisque libris sacris comparari possunt, quod jam diximus, ac confirmatur in dies studio et interpretatione monumentorum cuneatorum, quæ inter ruinas Ninives, Babylonis, Persepoleos inventæ sunt. Conf. dicta de hac re in archæol. n.° 3 et 8 et infra dicenda in hermeneutica, n.° 708 H. m) Quæ objiciuntur ut imposibilia minime probantur, data possibilitate et existentia ordinis supernaturalis et miraculi. Inverosimilia multa visa sunt iis, qui falsas ideas populorum orientalium, eorumque civilizationis et morum habebant, ut elevatio Danielis in aula regia, decretum Darii acile latum et irrevocabile, artes inimicorum Danielis horumque punitio, decretum Darii ut per mensem nemo quidquam ab alio homine vel deo peteret nisi a rege. Idem dicas de Nabuchodonosoris ingenti statua, sub qua se forte ut deum coli intendebat; de ejusdem metamorphosi, id est, morbo licanthropiæ medicis notissimo, qui in libro Danielis sub formis ac symbolis figuratis describitur, non quasi plumis vere cooperiretur et ungues ejus ungulis avium æquales vere essent, sed *quasi avium*. n) Minime ergo necessariæ sunt adversariorum hy-

potheses ad originem libri ætate machabaica explicandam tuendamque, cum nihil demonstret Danielis legitimum fetus non esse, plura vero et insuperabilia incommoda in contraria sententia inveniantur, ut longe ex dictis patet. Atque ars critica detrimentum irreparabile pati cogeretur, rejectis tot tantisque argumentis pro libri Danielis authentia, quæ vix pro aliquo alio libro antiquo inveniri poterunt. Igitur, nisi scepticismum admittamus historico-criticum, fateri cogimur partem protocanonicam libri Danielis medio fere seculo 6.° ante Chr. ab ipso propheta prodiisse, verasque esse prophetias maximas in eo descriptas.

415. Pars deuterocanonica complectitur orationem Azariæ et hymnum trium juvenum in fornace ardenti (Cap. III, 24—90), historiam Susanæ (cap. XIII) et destructionis deorum Beli et Draconis (cap. XIV)). Quæ quidem fragmenta ita inveniuntur in versionibus græcis alexandrina et Theodotionis, ut in prima minime differat stilo a reliquo libro, atque ipsa collocatio abrupta evincat non inventa fuisse aut de novo recensita ab interprete græco; in altera vero scopus ipse Theodotionis impediat quominus in hebraico exemplari, quod ille sub oculis habebat, non fuisse credamus, atque ex alexandrina versione recensuisse, alioquin pariter recensuisset additiones Estheræ &c., quæ hebraicæ non exstabant. Igitur antiquitus hæ additiones in libro Danielis hebraice aut chaldaice erant, quæ postea evanuerunt, nec jam ab Origene inventæ sunt. In hymno capitis tertii explicatio est hiatus illius, qui inter versiculos 23 et 24 partis protocanonicæ invenitur; statim enim postquam dictum est tres juvenes in fornacem missos fuisse, ait rex (v. 24): «*ecce video quatuor viros solutos et ambulantes in medio ignis*, quod minime intelligitur; ast optime constat additione deuterocanonica, qua legimus Angelum Domini descendisse ac cum tribus juvenibus deambulasse in medio ignis. Denique non solum a Patribus fere omnibus et universa Ecclesia recepta fuerunt, sed ex ipsis posterioribus judaicis operibus non pauca ad has historias pertinentia collegit in *Pugione fidei* noster Ray. Martini.

416. Primus hæc fragmenta repudiavit Julius Africanus in epistola ad Origenem, ubi pleraque argumenta opposuit quæ dein ac etiamnunc opponuntur a protestantibus fere omnibus (nisi cum Hævernick nihil jam hac de re scribant, ut pote judicata), quæ omnia refutavit Origenes. Erant autem hæc: 1.° historias istas non inveniri

hebraice; 2.° genus orationis diversum ac lusum verborum πρίνου πρὸς πρίσω et σχίνου πρὸς σχίσιν, qui græcum auctorem, non interpretem prodit; 3.° Danielem alibi non prophetasse ex inspiratione, sed post visiones, nec in Scripturis reperiri prophetam, qui alterius verba usurpet, ut hic laudatur Ex. XXIII, 7; 4.° captivos non habuisse amplas domos, hortos, proprios judices, &c., prout hic asseritur. His respondet Origenes: 1.° nec alias Scripturarum partes hebraice reperiri, hæc vero fragmenta Dei numime scripta fuisse ac deinde a judæis sublata (aut forte, addo, casu vel alia de causa e bibliis excerpta, quæ deinde facile evanuerunt); 2.° negat argumenti vim, probabileque existimat in originali simile quid exstitisse (a); 3.° primam hujus objectionis partem nihil probare affirmat, alteram falsam prorsus esse; 4.° falso pariter hæc objici; quod ex ipsa historia demonstratur, et ex more assyriorum, chaldæorum, persarum ac romanorum populis devictis, imo in captivitatem deportatis, suas leges et mores, quantum dominationis ratio sinebat, reliquendi.

417. Objiciuntur nonnulla alia facile solvenda. Sic ratio orationis Azariæ ac hymnus trium juvenum cum eorum statu libero in medio

(a) Hoc fatetur Delitzsch, qui lusum istum facillime inveniri potuisse hebraice putat verbis אלה cum אלה et אלון cum פלח, ut et arabice; Haneberg autem opinatur fuisse vocabula צרי et צרא, atque תרזה et תרד (latine est, *sub schino* (lentisco), unde ait Daniel: Angelus Dei *scindet* te medium, et *sub prino* (ilice), unde pronunciavit Daniel: Angelus... ut te *secet* medium). Et S. Hieronymus facile id ab interprete componi potuisse fatetur, «ut si v. g. dicamus de arbore *ilice* dixisse eum *illico* pereas; et a *lentisco* in *lentem* te comminuat Angelus, vel, non *lente* pereas, aut, *lentus*, id est, flexibilis ducaris ad mortem, sive aliud quidquam arboris nomen conveniens» (Præf. in Danielem). Et ipse quidem Hieronymus, quæcumque mens ejus fuerit, dum hoc loco ait librum Danielis: «nec Susannæ habere historiam apud hebræos, nec hymnum trium puerorum, nec Beli draconisque *fabulas*, quas nos, *quia in toto orbe dispersæ sunt*, veru anteposito easque jugulante subjecimus, ne videremur *apud imperitos* magnam partem voluminis detruncasse» (igitur non hoc a *peritis* timebat); atque paulo post: «*super qua re lectoris arbitrio judicium derelinquens*»; idem, inquam, Hieronymus increpationi Rufini respondet se ex sententia judæorum hæc scripsisse; quod de verbis inter transcripta mediis patens est, utrum autem de primo loco verissimum pariter sit, ipse verborum contextus dubitandi locum relinquit. Interea patet qualis erat sententia Ecclesiæ communis, quæ certe majoris ponderis est quam auctoritas Hieronymi, si tamen contraria primum fuit.

flammæ optime constat, non est enim difficilis ode, quæ diuturnum compositioni tempus postularet: judicium Susannæ tumultuarium minime fuit, sed a duobus testibus juxta legem accusata, et ipsa specie veri, damnata fuit; Danielem autem *puerum*, id est, valde juvenem, præsertim comparatione facta cum duobus senioribus populi, omnes exaudierunt pariter juxta legem, qui ante falsæ accusationis demonstrationem jam calumniam spiritu prophetico noverat, ob idque singulos increpat durius, ac ostensa populo contrarietate testimoniorum judicum, poena talionis pariter juxta legem puniuntur. Versus 65 cap. XIII apud LXX deest, et in Theodotione, ac forte ab hoc loco alienus, aut saltem non hujus cap. haberi debet, sed primus sequentis, ubi historia Belis et draconis incipit. Ceterum historia Susannæ circa tredecimum ætatis Danielis annum probabilius accidit, ideoque sub rege Nabuchodonosore. Cyrum credidisse a spiritu Beli cibos appositos quotidie manducari, inverosimile non est, prout populus communiter credebat, si tamen non ficte egit in tota hac historia, ad destruenda idola a persis odio prosequuta. Habacuc ille qui ab Angelo in foveam leonum translatus est ut cibum Danieli offerret, nonnisi in versione Theodotionis et Vulg. lat. *propheta* dicitur atque *e Palæstina* translatum, quod forsitan ille addidit putans eumdem fuisse cum Habacuc hagiographo, nec impossibile est ut hic ipse fuerit (conf infra n. 428); sed, quidquid sit, certo miraculum adfuit, quod Deus patrare potuit ad eumdem finem obtinendum inter babylonios, ad quem alia, quæ in hoc libro leguntur, portenta patravit.

418. Plures difficultates forsitan evanescerent si originalem textum haberemus, cum ambæ versiones græcæ primigeniæ discrepent inter se, et an aliqua fidelis *plene* sit ignoremus. Plerique putant hæc additamenta ab ipso Daniele scripta fuisse. Alii opinantur orationem Azariæ hymnumque sequentem ab ipsis auctoribus scripta libro Danielis addita dein fuisse, quod minus congruit cum hiatu, quem diximus inter vv. 22 et 23-24 hebraici textus; optime tamen cum auctoritate canonica constat. Sic etiam historiæ cap. 13 et 14 a coævo auctore scribi potuerunt, atque ab auctore theopneusto, loco appendicis inseri libro Danielis; unde explicaretur quare in diversis codicibus hebræis aut deerant, ut in iis ex quibus communis textus hebraicus prodiit; aut aderant, ut in illis qui versionibus græcis fontes fuerunt. Denique alii malunt nusquam hæc addita fuisse exemplaribus hebraicis; quia tamen hebraice aut chaldaice exstabant, ab auctoribus inspiratis scripta, ab interpretibus græcis alexandrino et Theodotione cum libro Danielis hebraico conversa sunt illique addita. Notandum denique est versionem Danielis alexandrinam prave factam

fuisse, ac proinde ab Ecclesiæ usu paulatim excidit, atque jam ante Hieronymum versio Theodotionis adhibita fuit, et in bibliis græcis hæc locum invenit, illa exulavit. In editione D. C. Tischendorf utraque versio reperitur. In editione Theodotionis invenitur historia Susannæ ante cap. 1; additamenta cap. 3, inscribuntur: *Oratio Azariæ et hymnus trium*, atque post cap. 12 inscriptio est: *Bel et draco.* Apud LXX omnia inveniuntur ut in vulgata; sed historia Susannæ inscribitur: *Susanna*, atque cap. 14: Ex prophetia Habacuc, filii Jesus, ex tribu Levi; quæ inscriptio erratum interpretis est.

CAPUT XXXV.

Prophetæ minores generatim: Oseas: Joël.

419. Duodecim prophetæ, *minores* dicti, quia ob parvulam suorum scriptorum amplitudinem in unum librum jam pridem, forte ab ipso collectore canonis postremo, conjunti sunt, ne aliquod eorum periret, ut ait Kimchi; sub hoc nomine allegantur a S. Stephano (Act. VII, 42) verba Amosi referente, sed præcipue ab auctore Ecclesiastici XLIX, 12): «Et *duodecim Prophetarum* ossa pullulent de loco suo; nam corroboraverunt Jacob, et redemerunt se in fide virtutis»: qui quidem locus absque ulla causa suspectus interpolationis a nonnullis habetur (conf. etiam Josephus, cont. Ap. I, 8; Melito, apud Eus. *H. E.* IV, 26, τῶν δώδεκα ἐν μονοβίβλῳ; Greg. Naz. *carm.* 36, Μίαν μέν εἰσιν ἐς γραφὴν οἱ Δώδεκα). Singulorum ætas quandoque certo determinata est, aut in prophetiarum inscriptionibus minime inauthenticis (a), aut substracta materia; atque generatim ita distribui possunt: Oseas, Joël, Amos, Abdias, Jonas, Michæas ante decem tribuum captivitatem prophetaverunt; Nahum, Habacuc, Sophonias inter destructionem regni israeliciti et judaici; Aggæus, Zacharias et Malachias post reditum ab exilio babylonico. Exactior temporis determinatio tantum adest in Osea, Amos, Abdia et Michæa qui coæ-

(a) Quod a quibusdam affirmatur, sed non evincitur, atque ex præjudiciis adversus prophetias veras præcipuæ difficultates oriuntur.

vi Isaiæ fuerunt, Sophonia Jeremiæ synchrono; Jona, qui ante a. 800 vixit (4 Reg. XIV, 25); ac tribus postremis, licet minime inter omnes conveniat quo præcise tempore post captivitatem vixerunt, etsi communiter assignetur regnum Darii Histaspis. Utrum ordine chronologico in hebraica biblia ac vulgata nostra collocati sint probabilius videtur Hengstenbergio, Hævernickio aliisque multis, jamque S. Hieronymus scripserat: «in quibus autem tempus non præfertur in titulo, sub illis eos regibus prophetasse, sub quibus et illi qui ante eos habent titulos, prophetaverunt» *(præf. in 12 proph.)*. Sane cum eorum collectio in unum librum antiquissima sit, nec ulla ratio alia appareat ordinis servati in eorum collocatione, cum ratio chronologica in plerisque servetur, cumque nullum argumentum contrariam sententiam evincat (quæ plerumque rationalistarum est, etsi alii participent, ut Delitzsch, qui materiæ substractæ rationem habitam fuisse tenet), concludimus valde esse verosimile collectorem canonis ordinem chronologicum adhuc ex traditione notum servasse. In græca versione paulisper mutatus est circa 6 priores, qui ita inveniuntur: Oseas, Amos, Mich., Joël, Abdias, Jonas.

420. Oseas (הוֹשֵׁעַ, LXX Ωσηέ), filius fuit Beeri (a), suum munus inchoavit vivente Joroboamo 2.°, rege Israel (825—784), atque explevit regnante Ezechia (727—698), ideoque prophetavit saltem 57 annis, si a postremo Jeroboami ad primum Ezechiæ computum ducas. Ephraimita genere fuit; tempus quo prophetavit ex inscriptione constat atque tenore libri (conf. I, 4; X, 14), super Israele etiam plerumque locutus, rarius et levius regnum Judæ attingit, contra vero regnum decem tribuum sæpissime (III, 1; IV, 17; V, 3; VI, 4; VII, 1; VIII, 8, &c.), urbem regiam passim (VII, 1; VIII, 5; X, 5; XIV, 1), et sedem cultus idolorum (IV, 15; V, 8; VI, 8; IX, 15) non modo expressis verbis commemorat, sed etiam recta via compellat (IV, 1; V, 1; VIII, 5; IX, 1; XI, 8), ita ut certum sit ex israelitis prodiisse, quiquid contra nonnulli dicant.

Hebraice scripsit, ut reliqui prophetæ minores, stilusque ejus valde implexus est ac concisus, sæpe brevissimas

(a) Non vero Beerat rubenitæ qui a Salmanassare in exilium ductus est (Par. V, 6), ut immerito rabbini asserunt.

allusiones adhibet ad res nobis ignotas; unde difficilis intellectu evadit. S. Hieronymus scribit de eo: *Commaticus est, et quasi per sententias loquens.* In duas partes dispesci commode solet: prima (1—3) complectitur quasdam actiones symbolicas quibus robur accipiebant prædicationes ejus et prædictiones punitionis ac futuræ liberationis populi, quæ typus futura erat liberationis messianicæ (Rom. IX, 25—27); altera continet satis inconnexa oracula, quibus habitatores Israel et Judæ objurgat, crimina et idololatriam arguit, ac poenam prædicit, nempe captivitatem, ac dein futuram redemptionem (4—14). Etsi Messiam nusquam nominat, satis aperte ad illum ejusque tempus et munus alludit, v. g. II, 14—24; III, 4, 5; XI, 9—11; XIV, 5—9; conf. etiam XI, 1 cum Matth. II, 15.

Actiones symbolicæ primæ partis, nempe, matrimonium cum muliere fornicaria (I, 2...), et dilectio, quæ ipsi a Deo præcipitur, mulieris dilectæ ab amico et adulteræ, a veteribus Patribus et interpretibus plerumque ut reales habitæ sunt, quin tamen inde adversus ethicen quidquiam eruatur, cum primam uxorem acceperit, alteram tantum emerit et continentem manere præceperit, ad agendi rationem populi israelitici et Dei vividius denotandam. Novissime accipiuntur aut tamquam parabolæ (Simson), aut tamquam eventus pure interni, cum S. Hieronymo (præf. in Oseam): ita Hengstenberg et Reinke cum plerisque. Non inverosimilis est Hengstenbergii sententia ex pluribus, quæ longo temporis spatio vaticinatus est Oseas, quamdam veluti recapitulationem seu compendium litteris tantum mandasse; unde ratio concisionis ejus constaret.

421. Joel (יוֹאֵל) prophetavit eodem fere tempore quo Oseas et Amos juxta plerosque, antea vero juxta alios, quorum aliqui ætati Joasi coævum faciunt (874—39). Ante Amosum vaticinia sua edidisse, licet synchroni fuerint, probabile videtur a) ex Joëlis cap. III, 16 coll. Amos I, 2, ubi hic alterum imitatur, contrarium namque prorsus incredibile est ob Joelis super Amosum præstantiam, atque ex eo quod dictum hoc, quo Amos inchoat sua vaticina, Joël suam concludit; b) Amosus videtur eos increpare (V, 18) qui vaticinium Joëlis (II, 1, 11) de *magno die Domini* irridebant; c) in canone collocatus est Joël ante Amosum. Quidquid hoc sit, certo ætatis multo posterioris minime esse demonstrat stilus

ejus magnificus, splendidus, omninoque sublimis, dictio purissima et elegans, atque ipsa rerum facies ab eo depicta, qui vitia idololatriæ non objurgat, et, dum sermonem vertit contra Judæ hostes, qui suam retributionem erant accepturi, tyriorum, idumæorum, philisthinorum et ægyptiorum reminiscitur, non autem assyriorum nec syrorum, qui posteriori ætate Judæam adorti sunt.

Continet quatuor capitulis in textu hebraico, tribus vero in græco et latino (a), descriptionem vastationis terræ a locustis perficiendæ ad peccata populi punienda; hunc ad poenitentiam hortatur, redemptionem promittit, benedictionem et felicitatem temporis messianici depingit (II, 18...), effussionem Spiritus Sancti abundantiorem (II, 28, coll. Act. II, 17), judicium denique Domini magnum in valle Josaphat vaticinatur.

Hanc locustarum vastationis descriptionem, ac famis, miseriæ et annonæ caritatem inde provenientem interpretantur alii ad litteram, ut sane omnes interpretantur abundantiæ sequentis descriptionem (II, 22), et quidem ib. 2 comparantur locustæ cum equitibus et exercitu irruente et omnia vastante. Licet a pluribus Patribus et interpretibus hæc sententia teneatur, improbabilis videtur. Ultimum judicium Domini super inimicos suos, quod Joël depingit (II, 30...; III, 1...) (b), judicium universale est in fine mundi hujus locum habiturum; cum omnes contrariæ interpretationes a se nimium discordantes, aut cum historia pugnent, aut imaginariæ prorsus et ridiculæ sint, aut ipsa simplici capitis III Joëlis lectione refellantur. Tales sunt illa Calmeti qui de exercitu Cambysis intelligit, in valle Jezrael castremetato, et subito turbine disperso; Ackermanni qui in ætatem Machabæorum cogit; ac præ omnibus, Scheggii, qui opinatur Joëlem victoriam describere *de omnibus viribus evolutioni et manductioni populi electi inimicis*, sive naturæ sint, sive gentium!

(a) Caput III hebr. incipit a v. 38 cap. II Vulg. et 5 versiculos complectitur.

(b) Conf. etiam Sap. V, 21; Matth. XIII, 39, 41; XXIV; 1 Thes. IV, 16; Apoc. XIV, 15; XXII, 15), una cum signis præcedentibus; si hæc non intendunt potius figurate significare magnam calamitatem, ut saltem aliquando fit.

CAPUT XXXVI.

Amos: Abdias, Jonas: veritas ejus historiæ: Michæas: Nahum.

422. Amos (עָמוֹס), pastor Thecuæ in regno Juda, prophetavit sub Ozia rege Judæ ac Jeroboamo 2°, rege Israel. Fere super Israel tantum vaticinatus est, ac semel ad regnum Judæ respicit. In prima libri parte (1—2 et 3—6) sermones complectitur, quibus dominantem pravitatem describit ac reprehendit, ad conversionem invitat, atque punitionem minatur: hæc permixtim continet. In altera parte (7—9) iterum sub variis symbolis prædicit mala et captivitatem, quæ israelitis imminebant; eos tamen in fine solatur (IX, 11—15) felicitatem temporis messianici describens (Act. VII, 42; XV, 16).

Ejus elocutio pulchra est, energica et eloquens, ita ut S. Augustinus jure eum habeat ut exemplar eloquentiæ *(Doct. christ. IV, 16)*. Hoc ex mera hujus prophetæ lectione constat, et a modernis criticis agnoscitur (ut Baur, Schegg &c.); nec satis acute rem consideravit S. Hieronymus, dum per tacitam allusionem ad 2 Cor. XI, 6, eum dixit «*imperitum sermone, sed non scientia*, idem enim qui per omnes prophetas, in eo Spiritus Sanctus loquebatur», nisi tantum indicare intenderet præcepta rhetorum minime ipsum calluisse, quod nihil dat adimitve ad veram eloquentiam respiciens. Ex picturis et metaphoris quas adhibet, genus vitæ campestris satis ostenditur, quibus tamen pulchre uti consuevit.

423. Abdias. Si vera esset sententia minores prophetas ordine chronologico fuisse in canone collocatos, Abdias (עֹבַדְיָה, LXX Ὀβδιάς vel Αβδιάς) prophetasset ætate Amosi aut paulo posteriori (circa a 800); minime vero in quacumque hypothesi post destructionem Solymorum. Parvula ejus prophetia unius capitis contra idumæos edita fuit, quorum ruinam prædicit ob eorum erga populum Dei inimicitias (conf. 2 Par. XXI, 8; XXVIII, 17). Hac promissione punitio hos-

tium populi electi generatim adumbratur (v. 15), ac pax et felicitas ejusdem sub Messia.

Amoso posteriorem Abdiam faciunt in Germania Jæger, Caspari (professor in Norwegia), Reinke, Danko, Welte, Hævernick; priorem Delitzsch et Keil; post exilium vixisse tenent Bleek, Hitzig aliique, præcipue ob similitudinem Abd. v. 1—9 cum Jer. XLIX 7—22; ast non Abdias Jeremiam imitatus fuit, sed e converso, nam mos Jeremiæ multa imitandi notissimus est.

424. JONAS. In libro Jonæ (יוֹנָה, *columba*) narratur notissima hujus prophetæ historia, quum á Deo Ninivem missus est (vixit juxta 4 Reg. XIV, 25 circa a. 800 sub Jeroboamo 2.°). Missionem quippe detrectans, eam fugit, atque in Joppe navem conscendit Tharsim navigaturam. Exorta tempestate valida omnes navigationis socii deos suos adprecantur Jonamque dormientem ut idem præstet invitant; ille vero causam procellæ se esse noscens (præsertim postquam in eum cecidit sors missa), patriam declarat atque crimen admissum adversus potentissimi Jehovæ mandatum, qui coeli et terræ Deus est. Perterriti socii Jonæ ab eo quærunt quid tunc faciendum erat, atque juxta ejus responsum in mare eum projiciunt, quod confestim quievit; Jonam vero *piscis ingens* (probabiliter *canis marinus*, tiburon) deglutivit, ac Dei prodigio vivum per triduum servavit. Ibi Jonas Deum laudavit et multa oratione deprecatus est (conf. cap. 2.° ubi nonnullos antiquos psalmos imitatur, ut Ps. XVII, 5, 7; XXX, 7, 23; XLI, 5, 8; LXVIII, 2; CXIX, 1; CXLI, 4), atque post tres dies in littus a pisce vomitur, rem divina providentia dirigente. Tunc secundo prius mandatum accipit et executioni dat, Ninivem pergit, ibique prædicat eam esse subvertendam post quadraginta dies. Tunc populus cum rege poenitentiam agunt magnam, et jejunium servant, quod in magni luctus signum etiam domesticis animalibus decernunt. Interea Jonas qui summe timebat falsus propheta haberi, mæstus et iracundus ob ninivitarum poenitentiam ac Dei misericordiam, suas querelas Deo refert ac mori desiderat. Deinde secedit contra partem orientalem urbis ac sub umbraculo sedet, ut quid accideret videre posset, ubi ab æstu solis protegebatur virentibus ac densis cucurbitæ (vulg. *hederæ*) foliis, quam Deus rapidissime crescere fecerat. Sed ascensu diluculi præparavit Deus vermen qui cucurbitæ radicem roderet, quæ proinde emar-

cuit, ac Jonas desperans mortem adprecatur. Cui Deus hæc respondit, quibus liber clauditur ac Dei clementia in omnes homines præclare depingitur: «*tu doles super hederam in qua non laborasti, neque fecisti ut cresceret, quæ una nocte nata est et sub una nocte periit. ¿Et ego non parcam Ninive civitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram et sinistram suam, et jumenta multa?*» Qua admonitione Jonas probabiliter melior rediit in patriam, postquam meliorem Ninivem redderat, ut officio suo melius fungeretur.

Quæ quidem historia in primis judæos edocebat nullum populum, etsi infidelem a Dei clementia et salute alienum esse, deinde exemplum præbebat conversionis a peccatis a populo infideli datum, quo et israelitæ et christiani omnes non parum ad propriam conversionem moveri poterant; denique propriis Jonæ fatis, præsertim triduana existentia in ventre piscis, vividissimus ostenditur typus Jesu-Christi triduo in sepulcro latentis, e quo gloriosus dein surrexit.

425. Quod cum ab ipso Christo Domino edoceamur (Matth. XII, 39-41; XVI, 4; Luc. XI, 29...), non solum veram prophetiam realem heic admittere neccessum est, sed realem historiam narrari, quod allegatione præterea 4 Reg. XIV, 25, ac præsertim textu græco libri Tobiæ confirmatur (XIV, 4), ubi legitur patrem Tobiæ filio dixisse: «*tolle filios tuos et vade in Mediam, fili, scio enim quod locutus est Jonas de Ninive, quoniam subvertetur.*» Judæos omnes et christianos ad hæc usque tempora veram historiam hic narrari credidisse, apud omnes in confesso est, imo Jonæ fama in oriente vulgata apud muhammedanos et veteris Assyriæ incolas mossulenses adhuc manet, quæ ex antiqua traditione descendit, et veterum opinionem hac de re declarat.

Nec ratio aliqua adest, qua universalem hanc sententiam, et, quod caput est, Christi ipsius auctoritate munitam, tamquam visionem in somnio, vel allegoricam historiam multi postestantes, omnes rationalistæ, ac ex catholicis, quos ego sciam, tantum Jahn et Herbs traducant. «*Aut enim,* ait S. Augustinus, *omnia divina miracula credenda non sunt, aut hoc cur non credatur causa nulla est*». Si auctores pagani quidquam simile fabulati sunt, ut de Hercule narrabant (apud Cyr. Alex. *in Jon, 2*) a pisce fuisse devoratum et postea redditum, capite tantum aliquantulum nudato ob calorem piscis, vel quod Lucianus in simili

fictione narrat (*ver. hist. l. I. 30...*), nihil hoc veritatem historiæ Jonæ labefactat, quæ ex Dei providentia contigit magna miracula patrante ad fines Deo dignissimos, quos supra adumbravimus. Sane quæ miraculosa hic sunt, ab incredulis ut reliqua deridentur; sed irrisio probabile argumentum minime est, et christiani majus miraculum credunt in resurrectione Lazari ac Christi ipsius, quam fuit Jonæ conservatio in ventre ceti. Denique reliqua omnia hujus narrationis cum veritate historica concordant, ut florentissimum assyriorum imperium, vastissima amplitudo urbis Ninive, quæ modernis archæologicis investigationibus comprobata fuit, atque urbibus asianorum debellatorum principibus propria erat, ut pote qui populos integros, cum suis tentoriis, domibus, palatiis, campis quibus pecora et jumenta nutrirentur, vineis, lucis, hortis, fluminibus, ac reliquis, quibus vita nomadum gaudebat, muris circumdabant, adhibita devictorum populorum opera. Quare mirum non est Ninive murum fuisse quinque et viginti fere hispanicarum leucarum (fere 150 kilometra) amplum; omnia hæc denique a Niebuhr confirmantur, qui hæc loquitur (*Geschichte Assurs. p.* 274): «pro accuratione biblicæ narrationis offert circa Ninivem liber Jonæ, post pauca annorum decemnia adeo irrissioni traditus, planum argumentum: narratio illius super Ninive e modernis inventionibus (alludit ad investigationes ruinarum ninivitarum in Korsabad factas) super urbis hujus topographia plenam accepit confirmationem». Nempe hic, ut alibi sæpe, ignorantia petulans Biblia irridet, vera scientia confirmat. Idem fere dicas de nonnullis narrationis fragmentis, quæ inverosimilia quibusdam visa sunt. In concisa nimium narratione non determinatur semper quod a Deo præter naturalem ordinem factum est, ac illud quod naturaliter evenit, non tamen sine speciali Dei providentia. Si quæ ergo sunt, quæ post diligentem considerationem inverosimilia aut impossibilia naturaliter appareant, res in promptu est, miracula fuerunt, quibus Deus Jonam Salvatoris typum (a) ante octingentos annos hominibus præbere voluit (Conf. Matth. ll. cc.). Quod si ipse Jonas minime sanctus apparet; nec ut talis in libro depingitur (IV, 9) illis verbis, «*¿putasne bene irasceris super hederam? Et dixit* (Jonas): *bene irascor ego usque ad mortem*».

Utrum ab ipso Jona scriptus liber fuerit, nihil est quod dubitemus; ab eo certe scriptus fuit canticum cap. II; si vero reliqua diversi auctoris essent, inter prophetas hic liber recensitus non fuisset, sed inter historicos; ergo a

(a) Sed non in omnibus; fuit vero in morte, resurrectione et prædicatione.

collectore canonis ab ipso Jona scriptus creditus fuit, quod simillimum vero est, quin gravis contraria ratio appareat.

426. MICHÆAS de Morasti (מִיכָה seu מִיכָיָה) prope Eleutheropolin, in Judæa, vaticinatus est sub regibus Joathan, Achaz et Ezechia adversus Israelem et Judam. De Samaria ait: «*ponet Dominus Samariam quasi acervum lapidum in agro cum plantatur vinea*». De Juda vero: «*Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit... dole, filia Sion, quia nunc egredieris de civitate et habitabis in regione et venies usque Babylonem, ibi liberaberis*» (cap. III—IV). Quæ quidem præclara vaticinia, quomodo rationalistæ explicare possint minime video; authentia namque eorum absque dubio est, ob argumentationem inde sumptam a Jeremia (XXVI, 18-19). Universus liber in tria fragmenta distribui potest (1-2; 3-5; 6-7), quæ omnia a descriptione incipiunt perversitatis hebræorum et punitionis imminentis, atque clauduntur prophetia messianica (conf. II, 12-13; IV; V; VII, 7-20). Nec tantum felicitatem temporis messianici depingit, sed conversionem infidelium vaticinatur (IV, 1...) et locum nativitatis Messiæ, Bethlehem (V, 2 coll. Matth. II, 6; Joan. VII, 42).

Alter Michæas apparet 3 Reg. XXII, 8 et 2 Par. XVIII, 7. Liber Michæ est probabiliter brevis complexus eorum, quæ ipse multa vaticinatus est. Locus IV, 1... convenit cum Is. II, 2..; communius credunt Isaiam a Michæa hæc accepisse et non e contra. Ceterum lingua et stilus utriusque simillima sunt, uterque præclarus propheta. Postrema, quam diximus, Michæ prophetia de loco nativitatis Messiæ et de ea quæ *parturiens pariet*, conferri debet cum altera Isaiæ (VII, 14) de Virgine paritura; quæ quidem simul collatæ et absque studio partium expositæ, atque cum narratione evangelica circa conceptionem et nativitatem temporalem J. C. D. N., *cujus tamen egressus ab initio, a diebus æternitatis* (Mich. V, 2), demonstrant plane verissimas prophetias fuisse etiam septem seculis eventu priores, atque theorias rationalisticas hac de re funditus evertunt. Sane, quidquid dicant de *extasi*, de *imaginationis vi*, de *spontanea intuitione*, de *profundiori ingenio* (gallice *genie*) numquam explicabunt v. g. quomodo Michæas prænuntiare valuit omni certitudine existentiam futuram Messiæ, hujus divinam naturam, mirandam conceptionem et ortum e matre

virgine, locum in quo erat nasciturus, ita ut post septem ad minus sæcula judæis hoc solemne esset, atque hac prophetia controversiam exortam dirimerent circa locum, quo Messias nasciturus erat. Conf. l. c., Matth. II, 6 et Joan. VII, 42.

427. NAHUM, (נחום, LXX Ναοὺμ) e vico Galilææ Elkosch, prophetavit altero dimidio regni Ezechiæ probabilius, aut saltem ætate Manassis, juxta rabbinicam sententiam. Certo prophetavit multo ante ruinam Ninive, cum eam prænunciare sit præcipuus ejus scopus; neque ætatem captivitati babylonicæ proximam fert stylus ejus omnino sublimis ac purissima lingua. Cum (cap. I, 12, 15) ut præteritum depingere videatur terrorem ab assyriis sub Sennaquerib Hierosolymis incursum (anno 713), post hunc eventum probabiliter prophetavit Nahum; ejus autem vaticinium ad perfectissimam amussim adimpletum fuit a Nabupalatzer et Cyaxare anno 625, urbe Ninive funditus eversa et flamnis tradita. S. Hieronymus sub Ezechia Nahumum vixisse tradit; Josephus vero asserit ruinam Ninive prænunciasse annis centum et quindecim antequam eveniret, quod, ex dictis, erroneum puto.

Inscribitur ejus prophetia *Onus Ninive* (משא נינוה) et *Visio Nahum*; canticum scilicet lugubre in Ninivem et consolatorium erga electum populum. Post Jonæ namque prædicationem ad flagitia et crimina priora reversi fuerant ninivitæ, quorum punitionem in consiliis divinis decretam depingit Nahum, atque toto capite 2.° magnificentissime urbis Ninive destructionem et desolationem delineat, ejus causas aperit, ac fiduciam incolarum retundit proposita simili destructione urbis munitissimæ *No-Amon*, nempe, *Diospoleos* in Ægypto juxta plerosque, *Thebarum* juxta aliquos, *Alexandriæ* juxta vulgatam latinam (a). «Dicendi genus Nahumi magnificum et augustum est, exordio prophetiæ sublimi concors est apparatus ad excidium, et ipsa excidii ninivitici descriptio vivacissimis coloribus expressa. Nahumus præter cætera, egregia paranomasiarum, sive verborum inter se assonantium, copia distinguitur. Vix autem

(a) Dictum nempe fuerat S. Hieronymo a suo institutore per *No-Amon* significari urbem quæ eo loco exstabat, ubi postea Alexandria fundata fuit.

septuaginta annis præterlapsis, eventu Nahumi oraculum comprobatum est». Ita Danko.

CAPUT XXVII.

Habacuc: Sophonias: Aggæus: Zacharias: Malachias.

428. Prophetavit Habacuc (חבקוק, LXX Αμβακούμ) non multo ante irruptionem chaldæorum in regnum Judæ (I, 6) quæ primo evenit anno 607; ac proinde impossibile non est hunc eumdem prophetam jam senescentem et in patria cum ruricolis derelictum illum Habacuc fuisse, qui ab Angelo translatus est Babylonem ad cibum Danieli in fovea leonum offerendum (a). Quanto autem tempore ante irruptionem chaldæorum prophetaverit minime liquet; putat tamen Hitzig id evenisse quando jam exercitus Nabuchodonosoris parabatur (contra cap. I, 5), Bleek et Stæhelin nonnullis annis antea, Delitsch sub Josia, ante Jeremiam et Sophoniam (comp. Jer. IV, 13; V, 6 cum Hab. I, 8; Sophon, I, 7 cum Hab. II, 20).

Vaticinatur Habacuc cap. 1.° irruptionem chaldæorum in regnum Judæ; cap. 2.° posteriorem destructionem horum Israelis hostium; cap. 3.° describit sublimi carmine, ad modum psalmi canendi, apparitionem Domini ad populum suum salvandum ac vindictam de hostibus sumendam. Paulus Apostolus hujus prophetiæ meminit (Act. XIII, 41) sub allegatione prophetarum; stylus et dictio perquam sublimis est, atque inter omnes prophetas nullum superiorem agnoscit.

Nahum et Habacuc typice tantum de Messia, ejusque robore, potentia, justitia, victoriis, pace et felicitate ab eo procuranda vaticinati sunt, quando nempe reditum judæorum e captivitate magnificis adeo coloribus depingunt, ut cum eis historia frigide omnino congruat; aliunde hic reditus redemptionem populorum e potestate diaboli typus erat ex omnium SS. PP. doctrina, unde S. Hieronymus *manifestissimam de Christo prophetiam in Habacuc* videt, ubi

(a) Contrarium tenet Danko cum plurimis, qui gravibus argumentis duos Habacuc admittunt.

eum in Deo salvatore suo (vulg. *in Deo Jesu meo*, III, 18) firmiter sperantem admiratur.

428. SOPHONIAS (צפניה, *Tsephaniah*, LXX Σοφονίας) juxta I, 1 vaticinatus est sub Josia (641-610). Capite 1.° prædicit ruinam regno Judæ, cap. 2.° hostilibus populis, philisthæis, moabitis, ammonitis, æthiopibus et ninivitis. Caput 3 rursus incipit prædictione punitionis Judæ, absolvit vero descriptione ætatis messianicæ ad reliquorum prophetarum modum (v. 9...). Sub respectu dictionis et stili inferior duobus præcedentibus est, et nonnullis exoticis vocabulis utitur, elegans tamen et alacer est.

Ex increpationibus hujus prophetæ adversus judæos certum videtur ante annum octodecimum Josiæ vaticinatum fuisse, quo a pio hoc rege restauratio religiosa peracta est, eamdem rerum conditionem supponit quam Jeremias quum ab anno 13° Josiæ vaticinari coepit. Ob peculiaria Solymorum loca, quæ laudat, ut *portam piscium*, *inferiorem*, vallem *mortarium* dictam, (vulg. Pilam, græc. κατακεκομμένην) aliaque, ibi habitasse videtur. Denique nil obstat quominus servata libri unitate, in duas partes distinguatur, in quarum prima (1-2) promulgatio divinæ justitiæ potior est, in altera (3) gratiæ.

429. AGGÆUS (חגי) prophetavit anno secundo Darii, regis persarum (Hystaspis). Cum enim intermissa templi fabrica, judæi qui venerant e captivitate suas res curarent, et tamen nihil proficerent, suscitatus est a Deo Aggæus, qui hujus mali causam aperiret in opere Dei neglecto positam, quamobrem omnis populus illi manus admovit (Cap. I). Deinde, cum seniores populi qui salomonicum templum viderant, flerent multum ex comparatione utriusque templi, Aggæus consolatur eos, prædicens multo potiorem futuram esse gloriam secundi templi præ gloria primi; non quidem splendore ex auro argentove derivato, sed quia ad eum venturus erat *Desideratus cunctis gentibus*, et quia in loco illo *daturus erat pacem*. Deinde fausta prænuntiat Zorobabeli, cui gratiam divinam præ omnibus Davidis posteris pollicetur, atque, commemorata regnorum humanorum fragilitate, asserit stabilem eum futurum medias inter clades in suo decore, dum transibunt imperia populorum; quibus verbis Messiam designat sub Zorobabelis nomine.

Putant nonulli cum Hanebergio id accidisse ætate Darii

nothi, non hystaspis, nempe inter annum 424 et 404. Sed hoc cum libro ipso Aggæi pugnat, qui Zorobabelem et Jesum adhuc viventes supponit (I, 12, 14) qui cum primis e captivitate redeuntibus anno 536 venerant; plures etiam seniores commemorat qui templum salomonicum viderant et illius divitias et magnificentiam cum recenti comparabant, qui incredibili senectute esse debebant. Hæc aliaque argumenta prædictam paucorum sententiam retundunt, quæ aliunde parvulis tantum argumentis fulcitur. Ministerium Aggæi commemoratur 1 Esdræ V, 1-2. Stylus Aggæi in increpationibus vehemens, in vaticiniis satis elevatus, in omnibus lingua utitur parum pura.

430. ZACHARIAS (זכריה), filius Barachiæ, e genere sacerdotali, duobus mensibus post Aggæum vaticinari coepit. Continet ejus liber 14 capita, ut Oseas, ac proinde longissimus est, atque etiam obscurissimus inter omnes minores prophetas. In duas partes dispesci potest: 1.ª post brevem poenitentiæ prædicationem (I, 1—6) continet stylo soluto octo visiones propheticas actionemque symbolicam I, 7—VI, 15), atque clauditur solutione cujusdam quæstionis supra jejunium (VII—VIII). Prima hæc pars generatim hortatoria est idemque thema quod Aggæus prosequitur; admiscet tamen promissiones felicissimorum temporum messianorum, quibus populus electus beabitur, ac etiam addit vitiorum tum grassantium objurgationes. Messianica hic sunt præcipue III, 7..; VI, 12..; ac totum caput VIII. Altera pars lucubrationem propheticam continet duabus etiam partibus distinctam, et obscuriori stylo expositam (IX—XIV; conf. inscriptum IX, 1 et XII, 1). In ea prædicit vocationem gentium, felices præconii evangelici progressus: Christi pastoris adventum, personam, dotes, ministerium, ærumnas, mortem, atque regni gloriam determinate et copiose enarrat, etiam urbis Solymorum interitum. (Conf. ut præcipua messianica vaticinia IX, 9... coll Matt. XXI, 5; XI, 12... coll. Mat. XXVII, 9; XII, 10 coll. Joa. XIX, 37; XIII, 7 coll. Mat. XXVI, 31.

431. Postremis temporibus impugnata primum est hujus libri genuinitas quoad posteriorem ejus partem (9—14) in Anglia, deinde passim in Germania, ob *argumenta tantum interna*, quibus isti ducuntur ad eam prophetæ ante exilium viventi adjudicandam, forte homonymo, quamvis

magna inter eos lis sit in determinando auctore, tempore, aliisque adjunctis. Hæc plerumque rationalistarum sententia inde prodiit, quod sentiant *a priori* «quam vaticiniorum seriem reddere debeat propheta post exilium florens»; cum enim veræ prophetiæ non credant, lucubrationem potius politicam in ea vident, quæ sigillum temporis et adjunctorum præseferre debet, quæ status politici tunc vigentis propria sint. Argumentantur igitur præcipue linguæ et modi loquendi utriusque partis diversitate, atque relationibus historicis in postremæ partis vaticiniis ad tempora captivitate anteriora respicientibus. Sed A) argumenta externa omnia pro libri integritate et authentia militant: canon hebraicus, universæ versiones, omnium rabbinorum fides, allegationes utriusque partis a Christo et Apostolis sub nomine Zachariæ factæ. B) Circa linguæ indolem ostendi potest utramque partem convenire in rarioribus chaldaismi vestigiis, in singulari quadam periodicæ dictionis forma, in constructionum scabritie, frequentiori phrasium quarumdam usu. In modo loquendi utraque pars caret paranomasiis, apud alios prophetas frequentioribus, atque utraque distinguitur peculiari quadam imaginum obscuritate; in utraque videtur auctor commata adamare in quinque membra divisa (VI, 13; IX, 5), et, generali sententia annuntiata, per partes eamdem enumerare (V, 4; VIII, 19; XII, 10). C) Denique licet in utraque parte argumentum non una in re discrepet, convenit tamen in ambabus atque cum scriptis coævis α) in singularibus quibusdam notionibus, v. g. oculus Domini designat providentiam (III, 9; IX, 1), numeri quaternarii rationes symbolicæ utrinque ocurrunt (VI, 1, 5; XIV, 4, 8); β) in allusione ad res chaldaicas et persicas, ut in mensium designatione nomine proprio, non ordine numerico ut apud Esdram, et in allusione ad morem persicum phaleras equorum inscriptionibus exornandi; γ) in ætatis, qua vixit, descriptione, talem enim populi judaici conditionem describit, qualem post exilium fuisse ex coævis scriptoribus discimus; δ) demum in utraque parte veniunt lætæ temporis messianici imagines. D) Zacharias antiquos prophetas imitari gaudet, quod multa explicat ex iis, quæ adversariis ante captivitatem scripta fuisse videntur; non raro tamen sui temporis inferiori conditioni litterariæ indulget. Deinde usus prophetarum attendendus hic est, qui res fu-

turas, sicut et præteritas, tamquam si ante oculos haberent ut præsentes depingunt; denique diversitas, quæcumque illa sit, dictionis et styli diversitate materiæ contentæ satis explicatur.

Coepit hæc controversia in Anglia occasione allegationis (Matth. XXVII, 9) Jeremiæ pro Zacharia, ob quam a Mede, Bridge, Whiston, Neucome aliisque Jeremiæ aut alio ignoto auctori secunda Malachiæ pars tributa est, quorum argumenta dein a germanis discussa, aut repudiata, aut aliis substituta et roborata sunt, præcipue ab Ewald, Hizig, Ortemberg, Bleek, de Wette (qui tribus prioribus suæ Introductionis editionibus cum istis consensit, in quarta et quinta sententiam mutavit, ac demum in posterioribus iterum admisit). Defenditur autem integritas a Koster (*Meletemata critica et exeg. in postr. partem Zachariæ*; Gott. 1818), Hengstenberg, Herbs, Hævernick, Keil, Sandroch, Koehler, Stæhelin, Danko (e quo hæc omnia fere descripsimus), Glaire, Lamy, aliis.

432. Malachias (מלאכיה=מלאכי, *Angelus, vel legatus Dei*] postremus prophetarum, vel, ut rabbini eum dicunt, *sigillus prophetarum*, paulo post duos præcedentes vixit; siquidem ex una parte templum jam completum supponit (I, 10; III, 1), in quo sacra a sacerdotibus et levitis ex lege celebrabantur (etsi non rite, quod graviter ille reprehendit I, 7—14; II, 3, 12, 13; II, 8, 10); ex altera vero talem ponit populi conditionem, quæ cum tempore Esdræ ac Nehemiæ, ac præsertim secundi hujus adventus aptissime quadrat, cum eadem adjuncta concurrant easdemque legis violationes uterque, Nehemias et Malachias, reprehendat. (Conf. 2 Esdræ XIII, 10—13; XIII, 15—16; XIII, 23—24; XIII, 4, 5, 29 circa decimas et primitias, festorum dierum religionem, conubia cum alienigenis ac sacerdotium per se ipsum violatum, cum Mal. III, 7—12; II, 3; II, 11; II, 8; I, 6—14; II, 1—9; III, 5). Cum etiam liber Nehemiæ plures prophetas exstitisse innuat dum Nehemias populum regebat (conf. VI, 7), cumque aliquod temporis spatium dilapsum fuisse necesse sit ut mores ita corrumperentur, ut graviores has objurgationes mererentur, restat ut tunc prophetasse Malachiam dicamus, cum Nehemias rediit Jerusalem post ejus iter in Persidem.

Arguit Malachias in hoc libro gravissime sacerdotes, quos una cum ipsorum cultu prave et ex avaritia facto detestatur ac prædicit Deum substituturum cultum gratiorem

et cultores fideliores, nempe *oblationem mundam in omni loco sacrificandam* (igitur non in templo jerosolymitano, nec tantum in Calvarii loco, quod aliqui protestantes volunt). A sacerdotibus ad populum transit eumque reprehendit ob simulatam pietatem veramque hypocrisim, ob mulieres alienigenas acceptas, aliaque prave facta. Annuntiat adventum Eliæ ante diem Domini magnum et horribilem, ut convertat corda patrum in filios et filiorum in parentes. Hoc vaticinio Malachias prædicit Joannem Baptistam priorem Christi adventum præcessurum *in spiritu et virtute Eliæ* (Luc. I, 17; Matth. XI, 14) et Eliam, ante secundum Christi adventum in fine temporum in terram redituram.

Antiquitus credid erunt nonnulli Malachiam non hominem, sed Angelum incarnatum fuisse, talisque videtur opinio interpretis græci, qui I, 1 vertit *in manu Angeli ejus*, pro *in manu Malachiæ*. Hæc sententia ex nomine prophetæ proprio ejusdem missioni casu congruente orta est; ut alia, quæ Esdram fuisse hunc Malachiam tenebat, et admissa a Hieronymo cum coævis judæis fuit; sed nullo alio argumento fundatur quam hac nominis significatione. Vigore poëtico minime caret Malachias; sed dictio ejus, utcumque facilis ac plana, posteriorem qua vixit ætatem redolet. Ejus liber ultimus fuit, aut alter Esdræ, qui in canonem reciperetur, cujus prostremus collector ipse forsitan fuit aut Nehemias. Ex tunc cessavit *ministerium propheticum* (non proprie inspiratio), donec veniret præcursor hic prænunciatus *Prophetæ fidelis*, qui veterem legem et sacrificia nova lege charitatis ac propria sui immolatione subrogaret.

CAPUT XXXVIII.

Synopsis historiæ politicæ judæorum post Machabæos ad reipublicæ finem.

433. Post felicem Joannis Hircani principatum successit ejus filius Aristobulus, qui primus post reditum ab exilio babylonico nomen et dignitatem regiam suscepit una cum summo sacerdotio. Anno dilapso eum excepit frater ejus Alexander Janæus, qui viginti et tribus annis fauste principatum egit. Dein Alexandra judæos rexit nomine Hircani filii, postea a fratre Aristobulo spoliati; unde duorum fratruum discordia coepit, quam Antipater idumæus fovit, partes agens Hircani et auxilium Aretæ regis Idumææ obtinens. Aristobulus in auxilium vocat romanos sub Pompeio bellum in Syria et Ponto gerentes; unde Pompeius Judæam subegit, Hierosolymas obtinuit, atque Aristobulo iratus, Hircano principatum restituit. Alexander filius Aristobuli ipseque Aristobulus turbas magnas in Judæa excitant; sed Antipater, qui partes Hircani specie, re proprias agebat, gratiam Cæsaris et titulum *procuratoris* Judææ sibi obtinet, atque Herodem filium Galilææ præfecit. Obtenta Syria per Cassium, Antigonus, alter Aristobuli filius, auxilium obtinet Pacori regis parthorum, et Hircanum regno pulsum in vincula conjicit; unde Herodes in Arabiam procellosis his temporibus, deinde in Ægyptum ac Romam secedit, ubi a senatu, intercessoribus Antonio et Octavio, nomen obtinet regis Judææ, remque ipsam post trium annorum bellum; denique Antigonum spoliat postremum Machabæorum regem jussu Antonii occisum, et sua astutia in regno ab Augusto confirmatur (a).

(a) Hujus familia valde implicata est ob plures filios ex novem uxoribus susceptos atque identica nomina filiis et nepotibus imposita. Quia tamen ad rem nostram non parum juvat, en illius tabulam:

HERODES MAGNUS

omissis quatuor aliis uxoribus, genuit ex

Dori.	Mariamne (machabæa).		Maltac.	Cleopatra.		Euripide.
Antipatrum a patre occisum.	Alexandrum (occisum).	Philippum Herodem (virum privatum conjugem Herodiæ).	Archelaum.	Herodem Antipam (qui Herodiam accepit).	Philipum (tetrarcham).	Salome.
	Aristobulum (occisum).					

Herodes (rex Calcidis a Caligula fit).	Agrippa I, (rex judæorum ab eod. Caligula).	Aristobulus.	Herodias.
Drusius.	Agrippa II, (rex item Calcidis).	Berenice.	

434. Defuncto Herode, Archelaus Judæam obtinuit titulo *regis* juxta patris sui testamentum, sed solo titulo *etnarchæ* ex Augusti mandato, qui voluntatem Herodis in multis mutavit. Hinc Archelaus Judæam, Samariam et Idumæam adeptus est, Herodes Antipas, filius Cleopatræ, Galilæam, et Philippus Batanæam, Trachonitidem et Auranitidem, una cum quibusdam Zenodori possessionibus. Post annos octo Archelaus ab Augusto depulsus regno fuit atque in exilium missus. Interea quidam seditiosi et rebelles, vel ex fanatismo religioso, aut ex nimio patrio amore ducti, a Varo suffocati fuerant; nempe Judas ex Sephoris (forte Theudas ille quem S. Lucas commemorat, nisi potius fuit ejus socius Mathias de Margala), Simeon, Aphrongius, et tempore Cyrini Syriæ præfecti, Judas Gaulonita a Coponio duce militum Cyrini contritus. Post Coponium Judæam gubernare vel potius opprimere missi sunt procuratores Ambivius, An. Rufus, Valerius Gratus, Pontius Pilatus, Marcellus, Marullus et Agrippa, Herodis magni nepos, titulo *regis a* Caligula donatus. Idem Caligula Antipam Galilæa expulit et exilio mulctavit; Claudius vero fovit et Herodem ipsemet regem Calcidis constituit. Ut hæc omnia nutu rom. imperatorum fiebant, ita dignitas summi sacerdotis emebatur facillime et vendebatur, quod ad discordias fovendas et ruinam patriæ inferendam maxime valuit. Mortuo Agrippa rege, Claudius provinciam romanam declaravit Judæam, licet Agrippæ II non infensus, quem postea regem Chalcidis constituit; Judææ vero præfecit Cuspium Fadum, sub quo Theudas maximas turbas excitavit. Huic successit Tiberius Alexander, judæus apostata, postea Ventidius Cumanus, deinde Claudius Felix, Porcius Festus, Albinus, ac demum Cesius Florus, quo tempore bellum judaicum postremum contra romanos gestum fuit, a Vespasiano et Tito, totius Judææ, Jerosolymorum et Templi excidio, ac judæorum ruina et dispersione absolutum. Hæc fata maxime adjuverunt judæorum sectæ, pharisæorum præcipue, qui spes Israelis messianicas carnali oculo in temporalem dominatum converterant super omnes gentes atque vindictam ex omnibus; sacerdotum effrenis ambitio fovit, procuratorum avaritia et tyrannis auxit, latronum, fanaticorum et siccariorum facinora præcipitaverunt. Dum Esseniorum secta mosaicam religionem in omnibus fere dereliquerat, ut orien-

talium dualismo et pitagoræorum somniis et abstinentiæ indulgeret; dum Saducæi, externa dominatione contenti, epicuræas voluptates sectabantur absque ulla religionis cura; dum Pharisæi doctrinam Mosis dogmaticam corrumpebant, moralem vero sub innumeris siccisque cæremoniis et humanis traditionibus sufocabant, atque suo fastu, ambitione, hypocrisi, spiritu vindictæ et dominationis terrenæ, Legi tolerantiæ et amoris, mansuetudinis et humilitatis maximam difficultatem creabant; tunc Christus Dominus natus est, Religionem spiritus et veritatis fundavit, suaque morte humanum genus redemit. Pessima sane tempora, ut boni quid sive in doctrina dogmatica, sive in morali ac sociali, ex illis J. C. deduceret.

CAPUT XXXIX.

Notio Evangelii ac cum veteri lege relatio: origo et numerus evangeliorum, eorum consensio et diversitas, modusque utramque explicandi.

435. Libri sacri N. T. in tres classes distribuuntur, in historicos didacticos et propheticos. Primæ classis sunt quatuor evangelia, a Matthæo, Marco, Luca et Joanne conscripta et actus apostolorum Lucæ. Ad secundam spectant quatuordecim epistolæ Pauli septemque epistolæ catholicæ. Tertiam demum constituit Apocalypsis B. Joannis. *Evangelium* idem significat quod *faustum nuncium*; sicque dicta fuit prædicatio J. C. tribus fere annis absoluta, per oppositionem ad veterem *legem timoris*, cum nobis per C. *gratia* et *veritas* donata sit. Post ejus in coelum ascensum scripta partim est ejus doctrina et vita, nomenque *evangelii* designavit etiam libros, in quibus scripta fuerat, jam supra indicatos.

Doctrina hæc et predicatio dicitur etiam in libris N. T. *verbum*, *verbum Domini*, *testimonium J.-Christi*, *prædicatio* (κήρυγμα, proprie *preconatio*, ex κῆρυξ, præco); sed communius *evangelium*, *evangelium J.-Christi*, *evangelium salutis*, *gratiæ* &c. Hæc vero nomina satis designant ideam ab Apostolis et discipulis de Christo ejusque doctrina et missione conceptam; necnon varios novæ legis characteres, quibus ab antiqua lege mosaica distinguitur. Nempe

436. *Gratia* et *veritas*, cujus plenitudinem nobis Christus adduxit, character proprius evangelii est, quo supra antiquam legem assurgit. Hæc imperabat, judicabat, damnabat (Rom. IV, 15; Gal. III, 10, 13; 1 Tim. I, 9; Rom. V, 21), cognitionem peccati et debiti præstabat (Rom. III, 20); evangelium autem nunciat salutem *per gratiam* omni credenti (Rom. I, 16), remissionem offert peccatori et debiti solutionem; aufert maledictionem a lege pronuntiatam, atque cum gratia Spiritus veram donat justificationem veramque vitam (Rom. III, 8...). Aliunde omne V. T. propheticum erat (XI, 13), in illo Deus nuntiabat a longe (Rom. I, 2; 1 Pet. I, 11) et per figuras repræsentabat quæ ventura erant. Evangelium vero non tantum promittit, sed proclamat realitatem, præsentiam Boni et Salutis, atque ad illis fruendum invitat. Ubi lex explicit, incipit evangelium.

437. Quamvis evangelium Christi sola ejus prædicatio et doctrina constituat; ipsius tamen vita, operationes, mors et resurrectio intime illis connexæ sunt, ac veluti bases quibus totum ædificium fundatur. Optimam proinde evangelii definitionem donavit S. Lucas (Act. I, 1) dicens... «de omnibus quæ coepit Jesus facere et docere, usque in diem, qua præcipiens Apostolis per S. Sanctum, quos elegit, assumptus est». Atque ita Apostoli, dum illud prædicabant, brevem omnium narrationem facere, partem doctrinæ J. Christi exponere, seque omnium testes exhibere consueverunt (Act. X, 36—43; XIII, 16—41); quod veluti prima evangeliorum delineatio spectari potest. In rerum autem et doctrinæ electione facienda, pro diversis, quibus inveniebantur circumstantis, magnam sibi libertatem vindicabant, atque nunc latiorem, nunc angustiorem expositionem faciebant, prout suo scopui opportunius illis videbatur.

438. Quoniam Apostoli divina adsistentia gaudebant (Joan. XIV, 26), nulla indigebant scripta evangelii expositione; sed fidelibus, quibus Apostolorum prædicatio et fidei regula et vitæ norma esse debebat, peropportuna fuit scripta ejusdem prædicationis compilatio, et non multo post necessaria, ne ea oblivioni aut alterationi traderetur; quod jam ex epistolis discere possumus (Rom. XV, 15; 2 Pet. I, 12...; 1 Joan. II, 24...). Periculum hoc non aderat dum præsentes erant Apostoli, optime vero in eorum absentia; ex quo factum est ut brevi *conarentur multi ordinare narrationem eorum*. Quædam ex iis commentariis ab Apostolis immediate aut sub eorum oculis facta sunt; sed valde oportebat om-

nia ordine chronologico disponere, ad intelligentiam, recordationem et fidem eorum peropportuno. Hæc fuit trium priorum evangeliorum, quæ synoptica dicuntur, origo; quarti vero singularis necessitas uberius exponendi theologiam Verbi, quæ jam aderat 1.° sæculo labente, et Joanni suum evangelium conscribendi ansam præbuit. Ita S. Justinus evangelia vocat *Apostolorum memorias*, ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων, Tertullianus *commentaria*, ut a paganis nomen *evangelii* intelligeretur; numquam vero veteres Patres ea ut historiam proprie dictam seu *biographiam* considerarunt, quod verissimum est, et ad multos errores criticos et exegeticos vitandos non parum confert. Alia præter quatuor ista evangelia nusquam Ecclesia recepit, sed ut apocrypha repudiavit; unde nomen obtinuit *evangelii tetramorphi*, *sancti evangeliorum quaternionis*, *diatessaron* (opus Tatiani); et rationes mysticæ hujus numeri quæsitæ sunt sive in quatuor animantibus Ezechielis, sive in quatuor mundi cardinibus (quibus S. Irenæus nec plura nec pauciora esse posse demonstrare intendit).

Ordo compositionis idem communiter creditum est, quo in bibliis nostris disponuntur; licet Clemens Alex. priora esse dicat quæ genealogias continent. Dicuntur vero *secundum* Matthæum, Marcum, &c., minus recte latine quam græce; siquidem vox κατα a scriptoribus græcis ecclesiasticis, a Platone, Diodoro, &c. accipitur pro *causa et auctore*, respondet nimirum hebraico ל auctoris: sic ait Diodorus: καθ' Ἡροδοτον ιστορία, *historia juxta Herodotum*. Nunc explicare juvat eorum in multis etiam verbis et integris sermonibus conformitatem.

439. Nihil enim esset explicandum si tria evageliia synoptica, ut pote a scriptoribus fide dignis lucubrata, in factis et doctrinis Christi Jesu referendis convenirent generatim; sed eorum convenientia in multis talis est, ut non facile sit illius causam perspicere, nisi posteriores evangelistæ priorem descripserint, quod etiam ob eorum discrepantias non est facile admittendum. Plures ad solvendum nudum allatæ sunt hypotheses, sive a rationalistarum asseclis, sive etiam a supernaturalistis et catholicis. Atque illis dimissis, de quibus infra, hæ sunt probabiliores rei explicationes. Juxta quosdam S. Marcus in compendium redigere voluit evangelium Matthæi, Lucas vero alterutrum meliori ordine dis-

ponere. Ast quædam in evangelio 2.° sunt quæ non inveriuntur in 1.° (VII, 31; VIII, 22); deinde nullum est veterum testimonium quod id confirmet, immo potius antiquissima contrarium supponunt, et S. Agustinus non ex traditione, sed proprio marte sententiam quam impugnamus protulit; demum Marci evangelium plures suppeditat originalitatis characteres, atque ipsa fidelium adhæsio ad christianas res, et vehemens desiderium melius cognoscedi universa Christi facta dictaque (de quo loquitur Papias apud Eusebium, et diversis narrationibus et aprochryphis evangeliis occasionem præbuit), longiorem narrationem potius postulabat, quam rerum jam scriptarum compendiariam expositionem. Quod autem S. Lucas duo priora evangelia, immo etiam alia similia scripta obscuriorum hominum, ad quæ in proœmio sui evangelii alludit, præ oculis habuerit, non est inficiandum; dummodo non ita hoc intelligatur, quasi ea transcripserit verbo tenus, suam enim originalitatem et independentiam in narratione ubique servat, atque quædam refert a duobus prioribus omissa. Alia rei hujus explicatio hæc est: S. Matthæus suum evangelium aramaice scripsit, ut suo loco probabitur, quod cito ad græcam linguam versum est, post 2.ⁱ tamen compositionem, cui se jam accomodavit primi evangelii interpres. Itaque in ejus translatione genus loquendi imitatus est Marci in earumdem rerum et sententiarum enarratione. Talis est opinio C. Reithmayr jam a Grotio alias inventa.

Alii id repetunt ex systemate quodam prædicandi, seu veluti themate ab Apostolis convento; alii ab attentissima Apostolorum et discipulorum assiduitate verbis et sermonibus Christi.—Quæ autem verosimilior videtur scriptum Matthæi sæpe ab Apostolis lectum, secumque adsportatum admittit; quo factum est ut ejus lectioni et phrasi assueti, quamvis aramaicæ, quam proinde unusquisque suo modo interpretabatur; eidem in prædicando et in scribendo sese facile accommodarent quotiescumque ea dicenda erant quæ in 1.° evangelio leguntur, quin tamen illud describerent aut præ oculis haberent, quod nec probabile est, nec veterum testimoniis concordat. Atque ita facile explicatur priorum duorum in verbis et phrasibus frequens similitudo et identitas; differentiæ vero ex eo quod nullus evangelista alterum transcripserit, proprium quisque scopum sequeretur suamque

independentiam et indolem servaret. Omnes proinde hypotheses audaciores a rationalistis inventæ ad ænigma hoc explicandum, necessariæ imprimis non sunt, cum explicatio nostra simplex sit nec traditioni in minimis adversa, deinde vividiori imaginationi tantum suffultæ, quæque proinde post breve triumphum misere perierunt. Precipuæ erant aut hypothesis nescio cujus protevangelii (germ. *Urevangelien*, quasi fons nostrorum evangeliorum communis) aramaici nunc deperditi, nec apud veteres ullibi allegati; aut hypothesis scholæ tubingensis circa luctam inter judaicos Apostolos et catholicos, nempe inter eos qui pro antiqua lege et populo erant, et eos, præcipue Paulum, qui legem abolitam et gentes omnes admissas volebant ad gratiam evangelicam. Hinc juxta scholam istam (prave ita vocatam, cum Tubingæ multi et præclari catholici doctores sint) orta sunt plura scripta pro alterutra causa, quæ post pacem medio sec. 2.° factam in hodierna evangelia coaluerunt. Quæ gratuitæ hypotheses origini evangeliorum apostolicæ infra demostrandæ repugnant. Hypothesim Renani v. cap. 2 hermen.

440. Quæ evangeliis synopticis generatim communia sunt, breviter dicam. Ante initium prædicationis J. C. in Galilæa, omnia compendium exhibent prædicationis Joannis Baptistæ in desertis Judææ. Prædicatio C. incipit post incarcerationem Præcursoris. Incipit in civitatibus et vicis Galilææ, desinitque in adventu J. C. Jerusalem ad festum Paschæ. Hæc autem diverso ordine ut plurimum diversaque amplitudine ab omnibus narrantur. Prædicatio de regno Dei et miracula J-C annum singularem implent, atque in Galilæa locum habent. Postea descriptionem uniformem offerunt itineris J. C. in Jerusalem, per regiones ultrajordanicas, ad ultimum Pascha celebrandum. Demum omnes historiam exhibent sex dierum posteriorum vitæ Jesus, suæque passionis, mortis, sepulturæ, ressurrectionis, diversarumque apparitionum, in qua a Joanne supplementum et lumen accipiunt. Quæ in illis discrepant sunt fere sequentia: 1.um in sermonibus sententiisque Domini longius est; 2.um in factis potius immoratur et brevitatem sequitur; 3.um ordinatiori omnium dispositione præcellit. Quæ Marcus refert omnia in aliis inveniuntur (præter duo miracula VII, 31... et VIII, 22... narrata), insuper quæ vitam C-J publicam præcedunt, silentio prætermittit. Lucas refert sanationem demoniaci capharnaitæ, miraculosam piscationem, resurrectionem filii viduæ Naim et decem leprosorum curationem, quæ apud Matthæum non sunt; hic vero tria

miracula refert (XIV, 23; XV, 22; XV, 32) quæ non sunt apud Lucam. Deest etiam in Luca pars historiæ a Matthæo (XIV, 22-XVI 12) et Marco (VI, 45-VIII, 26) relata, quin hujus omissionis optima ratio dignoscatur. In narratione eorum quæ publicam J. C. vitam præcesserunt, S. Lucas diligentior S. Matthæo est; iter quoddam J. C. refert per Samariam, quod cæteri tacent; cui etiam eventus quosdam et sententias assignat aliis circumstantiis a cæteris accommodatas, quod non semel in Matthæo locum habet, nexui rerum et doctrinarum magis quam ordini chronologico attento.

CAPUT XL.

Amplior evangeliorum comparatio: harmonia evangelica.

441. Omnium demum comparationem minutissimam ad seriem factorum doctrinarumque texendam, seu veram J. C. biographiam proprie dictam, *harmoniis*, ut vocant, evangeliorum conspicere licet, ab exegetis viris sæpe factam, quas inter sequens ex Patre Güntner, germano, quin ejus laborem completum numerisque omnibus absolutum habeamus, a nobis desumpta est.

TABULA

QUATUOR EVANGELIORUM CHRONOLOGICA ET HARMONISTICA.

Num.	Joannes.	Lucas.	Marcus.	Matthæus.
1	1, 1-5	....	....	....
2	....	1, 1- 4	....	....
3	1, 6	1, 5-25	....	....
4	1, 7-14	1, 26-38	....	....
5	....	....	....	1, 1-17
6	....	1, 39-56	....	....
7	....	....	....	1, 18-25
8	....	1, 57-80	....	....
9	....	2,1-39	....	....
10	....	....	....	2, 1-23
11	....	2, 41-52	....	....
12	....	3, 1- 6	1, 1- 6	3, 1—6
13	....	3, 7-14	....	3, 7-10
14	....	3, 15-17	1, 7- 8	3, 11-12
15	....	3, 21-22	1, 9-11	3, 13-17
16	....	3, 23-38	....	....
17	....	4, 1-13	1, 12-13	4, 1-11
18	1, 15-18	....	....	....
19	1, 19-28	....	....	....
20	1, 29-51	....	....	....
21	2, 1-11	....	....	....
22	....	4, 14-30	....	....
23	2, 12-13	....	....	....
		Pascha 1um.		
24	2, 44-25	....	....	....
25	3, 1-36	....	....	....
26	4, 1- 3	3, 19-20	1, 14	4, 12
27	4, 4-42	....	....	....
28	4, 43-45	....	1, 14	4,12
29	....	4, 31-32	....	4, 13-16
30	....	....	1, 14-20	4, 17-22
31	....	4, 32-37	1, 21-28	....
32	....	4, 38-41	1, 29-34	8, 14-17
33	....	4, 42-43	1, 35-38	....
34	....	4, 44	1, 39	4, 23
35	....	5, 1-11	....	....
36	....	....	....	4, 24-25
37	....	....	....	5, 1-7,29
38	....	5, 12-16	1, 40-45	8, 1-4

Num.	Joannes.	Lucas.	Marcus.	Matthæus.
39	....	....	1, 45	....
40	....	....	2, 1	9, 1
41	....	5, 17-32	2, 1-17	9, 2-18
42	....	5, 33-39	....	....
43	....	6, 1- 5	2, 23-28	12, 1—8
44	....	6, 6-11	3, 1- 6	12, 9-14
		Secundum Pascha.		
45	....	....	3, 7-12	12, 15-21
46	....	6, 12-16	3, 13-19	....
47	....	6, 17-49	....	....
48	....	....	3, 20-21	....
49	....	7, 1-10	....	8, 5-13
50	....	7, 11-17	....	....
51	....	7, 18-35	....	11, 12-19
		Fest. Pentecostes.		
52	5, 1-47	....	....	....
53	....	7, 36-50	....	....
54	....	8, 1- 3	....	....
55	....	....	6, 17-29 3, 22-31	14, 3-12 12, 22-37
56	....	....	3, 31-35	12, 38-45 12, 46-50
57	....	8, 4- 8	4, 1- 9	13, 1—9
58	....	....	4, 26-31	....
59	....	8, 9-15	4, 10-20	13, 24-35 13, 10 23 36
60	....	....	....	13, 36-52
61	....	8, 16-18	4, 21-25	....
62	....	8, 19 21	....	....
63	....	....	4, 26-29 30-34	13, 53
64	....	8, 22-25	4, 35-41	8, 18-20 23-27
65	....	8, 26-39	5, 1-20	8, 28-34
66	....	8, 4	5, 21	9, 1
67	....	....	2, 18-22	9, 14-17
68	....	8, 41-56	5, 22-43	9, 18-26 13, 36-53
69	....	....	....	9, 27-34
70	....	....	6, 1- 6	13, 54-58
71	....	....	6, 6	9, 35-38

Num.	Joannes.	Lucas.	Marcus.	Matthæus.
72	....	9, 1- 5	6, 7-11	10, 1-42
73	....	9, 6	6, 12-13	....
74	....	9, 7- 9	6, 14-16	11, 1 14, 1—2
75	6, 1-13	9, 10-17	6, 30-44	14, 12-21
76	6, 14-21	....	6, 45-52	14, 22-33
77	....	....	6, 53-55	14, 34-35
78	6, 22-71	....	....	....
		Pascha 3.um		
79	7, 1	....	6, 56	14, 36
80	....	....	7, 1-31	15, 1-31
81	....	....	7, 32-37	....
82	....	....	8, 1-10	15, 32-39
83	....	....	8, 11-21	16, 1-12
84	....	....	8, 22-26	....
85	....	9, 18-27	8, 27-38	16, 13-28
86	....	9, 28-36	9, 2-10	17, 1—9
87	....	....	9, 11-13	17, 10-13
88	....	9, 37-45	9, 14-32	17, 14-23
89	....	....	9, 33	17, 24-27
90	....	9, 46-50	9, 33-41	18, 1—5
91	....	....	9, 42-50	18, 6—9
92	....	....	....	18, 10-35
		Festum Tabernaculorum.		
93	7, 2-10	9, 51	10, 1	19, 1
94	....	9, 52-56	....	....
95	....	9, 57-62	....	8, 21-22
96	....	10, 1-12	....	....
97	....	10, 13-16	....	11, 20-24
98	....	....	10, 1-12	19, 1-12
99	7, 11-53	....	....	....
100	8, 1-59	....	....	....
101	9, 1-41	....	....	....
102	10, 1-21	....	....	....
103	....	10, 17-24	....	11, 25-30
104	....	10, 25-42	....	....
105	....	11, 1-13	....	....
106	....	11, 14-23	3, 25-30	12, 22-42
107	....	11, 24-26	....	12, 43-45
108	....	11, 27-28	....	....
109	....	11, 29-32	....	12, 38-42
110	....	11, 33-36	....	....

Num.	Joannes.	Lucas.	Marcus.	Matthæus.
111	....	11, 37-54	....	23
112	....	12, 1-34	....	....
113	....	12, 35-48	....	24, 43-51
114	....	12, 49-59	....	....
115	....	13, 1-21	....	....
116	....	13, 22	....	....
117	....	13, 23-30	....	....
118	....	13, 31-35	....	(23, 37-39)
119	....	14, 1-25	....	....
		Fest. Enceniorum.		
120	10, 22-42	....	....	....
121	11, 1-54	....	....	....
122	....	14, 25-35	....	....
123	....	15, 1-32	....	....
124	....	16, 1-31	....	....
125	....	17, 1-37	....	....
126	....	18, 1-14	....	....
127	....	18, 15-30	10, 13-31	19, 13-20
128	....	....	....	20, 1-16
129	....	18, 31-34	10, 32-34	20, 17-19
130	....	....	10, 35-45	20, 20-28
131	....	18, 35-43	....	....
132	....	19, 1	10, 46	....
133	....	19, 2-27	....	....
134	....	19, 28	10, 46	20, 29
135	....	....	10, 46-52	20, 30-34
136	11, 55-56	....	....	....
137	12, 1-11	....	14, 3-9	26, 6-13
138	12, 12-19	19, 29-44	11, 1-10	21, 1-9
139	....	....	11, 11	21, 10-11 / 14-26
140	12, 20-50	....	....	....
141	....	....	11, 11-14	21, 17-19
142	....	19, 45-48	11, 15-18	21, 12-13
143	....	....	11, 19-26	21, 20-22
144	....	20, 1--8	11, 27-33	21, 23-27
145	....	....	....	21, 28-32
146	....	20, 9-19	12, 1-12	21, 33-46
147	....	....	....	22, 1-14
148	....	20, 20-40	12, 13-27	22, 15-33
149	....	....	12, 28-34	22, 34-40 / 46
150	....	20, 41-44	12, 35-37	22, 41-46
151	....	20, 45-47	12, 38-40	23, 1-30

Num.	Joannes.	Lucas.	Marcus.	Matthæus.
152	....	21, 1- 4	12, 41-44	....
153	....	21, 5- 6	13, 1- 2	24, 1- 2
154	....	21, 7	13, 3- 4	24, 3
155	....	21, 8-19	13, 5-13	24, 4-14
156	....	21, 20-24	13, 14-20	24, 15-22
157	....	21, 25-33	13, 21-32	24, 23-41
158	....	21, 34-36	13, 33-37	24, 42
159	....	....[1]	....	25, 1-46
160	....	21, 37-38	....	....
161	....	22, 1- 2	14, 1- 2	26, 1- 5
162	....	22, 3-18	14, 10 | 18 / 25	26, 14 | 21 / 29
163	....	....	14, 18-21	26, 21-25
164	13, 1	22, 19-20	14, 22-24	26, 26-28
165	....	22, 21-23	....	....
166	13, 2-11	....	....	....
167	....	22, 24 30	....	....
168	13, 12-35	....	....	....
169	13, 36-38	22, 31-34	....	....
170	....	22, 35-38	....	....
171	14, 1-31	....	....	....
172	....	22, 39	14, 26	26, 30
173	15, 1-27	....	....	....
174	16, 1-33	....	....	....
175	17, 1-26	....	....	....
176	18, 1	22, 39	14, 26	26, 30
177	....	....	14, 27-31	26, 31-35
178	18, 1	....	14, 32	26, 36
179	....	22, 40-46	14, 33-42	26, 37-46
180	18, 2- 3	22, 47-48	14, 43-45	26, 47-50
181	18, 4- 9	....	....	....
182	18, 10-12	22, 49-54	14, 46-52	26, 50-56
183	18, 13-16	22, 54-55	14, 53-54	26, 57-58
184	18, 17-18	22, 56-57	14, 66-68	26, 69-70
185	18, 19-23	....	....	....
186	18, 24 25	22, 58	14, 68-70	26, 71-72
187	....	....	14, 55-64	26, 59-66
188	18, 26-27	22, 59-62	14, 70-72	26, 73-75
189	....	22, 63-65	14, 65	26, 67-68
190	....	22, 66-71	15, 1	27, 1
191	18, 28	23, 1	15, 1	27, 2
192	....	....	....	27, 3-10
193	18, 28-38	23, 2- 4	15, 2-15	27, 11-14
194	....	23, 5-16	....	27, 15-21
195	18, 39-40	23, 17-19	15, 6-11	....
196	....	23, 20-22	15, 12-14	27, 22-23

Num.	Joannes.	Lucas.	Marcus.	Matthæus.
197	19, 1- 3	....	15, 16-19	27, 27-30
198	19, 4-11	....	....	....
199	19, 12-16	23, 23-25	15, 14-15	27, 23-26
200	19, 16-17	23, 26 | 32 33	15, 20-22	27, 31 | 32 33
201	19, 18	23, 33	15, 23-25	27, 33-34
202	19, 18	23, 33-34	15, 27-28	27, 38
203	19, 19-22	....	15, 26	27, 37
204	19, 23-24	23, 34	15, 24	27, 35-36
205	....	23, 35-38	15, 29-32	27, 39-44
206	19, 25-30	23, 39-45	15, 33-36	27, 45-49
207	19, 30	23, 45-46	15, 37-38	27, 50-53
208	....	23, 47-49	15, 39-41	27, 54-56
209	19, 31-37	....	....	....
210	19, 38-42	23, 50-55	15, 42-47	27, 57-61
		4um Pasch.		
211	....	23, 56	....	27, 62-66
212	.. .	....	16, 1	...
213	20, 1	24, 1	....	28, 1- 4
214	20, 1-10	24, 2-12	....	....
215	20, 11-18	....	16, 9-11	....
216	....	....	16, 2- 8	28, 5-10
217	....	....	....	28, 11-15
218	....	24, 13-34	16, 12-13	....
219	20, 19-23	24, 34-43	....	...
220	20, 24-29	....	....	....
221	....	....	....	28, 16
222	21, 1-24	....	....	....
223	...	....	....	28, 16-20
224	....	24, 44-53	16, 14-20	....
225	20, 30-31	....	....	....
226	21, 25	....	.. .	....

CAPUT XLI.

Matthæus, ejusque evangelium: tempus, occasio, scopus et lingua: versio ejusdem græca: evangelium *secundum hebræos*.

442. Matthæus, qui etiam Levi in evangeliis vocatur, galilæus erat (Ματθαιος=מתי) in civitate Capharnaum tributis accipiendis præpositus (publicanus=ὁ τελώνης), a C-J vocatus et in Apostolorum collegium admissus, inter quos septimus vel etiam octavus numeratur. Satis dives fuisse videtur ut post conversionem J. C. ejusque discipulis convivium domi suæ parare posset; per duodecim annos juxta majorum traditionem inter suos evangelium prædicasse scimus post C. ascensionem; ac tandem regionem chaldæorum, vel juxta alios, æthiopum peragravit, ubi martyrium demum subiit ex probabiliori et communi sententia, quam solus Heracleon inter antiquos oppugnat, testis non magnæ auctoritatis.

Matthæum apostolum primum evangelium scripsisse semper Ecclesia tenuit, et universa antiquitas absque exceptione aliqua testata est. Sic Papias hieropolitanus, qui regiones peragravit ad ecclesiarum et Apostolorum traditiones minutissimas colligendas, testatur apud Eusebium: «Matthæus quidem hebræorum idiomate sermones Domini scripto collegit (Ματθαῖος μέν οὖν εβραίδι διαλέκτω τὰ λόγια τοῦ κυρίου συνεγράψατο). Irenæus (*Adv. hær.* III, 1) ait: «Matthæus quidem hebræis proprio eorum idiomate publicavit evangelium». Clemens Alex., Tertullianus, ac dein scriptores omnes ecclesiastici idem asserunt. Immo citationes evangeliorum quæ apud Ignatium, Polycarpum et Clementem Rom. (quamvis in hoc postremo paulo liberiores) leguntur, huic potissimum evangelio concordant.

Tempus et occasio hujus evangelii conscribendi unanimi traditione etiam dignoscitur, ita ab Eusebio (Hist. E. III, 24) exposita: «Nam Matthæus cum hebræis primum fidem prædicasset, inde ad alias quoque gentes profecturus evangelium suum patrio sermone conscribens, id quod præsentiæ suæ adhuc superesse videbatur, scripto illis,

quos relinquebant, supplevit». Hic quidem tempus non describitur quo evangelio perficiendo Matthæus manum admovit, sed non post multos annos ab ascensione Domini id factum fuisse per se patet, et numero octo vel decem satis communiter assignantur; nam Apostoli circa annum 42 dispersi sunt, jamque antea evangelium istud erat conscriptum, quod proinde anno 40 vel 41 factum fuisse existimandum est (a).

443. Scripsit Matthæus in gratiam judæorum conversorum, ut ex dictis jam constat, atque etiam ex evangelii *indole*, *scopo* et *lingua* confirmatur. Nam 1.° plura in eo inveniuntur quæ ad domesticas judæorum res pertinent, ut genealogia J-C ex familia David, continuus respectus in doctrina ad rabbinorum placita et diversarum sectarum quæstiones, pharisæorum mores frequentius castigantur, ac multa V. T. loca adferuntur. Desunt in eo explicationes multæ judæis minime, bene vero ethnicis convenientes, circa loca, distantias, mores, verborum significationes, quæ in cæteris evangeliis fiunt. Quod si aliqua hebraica nomina explicata inveniuntur, id ab interprete græco factum est, qui verba *Emmanuel*, *Eli*, *Eli*, *lamma sabacthani*, lingua originali relinquere voluit; aut alias ab ipso Matthæo animadversiones quædam fieri potuerunt, ut nominis *Jesus* significatio, vel sadducæorum mores, non a judaico vulgo ita cogniti sicut mores pharisæorum. 2.° Scopus Matthæi in sui evangelii conscriptione fuit hebræis conversis relinquere specimen suæ prædicationis, quæ id præcipue demonstrare intendebat, ut pote judæis hominibus facta, Jesum nempe Nazarenum verum esse Messiam ab ipsis exspectatum, nec alium proinde jam exspectandum fore. Scopus hic patet ex diligentia qua Matthæus ea potissimum collegit, quæ ad dignitatem messianicam J-C vindicandam magis erant opportuna. Sic ejus progeniem davidicam docet, mirabilem conceptionem, ortum in Beth-

(a) Inter germanos communior evasit sententia primum evangelium circa a. 66^{um} prodiisse ex testimonio Irenæi, (*dum Petrus* et *Paulus Romæ evangelizarent*...), et ex XXVII, 15. Ita Haneberg, Tiersch aliique, et in Gallia Pressensé. Argumenta sane probabilia, sed contrariis minora, cum omnes fere PP. illud primum compositum et in Palæstina habeant.

lehem civitate Judæ, apparitionem stellæ, fugam reditumque ex Ægypto atque nazarethicam habitationem, a Joanne B. præcursore nunciatum quo tempore magna erat in populo ipsius exspectatio, jejunium ut præparationem ad suam missionem rite exequendam, in Galilæa tenebras et umbram mortis per suam doctrinam propulsantem, docendi genus suave, perspicuum et auctoritate plenum, miraculorum patratorem, in parabolis docentem, futura prædicentem, satanæ victorem sua potentia physica et morali, Moyse et Elia superiorem, regem denique, sed non sensu politico sed spirituali longe eminentiori exhibet, aliaque id genus multa, una cum propriis observationibus, quibus J-C verum esse Messiam passim ostendere nititur.

Lingua demum qua scriptum est 1^um^ evangelium, in Palæstina et in palæstinensium judæorum gratiam scriptum esse demonstrat. Lingua namque in Palæstina tunc vulgari hebræo—aramæa, vel, ut dicunt, syro—chaldaica scriptum est, ut tota traditione constat (vide loca supra allegata).

444. Non ita constat quis fuerit interprex græcus, sed vix dubitari potest quin ipse Matthæus, vel potius unus ex discipulis, sub ejus vel cæterorum Apostolorum directione, id fecerit; neque enim intelligi aliter potest cur græcum exemplar plenam auctoritatem tam cito obtinuerit, et originale hebraicum prorsus evanuerit. Papias loco citato ait quidem: «Matthæus quidem hebraico idiomate sermones Domini scripto collegit, *interpretatus vero est eos, quemadmodum poterat quisque*»; sed hoc didicit Papias a *Joanne Presbytero*, ideoque ad id tempus quo primum editum est evangelium referri debet; et verosimillimum credo cum Thiersch hic sermonem esse de illis interpretationibus seu enarrationibus, quæ in publicis christianorum conventibus fiebant ad populi ædificationem et instructionem; minime vero de versione scripta ad græcum idioma. Ceterum ob fidelium desiderium et necessitatem scripto habendi prædicationem apostolicam, celerrime in græcam linguam converti debuit.—Simile vero est, attentis præcipue patrum apostolicorum citationibus aliisque momentis, interpretem evangelii hujus, sive auctor ipse fuerit, sive alius sub ejus vel Apostolorum oculis, non omnino vertisse de verbo ad verbum, sed satis libere, quo evangelium veluti recensionem quandam authenticam subiit, atque ita auctoritatem plenam in Ecclesia semper adeptum est. Non desunt tamen qui græcum exemplar originale esse dicant, ac laudatam traditionem universalem parvipendant. Ita Erasmus, a pluribus secutus, præsertim protestantibus,

novissime vero ab Hug, optime tamen a pluribus, ut Olshausen, Glaire, et Maier confutatus. Hujus sententiæ fundamenta hæc sunt: 1.° Omnes P P. ideo asserunt Matthæum hebraice scripsisse, quia id a Papia acceperunt, viro simplici juxta Eusebium et forte ab ebionitis decepto; 2.° versio syriaca necessaria non fuisset si taliter ab auctore scriptum fuerat, facta autem est ad summum sæculo 2.° versio *peschito* dicta; 3.° nemo veterum asserit se hebraicum exemplar vidisse; 4.° eadem linguæ indoles in græco Matthæi evangelio invenitur quæ in Marco et Luca; 5.° demum quædam occurrunt in eo verborum interpretationes quæ solum in græca scriptura concipiuntur, minime vero si Matthæus hebraice scripsisset. Ad hæc facilis responsio est. Nempe 1.° gratis asseritur omnes PP. id a Papia accepisse, nec vero simile est, cum ab Irenæo et Clemente Alex. non laudetur, immo Origeni forte incognitus esset. Et ipse quidem, quidquid de ejus ingenio sit, non ab ebionæis, sed ab Apostolorum immediatis discipulis hæc didicit, a Joanne nempe presbytero ephesino, nec ad id discendum et asserendum magno ipsi ingenio opus erat. Et Eusebius ipse constanter hebraicam scriptionem evangelii admittit; credidit ergo Papiæ, aut ex ampliori traditione hoc habuit. Iniquus autem Papiæ fuit propter millenariorum opinionem quam acceperat, nec idem de eo judicium ferre debemus, viro scilicet ab Irenæo aliisque valde laudato. 2.° Versio syriaca post primi exemplaris deperditionem facta est; vel potius quæ in versione bibliorum *peschito* habetur, recensio est textus primævi juxta græcum exemplar facta paulatim, sed maxime seculo 4.°, prout ex manuscripto syriaco a Cureton invento colligi debet comparato cum textu syriaco communiter recepto, qui quidem græco textui evangelii Matthæi magis congruit. 3.° Exemplar hebraicum cito periit, saltem illud quod vitiatum postea a nazaræis non fuit, quia cum palæstinensium christianorum usui tantum inserviret, post eorum dispersionem ipso 1.° sæculo, absque usu mansit, ideoque facile periit; non ita tamen ut nullus omnino illud viderit, cum viderit Pantenus sæculo 2.° si fides Eusebio sit, qui ita scribit (Hist. V. 10): «Pantenus ad indos usque penetrasse dicitur, ibique evangelium Matthæi, quod adventum ipsius jam prævenerat, apud quosdam Christi notitia imbutos reperisse: quibus scilicet Bartolomæus, unus ex duodecim Apostolis olim, ut fama est, prædicaverat, et evangelium Matthæi *hebraicis couscriptum litteris* reliquerat: quod quidem ad prædicta usque tempora servatum esse memoratur». Forte sermo hic est de Arabia meridionali, aut de Æthiopia, sed hoc nihil ad rem nostram. Insuper evangelium nazaræorum, quod Hieronymus vidit et interpretatus est, illud appellans «*secundum hebræos* quo utuntur usque hodie nazareni, *secundum Apos-*

tolos, sive, *ut plerique autumant*, juxta Matthæum, quod in cæsariensi habetur bibliotheca» (*contr. Pelag.* III, 1); ipsummet evangelium Matthæi valde probabiliter est, etsi tempore illo quasdam haberet apocryphas additiones et interpolationes, quod non certo constat. 4.° Indoles linguæ græcæ hujus evangelii ex versione plane libera, ut ab auctore ipso vel ab alio sub ejus aut aliorum Apostolorum oculis et auctoritate facta, explicatur; eo magis quod omnia modum servent et saporem hebraicæ linguæ in Palæstina vernaculæ et a J—C adhibitæ, ut jam ab omnibus fere admittitur. 5.° Demum quædam verborum explicationes ob rationes jam supra allatas in eo inveniuntur, quin adversariorum propositum juvent. Dicta hæc sint adversus eos qui philologicas quasque rationes antiquæ et ab omnibus admissæ traditioni præferre solent, unde non parvum detrimentum res christiana sustinere cogeretur. Et sane in re præsenti, si perspicua uniformisque traditio, quæ primum evangelium hebraice scriptum asserit, nihil roboris haberet; nihil etiam probaret dum illud Matthæo adscribit: eædem enim SS. PP. auctoritates utrumque docent, cum ipsis esset convenientius pro lectione græca pugnare, ad majorem auctoritatem huic exemplari, jam solum in Ecclesia existenti, conciliandam.

445. Circa ætatem versionis græcæ nihil certi statui potest, licet quæ jam dicta sunt, maximam habeant probabilitatem, cum Matthæus non minorem curam gentilium post discessum a Judæa, quam palæstinensium haberet; et citationes S. Ignatii in epist. ad Polycarpum, ad Smyrnenses et Philadelphios cum græca versione primi evangelii ita concordent, ut alibi sumpta esse non sit simile vero.

446. Et quoniam de *evangelio secundum hebræos* sermo fuit, quid de eo probabilius sit judicandum operæ prætium duxi paucis exponere. Nempe evangelium Matthæi hebraice, ut vidimus, scriptum atque fidelibus palæstinensibus oblatum, ab iis qui per Syriam morabantur servatum est, *nazaræis* appellatis, vocabulo omnibus christianis primum communi, postea vero eorum proprio. Illi vero antiquæ legi nimis adhærentes, paulatim ab Ecclesia recesserunt, ac sectam demum *nazaræorum*, aut etiam *ebionitarum* constituerunt; de quibus ideo contraria testimonia Patrum habemus, quia alii statum et dogmata eorum paulo, alii autem sero post secessionem a frequenti Apostolorum et fidelium commercio nobis describunt. De nazaræis ait Iren. «Et suscipiunt quidem etiam ipsi evangelium secundum Matthæum.... appellant autem ipsum *evangelium secundum hebræos*, sicut revera habent. Quod Matthæus solus hebraice et hebraicis litteris in N. T. evangelii editionem et prædicationem fecit». Testimonium S. Hier. jam dedimus. S. Epiphanius vero ait: «Est vero penes illos (nazaræos

evangelium secundum Matthæum hebraice scriptum, et quidem integerrimum (πληρέστατον). Hoc enim *certissime prout hebraicis litteris initio scriptum est*, in hodiernum tempus usque conservant. Verum illud nescio num genealogias illas amputaverint». Hoc postremum serius factum est, aut forte in aliquibus tantum exemplaribus, nam Hieronymus, quod se vidisse et interpretasse testatur, duo priora capita etiam habere dicit, dum illud ipsum evangelium Matthæi asserit iis verbis (*de vir. illust.* l. 3.) «Matthæus evangelium Christi hebraicis litteris verbisque composuit: quod quis postea in græcum transtulerit, non satis certum est. *Porro ipsum hebraicum habetur husque hodie in Cæsariensi bibliotheca*, quam Pamphylus martyr studiosissime confecit. *Mihi quoque* a Nazaræis qui in Beroea urbe Syriæ hoc volumine utuntur, *describendi facultas fuit*». S. Ignatius, Clemens Rom. et Justinus martyr quædam loca evangelii afferunt quæ cum hoc *secundum hebræos*, quod etiam *secundum duodecim Apostolos* dicitur, conveniunt; atque ideo ab eo illa sumpserunt, aut ampliationes sunt narrationis canonicæ, ex traditione sumptæ, et postea in dictum evangelium derivatæ. Hic est enim illius character, ut majora adjuncta et circumstantias adjiciat narrationi, quæ in græco textu non inveniuntur; cumque non sit verosimile hanc interpretationem compendii modo fuisse peractam, contrariumque potius fidelium pietas postularet, recte colligitur nazaræos evangelium quidem Matthæi hebraicum habuisse, sed additionibus quibusdam paulatim auctum, ope præsertim ebionitarum, qui illo etiam usi sunt. Quorum omnium hæc sit conclusio, ut cum citatis Patribus aliisque, ut Origene, hebraicum nazaræorum evangelium primitivum fuisse S. Matthæi credamus, sed non certa fide. Illud vero *protevangelium*, ut dicunt, fuisse, evangeliis canonicis conscribendis typum exstitisse, majoribus additis narrationibus mythicis aut miraculosis adjunctis, ut ratio reddatur identitatis synopticorum et miraculorum narrationis in ipsis existentis; hoc inquam, imaginarium prorsus est atque, ex allegatis, a veritate prorsus alienum.

447. Objectiones quæ contra genuinitatem primi evangelii fieri solent, nullius sunt ponderis; narrationes enim breviores dictorum factorumque C—J, et omissiones aliquæ, ex evangelistæ scopo fluunt, qui proprie dictam biographiam edere noluit; defectus item ordinis chronologici adjunctioque rerum quæ diverso loco et tempore evenerunt, eamdem habent caussam; quod vero narrationes mythicas contineat, incredulorum figmentum est, quod asserere quidem, minime vero probare possunt.

CAPUT XLII.

Marcus, *interpres Petri*: evangelium Marci: locus: ætas: scopus ejusdem, integritas et lingua.

448. Marcus, idem qui Joannes Marcus, quos absque valida ratione quidam distinguunt (conf. Act. XII, 12, 25; XV, 37, 39; XIII, 5, 13; Col. IV, 10; Philem. v. 24; 2 Tim. IV, 11; 1 Pet. V, 13), Jerosolymis vixit, filius Mariæ, ac Barnabæ consobrinus, ab ipso assumptus est comes in apostolico ministerio, quod una cum Paulo suscepit circa annum 43.^{m} Post eorum adventum in Cyprum et Pergen Pamphiliæ recessit ab eis rediitque Jerosolymam. Post annos 6 iterum venit Cyprum cum Barnaba, posteaque nihil de eo legitur in Actibus Apostolorum. Justa Col. IV, 10 et Philem. v. 24 Romæ erat circa annum 63,^{m} et ex 2 Tim. serius scripta, in Asia minori. Valde cognitus Petro fuit, immo et dilectus et «filius meus» ab eo appellatus. Ex traditione scimus ipsum comitem fuisse Petri Romæ prædicantis, quod locum habuit in prima prædicatione ab anno 42 ad 49 vel 50. Forte post annum 50.^{m} Alexandriam perrexit, ecclesiam fundavit, iterumque in Asiam et Romam venit. Demum post Petri et Pauli obitum ipse forte Alexandriam rediit ibique martyrium passus est, quæ ex traditione ecclesiastica non plane certa scimus. Quod vero Marcus comes *interpresque* Petri fuerit, et quidem in occidentis partibus et Romæ, apertis constat veterum testimoniis; quid autem nomine *interpretis* significare voluerint, non est perinde perspicuum. Forte ita dictus quia Petri prædicationem scripto interpretatus est; aut ipsi erat a secretis; vel demum latine interpretabatur quæ a Petro græce dicebantur; cum nobis incognitum sit num Petrus latine didicerit, et linguarum donum, ut *supernaturale*, media naturalia non excluderet. Hæc omnia incerta nobis sunt, ac quisque quam maluerit sententiam accipiat.

449. Ipsa 2^{i} evangelii inscriptio, Ecclesiæ professio, et perspicua veterum testimonia Marco illud adscribunt. Papias (ap. Euseb. *Hist. eccl.* III, 39) ait: «Aiebat enim Presbyter ille (Joannes Ephesi) Marcum, Petri interpretem, quæcumque memoriæ mandaverat, diligenter perscripsisse: non tamen ordine (οὐ μέντοι τάξει) pertexuisse quæ a Domino aut dicta aut gesta fuerant. Neque enim ipse Dominum audiverat aut sectatus fuerat unquam. Sed cum Petro, ut dixi,

postea versatus est, qui pro audientium utilitate, non vero ut sermonum Domini historiam contexeret, Evangelium prædicabat. Quocirca nihil peccavit Marcus, qui *nonnulla* ita scripsit, prout ipse memoria repetebat. Id quippe unum studebat, ut ne quid eorum quæ audierat prætermitteret, aut ne quid falsi eis affingeret». Idem docent in Gallia Irenæus, in Africa Tertullianus et Alexandriæ Clemens et Origenes, post sæculum 2.^m^ Patres omnes, nominatim Eusebius et Hieronymus. Clemens Alex. (ap. Eus. *Hist.* II, 15) ait: «Tantum enim veritatis fulgor emicuit in mentibus eorum (romanarum) qui Petrum audierant, ut parum haberent semel audisse, nec contenti essent coelestis verbi doctrinam viva voce, nullis traditam scriptis accepisse; sed Marcum Petri sectatorem cujus hodieque exstat evangelium, enixe orarent ut doctrinæ illius quam auditu acceperant, scriptum aliquod monumentum apud se relinqueret. Nec prius destiterunt quam hominem exspugnassent, auctoresque scribendi illius quod *secundum* Marcum dicitur, evangelii exstitissent. Quod cum Petrus per revelationem Sancti Spiritus cognovisset, delectatus ardenti hominum studio librum illum auctoritate sua comprobasse dicitur, ut deinceps in ecclesiis legeretur». Alterum Clementis testimonium (*Ib.* VI, 14) huic simillimum, in hoc discrepat quod Petrus, cum didicit quæ a Marco fiebant, «nec prohibuit omnino rem fieri, nec ut fieret incitavit»; sed hæc bene cohærent, Petrus namque nihil primo statuit, sed cognita postea Dei voluntate Marci scriptum approbavit confirmavitque. Tertulliani verba (*cont. Marcionem* IV, 2, 5): «Marcus quod edidit evangelium, Petri affirmatur, cujus interpres Marcus; nam et Lucæ digestum Paulo adscribere solent (marcionitæ)». Irenæus (*adv. Hær.* III, 1 n. 1): «Marcus discipulus et interpres Petri ipse et quæ a Petro annunciata erant, per scripta nobis tradidit». Idem dissertius asserit c. XX, n. 6, ubi prima etiam et novissima 2^i^ evangelii verba refert. Justinus martyr, iis antiquior, quatuor evangelia memorat ab *Apostolis* et *discipulis* scripta, atque impositionem nominis *boanerges* a C-J filiis Cebedæi factam fuisse asserit, quæ tantum apud Marcum (III, 17) legitur.

Objiciunt adversarii ordinatam ut plurimum narrationem nostri evangelii, quæ dictis a Papia non convenit, atque aliud fuisse suadet scriptum Marci; sed si intimius verba allegata considerentur, ea non

omnino inordinate Marcum scripsisse affirmare videntur, sed tantum circa *nonnulla*; quod verissimum est; et in hodierno Marci evangelio perspicitur cum Luca et Joanne comparato.

450. Scripsit Marcus Romæ, ut tota traditione constat, refragante solo J. Chrysostomo, qui in Ægypto id factum fuisse affirmat; sed unicus est, nec valde in hoc immoratur, ac forte tantum significare intendit Marcum ecclesiæ alexandrinæ evangelium suum tradidisse. Scripsit ante annum 49m aut 50m, in prima nempe Petri prædicatione; nam anno 58, quo Paulus ad Romanos scripsit, jam inter ipsos florentem ecclesiam supponit; ideoque, quæ de religioso fervore romanorum ob Petri prædicationem Patres asserunt, qui et occasio hujus scribendi evangelii exstitit, ad primam prædicationem referri probabilius debet, quod cum Eusebii sententia congruit, ex antiquorum fide ad prima Claudii tempora hoc referentis.

Id autem aliquam difficultatem habet. Etenim sanctus Irenæus ait scripsisse Marcum post *horum* (Petri et Pauli) *exitum;* sed hæc æquivoca sunt, cum exitum ex urbe Roma et exitum e vita significare possint; eo magis quod aliqui legant εκδοσιν loco εξοδος. Nempe Irenæus ait (loc. cit.): «Matthæus quidem in hebræis proprio eorum idiomate et litteris tradidit evangelium, Petro et Paulo Romæ evangelizantibus et ecclesiam fundantibus. *Post autem horum exitum* (alii, *excesum*), Marcus discipulus et interpres Petri, et ipse quæ a Petro annunciata erant, per scripta nobis tradidit». Quod juxta alios legi debet: μετὰ δὲ τὴν τουτοῦ ἔκδοσιν, id est, post autem hujus (evangelii Matthæi) publicationem..., quod nullam dificultatem moveret. Sed satis est ipse æquivocus sensus vocis ἔξοδος, exitus, quæ probabiliter alludit ad discessionem ab urbe (ann. 50—63) (a).

(a) S. Irenæus non potuit significare suis verbis «*cum Petrus* et *Paulus Romæ evangelizarent et fundarent ecclesiam*» tempus illud præcise quo simul uterque Apostolus Romæ fuit; cum jam antea illam ecclesiam et fundatam et florentem fuisse sciret ex ep. ad Rom. anno 58 ante primum Pauli adventum scripta. Designat igitur generatim tempus prædicationis amborum successive aut simul, ab anno nempe circiter 42 ad 63; et vocabulo *exitum* discessionem ab Urbe denotat circa annum 50 relate ad Marcum, et serius, forte post Apostoli reditum ab Urbe ad orientales regiones, ab anno 63, ad 66, relate ad Lucam. Ipsa Irenæi verba strictum tempus publicationis horum evangeliorum non determinare satis indicant, qui in genere cum cæteris convenit.

451. Ex dictis constat Marci scopus, desiderio nempe romanorum faciendi satis, qui prædicationis Petri scriptum epitome cupiebant; satisque manifestus est hujus prædicationis et evangelii finis in primis ejus verbis: «*Initium evangelii J-C filii Dei*. Hæc confirmantur characteribus ejus intrinsecis; desunt enim in illo allegationes V. T. (præter I, 2, 3 et XV, 28); non invenitur doctrina J-C sententiis pharisæorum opposita, quod exteri vix intelligere possent; pluries vocabula hebræa explicat (boanerges, Talitha cumi, corban, Bartimæus...); sæpe ritus et instituta judæorum explicantur (VII, 3) &c.

Constat etiam ejus auctoritas in Ecclesia, quæ semper illud habuit ut genuinam Petri prædicationis expositionem, ac proinde apostolicam auctoritatem tribuit, ut pote ab ipso Petro confirmatum.

Ejusdem vero integritatis inficiandi nulla adest ratio, et posteriorum versuum (9—20 cap. ult.) in multis antiquis codicibus defectus, ut ℵ et B, nihil contra eam evincit. Ipsi namque PP, qui id testantur, eorum genuinitatem admittunt, ut Eusebius, Gregorius Nisenus et Hieronymus; in aliis codicibus legebantur ii versus; item in Vulgata veteri, syriaca Peschito, textu D. Cureton, coptica, arabica; citantur, ut dictum est, ab Irenæo; et demum ipsa rei natura exiguuntur, quin admittere velimus abruptam illam terminationem «*timebant enim*», absque ulla apparitionum J.-C. surrecti notitia, quod valde improbabile est. Quod si aliqua in iis versibus deprehenditur antilogia, nonnisi apparens est, et optime cum Matthæo conciliatur, ut suo loco videbimus.

Hæc apparens antilogia forte causa fuit omissionis hujus loci in pluribus exemplaribus, propterea quod jejunium sabbati, quod vespere cessabat ob Matthæi auctoritatem (XXVIII, 1), usque ad sequentem diem erat dilatandum cohærenter ad Marcum (XVI, 1); scimus enim dissensionem circa hoc exstitisse, ac proinde in ecclesiis illis, quæ primam consuetudinem sequebantur, facile omissa est hujus loci lectio publica, atque ob id etiam transcriptio in pluribus exemplaribus ad usus liturgicos potissimum destinatis. Ad hæc accedit apparens antilogia cum Matthæo, quæ suspectum reddidit controversum locum. Id tamen rationes quibus horum versuum genuinitas nititur, non infirmat.

452. Unanimis omnium sententia est Marcum græce

scripsisse, et testimonio Papiæ, Irenæi, Clementis, Origenis, Tertulliani &c. constat, qui aut expresse id asserunt, aut implicite, eo ipso quod tantum de Matthæo memorent hebraice ipsum scripsisse, quod pari ratione de scriptione Marci latina advertere debuissent. Contraria paucorum opinio valido fundamento caret, subscriptione nempe nonnullarum versionum, ut Peschito, et codicum quorumdam auctoritate; qui quidem multo posteriores sunt quam ut fidem mereantur, illa vero tantum asserit Marcum latine *prædicasse*, non *scripsisse*. De Marco ut *interprete* Petri jam dictum est. In occidentis partibus bene libri scribebantur græce, ut ex omnibus ecclesiasticis monumentis constat, quæ græca sunt usque ad Tertullianum. Demum autographi latini venetus et pragensis genuini autographi non sunt, ut jam est nunc demonstratum.

CAPUT XLIII.

Lucas ejusque evangelium: fontes consulti: occasio et scopus: locus et ætas: lingua: Acta Apostolorum: scopus, auctoritas, argumentum.

453. Lucas, antiochensis medicus, gentilis, ut videtur, forte mosaicam religionem ante christianam amplexus fuerat, prout ex ejus notitia familiari rerum judaicarum erui posse videtur. Absque prævia adnotatione ipse se ut Pauli comitem inducit, cum primum Apostolus a Troade in Macedoniam venit, mansitque Philippis dum Paulus Hierosolymam ivit. Demum in postremo Apostoli itinere ex Achaia et Macedonia in Jerusalem eum comitatus est, nec non duobus annis quibus mansit Cæsareæ dum ageretur ejus causa, ac denique Romam pariter venit ibique mansit saltem aliis duobus annis; sed in partes Achaiæ venit ante persecutionem qua Petrus et Paulus Romæ occisi sunt.

Per contractionem vocis Lucanus, forte dictus est Lucas, quod non constat, minus vero ipsum esse Lucium illum de quo Act. XIII, 1 sermo est, imo constat contrarium. Græca sua elocutio et literaria cultura, quæ ex suo Evangelio et Actis constat, communem traditionem confirmat, ipsum nempe virum doctum fuisse, origine græcum aut

saltem judæum hellenistam; fuisse vero pictorem nonnisi multo serius affirmavit Nicephorus. Et hoc verum esse potest; nisi credere mallis ideo pictorem B. Virginis dictum fuisse, quia plura circa eam docet quæ nullo alio evangelio leguntur; sed hæc habere potuit ab Jacobo *fratre* Domini quem Hierosolymis cum Paulo vidit, vel ab aliis a quibus *assecutus est omnia diligenter*. In Achaia munere apostolico obiisse ibique demum mortuum fuisse tradit Hier., Philostorgius, Greg. Nazian. aliique.

454. Lucam fuisse auctorem tertii evangelii ex Actis Apost. constat, ab omnibus semper ipsi tributis, quæque ejusdem auctoris plane sunt ac evangelium, ut ex utriusque prologo et elocutione patet, nec non ex universa traditione. Nec a criticis rationalistis in dubium vocatur; nisi quod aliqui eorum non integrum Lucæ evangelium habere nos affirmant, sed adulteratum; genuinum vero quod Marcionis erat, et ex S. Epiphanii scriptis collectum ab ipsis esse gloriantur. Sed hoc scholæ tubingensis rationalisticæ paradoxum est, a doctissimis viris plane refutatum, ipsoque Ewaldo, scholæ goetingensis coriphæo. Et sane ex fervida Tertulliani ratiocinatione et provocatione contra marcionitas abunde patet ipsos vere 3^um^ evangelium corrupisse, cæteros rejecisse; quæ vero ex Epiphanio collecta sunt, plerumque sunt meræ designationes capitulorum quæ Marcion omiserat vel servaverat, non vero integrum evangelium a Marcione admissum. Testes traditionis ecclesiasticæ, qui Lucam sui evangelii auctorem affirmant, tantum indicare sufficit Irenæum, canonem Muratori, Tertullianum, Clementem Alex., Origenem, Eusebium, Hieronymum aliosque plurimos.

Lucas opus suum Theophilo cuidam dicat, nihilque certi inventum est post multam disputationem circa Theophilum hunc: num scilicet vir quidam esset palæstinensis, quod improbabile est, aut latinus, aut græcus, forte ex Achaia; an vero denominatio generalis qua omnes christiani, *Dei amici*, designantur.

455. Fontes ex quibus Lucas suum evangelium hauriit multi esse potuerunt: Apostoli nimirum Petrus, Joannes, Jacobus et Barnabas, quos aut aliquoties, aut sæpe vidit (juxta Act. Apost.), alii Jesu discipuli, sed Paulus præcipue, ut ex multo illius consortio et familiaritate colligere licet, ex unanimi PP immo et hæreticorum sententia, ac potissimum ex magna quæ inter evangelium hoc et Pauli epistolas invenitur analogia in doctrina, verbis immo et phrasibus

ac narratione (conf. Luc. XXII, 17... cum 1 Cor. XI, 23...). Immo valde probabile est ipsum in Palæstina aliquandiu vixisse, ideoque Apostolos omnes cognovisse, quod ex ipso prologo colligi posse videtur (Quoniam quidem multi..... eorum quæ *in nobis* completæ sunt...), et ex inæquali Actorum narratione, difussa dum ipse rerum testis fuit, jejuna valde in reliquis, v. g. in iis quæ initio rei christianæ facta sunt Hierosolymis, Antiochiæ, in Macedonia, in postremo Pauli itinere in Judæam et Romam, comparata narratione prædicationis in Asia, in 2.° itinere ante adventum Troadem, &c. Cum Barnabas intimior esset Apostolis Hierosolymæ degentibus, Petro, Joanni et Jacobo, ex quorum consilio Paulum adiit Tarsi immorantem, unaque cum eo fidem prædicasset et ecclesiam antiochenam fundasset; valde probabile est ab ipso præcipue Paulum didicisse quæ ille a prædictis Apostolis acceperat (abstractione facta illustrationis Pauli ab ipso Jesu), et dein a Luca scripta sunt; ea præsertim quæ in annuntiatione et visitatione B. Virginis acciderant, a Jacobo sacræ familiæ sodali. Hinc redditur ratio cur Lucas hæc scribere potuit diligenter instructus, quin cogitandum ullo modo sit, illum modo profanorum historicorum consueto ea compossuise, canticum præcipue B. Virginis et Zachariæ; quæ cum a viris sanctis religioso exstasi raptis, tum divina inspiratione optime improviso fieri potuerunt; eo magis quod nullæ metricæ regulæ subjecta sint, et locutionibus et sensibus passim in V. T. canticis et psalmis occurrentibus plena. Ex hac Lucæ cum Paulo familiaritate et analogia factum est ut passim a PP. evangelium Lucæ Paulo adscriberetur, «capit enim magistrorum videri quæ sunt discipuli», ut Tertullianus dicebat marcionitis; et etiam quæ Paulus aliquando dixit «*secundum evangelium meum*», de Lucæ evangelio a pluribus acceptum fuit, cum Paulus de sua predicatione loqueretur.

456. Quæ huic evangelio conscribendo occasionem proximam dederunt, ipse Lucas in proœmio dicit: desiderium nempe, ob multas dictorum factorumque C-J narrationes, aut non undequaque fideles, aut non optime ordinatas, aut demum incompletas ac proprio scopui minus accommodatas, aliam texendi narrationem *ordine* scriptam, *post omnium diligentem assecutionem*, ut Theophilus cæ-

terique ex paganismo conversi, *scirent eorum omnium, de quibus eruditi erant, veritatem.* Cum vero Judæi ubique Paulo valde obsisterent in sua prædicatione, ob gentilium vocationem ipsis non parum invisam, atque a Paulo præsertim commendatam (ut pote gentium Apostolo; conf. Galat. 2); factum est ut iis C-J dictis et factis sæpe insisteteret, ex quibus gentium vocatio maxime elucebat; et Lucæ evangelium, quod ex hac Pauli prædicatione ut plurimum sumptum est, id sibi proponere videatur, *ut Deum demonstret omnium gentium salvatorem.* Hæc tamen doctrina Pauli et Lucæ peculiaris minime est, ut ex Matth. et Marci necnon Joannis sexcentis locis patet (conf. Math. XXVIII, 19; Marc. XVI, 15... &c., dum Lucas omittit sanationem filiæ mulieris cananeæ, Mat. XV, 22... suo scopui adeo accommodata.

457. Locus ubi scripsit Lucas certo determinari nequit; nulla tamen est ratio respuendi hæc S. Hieronymi verba (*comm. in Matth. præfat.*): «Lucas... qui et ipse discipulus Pauli, *in Achaiæ Boeotiæque partibus* volumen condidit». Forsitan scripsit primo evangelium et magnam partem Actuum Apost., deinde postquam Romam venit alteram partem. Cum vero ibi non usque ad finem mansisset, sed annis 63—65 in Græcia esset; tunc ecclesiis illis duo volumina tradidit, paucissimis adjectis circa statum rei christianæ Romæ biennio quo Paulus ibi detentus est. Unum tamen constat, illud ante concilium jerosolymitanum scriptum non fuisse, nec post annum 67 quo Paulus obiit, eo quod evangelium ante Acta Apost. scriptum est, hæc autem ante Pauli martyrium, de quo nihil in eis, quamvis incredibile omnino sit Lucam silentio illud prætermisisse, si jam fuisset adimpletum.

Equidem D. Rénan scriptum videtur *certo* post annum 70^{um}, sed *paulo post*; cum tamen hæc eruat ex cap. 21, ubi minutas circumstantias destructionis Jerusalem Christus prædicit, et critico nostro a Luca adjectæ videntur, ob *impossibilitatem prophetiæ* ab ipso admissam; jam facile eruitur hujus ratiocinationis pondus illis omnibus qui incredduli non sunt, ac Deum verum et vivum admittunt. Interea præstat notare concessionem *paulo post annum 70^{um}, scriptum fuisse* (ex eod. cap. ille hæc deducit); nam evangelium hoc duo priora jam supponit, idque etiam juxta

adversarium nostrum; quod non parum juvat ad ea ut genuina Matth. et Marci opera habenda. Et sicut ex vivida excissionis Jerusalem et sequentium calamitatum populi pictura a Luca facta (cap. XXI), colligit Renan *paulo post* has calamitates scriptum fuisse evangelium (licet hic nil probet, cum Dominus Jesus optime ea præviderit et prædixerit); ita ex vivida et minutis circumstantiis ornata pictura navigationis Pauli, naufragii circa Melitam insulam, miraculorum quæ ibi Patravit Paulus, honoris et sollicitudinis incolarum pro Paulo et sociis, adventus Syracusas, Rhegium, Puteolos, *ubi inventis fratribus rogati sunt manere apud eos septem diebus*, adventus deinde Romam, *ubi cum audissent fratres, occurrerunt illis usque ad Apii forum et Trestabernas;* optime colligitur *non multo post* scripta fuisse omnia hæc, forte in ipso itinere ac demum Romæ. Cum igitur Actorum liber jam evangelium supponat, ipsum ante Pauli mortem, ideoque a fortiori ante 70^um^ annum *certo* conscriptum est.

458. Græce evangelium hoc scriptum fuisse, majori diligentia et ordine quam præcedentia, puriori item lingua, licet syriacismis non vacua, elegantiori item dictione et quamdam academicam formam sapienti, facile inter omnes convenit. Ipsum vero Lucam ad opus suum scholastica methodo tunc consueta perficiendum, narratiunculas miraculosas, cantica, aliaque proprio marte adjecisse, plura item rejecisse ex primitivis narrationibus, composuisse eas ad antilogias vitandas et scopum suum obtinendum..; pura calumnia est, solius imaginationis adversariorum vi nixa, nullo prorsus argumento comprobata, et res impossibiles admittens, ut partim ex dictis, præcipue vero ex dicendis manifestum fiet.

459. Quæ de evangelio Lucæ dicta sunt, de ejusdem *Actis Apostolorum* intelligi etiam debent, circa auctorem, causam occasionalem, linguam, elocutionem, aliaque. Ejus scopus simile etiam est propter utilitatem præcipuam quæ fidelibus exsistebat cognoscendi initia Ecclesiæ, et Apostolorum plures actus cum doctrina dogmatica et morali valde connexos, de quibus proinde illi instrui valde desiderabant; eo magis, quod plures etiam circa hæc narrationes vulgatæ jam erant, ob sinceritatis defectum non fide dignis; pluresque existerent pseudoapostoli e Judæa, qui suis inventio-

nibus magnorum Apostolorum Jerusalem patrocinio falso gloriabantur. Non fuit tamen ejus mens omnia complectere quæ ab Apostolis præclare gesta sunt; sed ea tantum quæ ipse optime investigare et cognoscere potuit, vel quorum oculatus testis fuit. Epocha scriptionis anterior fuit martyrio Pauli (anno 67), ut ex dictis constat.

Auctoritas libri divina semper habita in Ecclesia fuit, legebaturque ut cæteri N. T. libri in publicis conventibus; sed minoris prætii quam evangelia propter materiæ excellentiam habebatur, ita ut S. Chrysost. quereretur de fidelium incuria, qui librum hunc pene ignorabant. Critica ejus auctoritas (omissa nunc divina inspiratione, de qua alias) ex ejus genuinitate ab omnibus comperta pendet, et ex narratoris veracitate, quæ suo loco vindicabitur. Irenæus, canon Muratori, Tertullianus, Clemens Alex. aliique bene multi posteriores PP opus hoc Lucæ adscribunt, nec quidquam contra objicitur.

460. Absque chronologicis observationibus rapide fertur, plurima omittit, etiam ipsius Pauli gesta, dum quædam satis late persequitur, quæ forte scripta habuit, ut orationem Stephani, deliberationes synedrii, Pauli quasdam orationes; cujus quidem agendi modi ratio plena reddi nequit. Narrat primo D. N. ascensionem, Sp. Sancti adventum, 1am Petri prædicationem et 2am quibus 8000 hominum Ecclesiæ adhæserunt; judæorum conatus ad hæc impedienda; mirabilem priorum christianorum vitam. Postea venit electio diaconorum, Stephani virtutes et mors, Sauli conversio, Centurionis baptismum a Petro ministratum, persecutio Agrippæ, qua periit Jacobus et Petrus aprehensus est. Deinde narratur quomodo Paulus et Barnabas Antiochiæ prædicant, Hierosolymam veniunt, Antiochiam redeunt et ad ministeria apostolica destinantur, Cyprum, Pamphiliam, Pisidiam, Lycaoniam peragrant, et iterum Antiochiam veniunt. Saulus cum Sila per Syriam et Ciliciam ecclesias invisit, Phrygiam, Galatiam, Macedoniam peragrat. Venit Hierosolymas ac tertio per Antiochiam pergit in Asiam, Ephesi tribus fere annis manet, Macedoniam et Achaiam invisit ac Hierosolymam redit. Comprehensus hic, duobus annis causam agit Cæsareæ coram Felice et Festo, Romam appellat illucque adsportatur, ac duobus annis sub custode manet. Hæc præcipua.

CAPUT XLIV.

Joannes: ejus evangelium: locus, ætas, scopus, indoles peculiaris: integritas.

461. Joannes, Zebedæi et Salome filius, galilæus, frater Jacobi, in arte piscatoria cum frate et patre, una cum Simone et Andrea vitam degebat in civitate Bethsaida, ut videtur. Ejus pater satis dives fuisse apparet ex eo quod Salome una ex mulieribus erat quæ J—C de suis facultatibus ministrabat (comp. Luc. VIII, 2—Marc. XV, 40), quod etiam Joannes *notus erat Pontifici*, et, cum C—J ei V. Matrem commendasset, «ex illa hora accepit eam *in sua*» (id est, propria domo, εἰς τὰ ἴδια). Litteris rabbinorum non erat instructus, cum *idiotis* adnumeretur (Act. IV, 13). Joannis Baptistæ primum cultor, ex ipsius sermone provocatus est ad J-C sequendum (Jo. I, 35—40) una cum Petro, Andrea, Philippo et Nathanaele, postea vero cum ipsis in Apostolum electus. Intimior Christo fuit, cum Simone et Jacobo fratre, immo singulari amore prosequutus, illum *quem diligebat Jesus* se ipsum nominat, et *supra pectus Domini in coena recubuit*. In passione Magistrum non dereliquit, sed constanter comitatus, Matrem C—J ut sacrum legatum accipere meruit. Post J-C ascensionem ex illis fuit qui valde laboraverunt Hierosolymis et Antiochiæ in prædicatione et propagatione evangelii. Quanto tempore in Palæstina permanserit certo non constat, sed concilio Apostolorum interfuit, ex illis *qui videbantur columnæ esse* Hierosolymis erat, et *dextram Paulo dedit*, seu ejus prædicationem gentibus probavit. Romæ etiam prædicasse antiquissima traditio est, quam Tertullianus ita refert (*de Præscr.* 36): «Ista quam felix ecclesia (Romæ), cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt; ubi Petrus passioni Domini adæquatur, ubi Paulus Joannis (Baptistæ) exitu coronatur, *ubi Apostolus Joannes*, postquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam (Patmos) relegatur». Quando hæc locum habuerint non liquet; verosimilius tamen vide-

tur in Neronis persequutione, licet communius id tribuatur persequutioni Domitiani. Forte ante, sed certo post suam relegationem et habitationem in Patmos venit Ephesum, ibique rexit ecclesiam ephesinam et præfuit ecclesiis Asiæ, ac demum ibi mortuus est jam centenarius. Simile vero est ipsum, qui olim sua fervida adhæsione adductus fuit ut ignem de coelo peteret ad perdendos eos qui C—J non recipiebant, quique, a C correptus et educatus, illam coelestem charitatem didicit, quam actibus suis et scriptis ubique spiravit; non prius Palæstinam deseruisse quam V. Maria ex hac vita migraret; quare ephesinam ecclesiam non ipse fudavit, nec ibi morabatur cum Paulus eam revisit vel ei epistolam direxit. Character ejus tenerrimus, et fervens J—C dilectio absque dubio fecit ut, quæ avidius ab ipso audierat, alta mente repositum teneret, frequenti et alta meditatione revolveret, atque ita paulatim transformatus ipsum Magistri characterem indueret, et loqutioni assuefieret; præsertim iis in rebus quæ altissimam theologiam spectabant, et totius christianismi intimam essentiam, propriam indolem et sublimiorem sensum constituebant.

462. Joannem fuisse quarti evangelii auctorem, ex ipso evangelio sexcentis in locis sic deducitur, ut necesse sit ita revera fuise, aut auctorem data opera fallere voluisse (conf. I, 14; XIX, 35; XXI, 20, 24; 1 Joan. I, 1—2 &c). Constans et antiqua traditio idem evincit, cujus testes locupletissimi sunt medio sæculo 2.° Theophilus antiochensis, Irenæus, Clemens alex., fragmentum Muratori et Tertullianus; qui omnes demonstrant ab universa Ecclesia jam post annum 160.um ut genuinum Joannis fetum habitum fuisse. Cum vero Irenæus a Polycarpo suam doctrinam summa aviditate hauxerit (ut ipse declarat in epistola ad Florinum), ejus testimonium et citationes plusquam sexaginta ut ipsius Polycarpi, discipuli Joannis habendæ sunt, cum alias fieri non posset quin contra evangelium istud, ut Joannis opus, ipse protestaretur; eo magis quod suspecto testimonio ipsum contra hæreticos sui temporis sæpissime usum fuisse, nullo modo queat admitti; et demum Polycarpus ex 1 Joan IV, 3 testimonium desumpsit in epist. ad Philip. «omnis quidem qui non confitetur J. C. in carne venisse, antichristus est», verba siquidem eadem sunt in græca lectione. Similiter Justinus (*apol.* 1, 6) ad epist. 1.am Joan. (I, 1—3) alludit ma-

nifeste; ex confesione autem adversariorum epistola hæc et evangelium ejusdem auctoris sunt. Immo locum evangelii (III, 3....) tacite indicat (ib. I, 61) dicens: «Et Christus dixit quidem: si non renascatis, non intrabitis in regnum coelorum. Omnibus autem patet, impossibile esse eos qui semel nati sunt, in uterum matrum suarum rursus ingredi». Papias item Joannis epistolam nominat (ap. Euseb. H. E. III, 39); et, quod majori animadversione dignum est, S. Ignatius in litteris nunc ab omnibus admissis (ab anno 107 ad 115), ita loquitur, ut hujus evangelii verba descripsisse facile videatur, ut (ad Rom.) «Desidero panem Dei, panem coelestem, panem vitæ, qui est caro J—C Filii Dei.... cupio potum divinum, ejus sanguinem, qui est charitas incorruptibilis, et vita sine termino». (Comp. Joan. VI, 41—48, 51—54). Demum Justinus evangelia tribuit *Apostolis* et *discipulis*, quod sine evangelio Joannis locum non haberet; Tatianus, ejus discipulus scribit suum *Diatessaron*, cujus prima verba hæc erant: *In principio erat Verbum*... et plura alia hujus evangelii loca allegat (in *Orat. Cont. Græcos c. 19*); valentiniani apertissime eo abutuntur ad sua somnia constabilienda (v. Iren. adv. hær III, 11 n. 7), et Heracleon similiter (ib. II, 2) per centurionem (de quo Joannis IV, 46), intelligit suum *demiurgum* (v. præcipue Orig. *com. in Joan.* ubi hujus hæretici confutationem late persequitur); denique Theodotus, alius Valentini discipulus et socius, hoc evangelio sæpe utitur, ut apud Iren. (l. c.) videre est. Igitur medio seculo 2.° ab universa Ecclesia ut Joannis opus suscipitur, ab hæretis allegatur ipso 2.° sæculo ineunte ad sua dogmata cohonestanda, quod ejus auctoritatem jam retro cognitam supponit; a PP. apostolicis in usum adsciscitur; quod invincibiliter demonstrat sæculi primi fetum esse, prout nunc ab ipso Ewald, Rénan, Reville aliisque communiter, paucis exceptis scholæ tubingensis, rationalistis admittitur.

463. Ephesi scriptum fuit evangelium hoc, prout apertissima traditione constat: nec ratio ulla datur contraria cum levibus omnino momentis opinio paucorum nitatur, qui in insula Patmos scriptum fuisse affirmant. Tempus vero scriptionis non pariter constat. Communiter creditur circa annum 98 id factum fuisse, postquam Joannes ex insula Patmos Ephesum rediit cessante persequutione do-

mitianea (a. 95); sed ex fragmento muratoriano, cui PP testimonium apprime convenit, paulo post excissionem Jerusalem id factum fuisse existimo (inter an. 70 et 80), cum aliqui ex Apostolis Joannem rogaverint ut evangelium ederet, nec sit simile vero ipsos tam longe vitam pertraxisse ut totum sæculum primum impleverint (v. supra). Occasionem et scopum Joannis hujus evangelii conscribendi Clemens alex. sic enarrat, prout a vetustioribus presbyteris ipse acceperat (Euseb. 1, 6, c 14): Joannes omnium postremus, cum videret in aliorum evangeliis ea quæ ad Corpus Christi pertinent tradita esse, ipse, divino Spiritu afflatus, *spiritale evangelium* familiarium suorum rogatu conscripsit». Quod mirifice fragmento muratoriano consonat, ubi hæc leguntur: «Quarti(um) evangeliorum Joannis ex decipulis (discipulis, nempe J—C, seu Apostolis, ut tunc passim vocabantur). Cohortantibus *condecipulis* et episcopis suis dixit: *conjejunate mihi odie triduo, et quid cuique fuerit revelatum, alterutrum nobis enarremus.* Eadem nocte revelatum *Andreæ ex Apostolis*, ut, recognoscentibus cuntis, Joannis(es) suo nomine cuncta describeret...» Eamdem traditionem repetit S. Hieronymus. Hinc non solum ut Joannis opus, sed aliorum *discipulorum Domini*, in quibus Andreas Apostolus, suffragio et approbatione et scriptum et confirmatum fuisse tenendum est; atque ita optime intelligitur testimonium illud collectivum quod cap. XXI, v. 24 exhibet, et illorum omnium confirmationem continet; non secus ac cap. I, 14, et I, 1... epistolæ primæ, quæ tanquam hujus evangelii dedicatoria ecclesiis asianis primum, ac toti deinde Ecclesiæ directa est, prout nunc communiter creditur. Causa vero, qua condiscipuli et episcopi ducti, Joannem ad scribendum impulerunt, triplex fuisse videtur: *spirituale evangelium*, ut Clemens ait, dare; multa ab aliis prætermissa et cognitu digna suplere; et gnosticorum multiplices hæreses jam tunc, immo tempore ipso prædicationis Pauli grassantes, refellere, non quidem forma polemica et auctoribus ipsis nominatis, sed generatim, modo indirecto, perspicua nempe veritatis factorum sermonumque Christi huc spectantium expositione.

Postremus hic scopus a Patribus passim agnoscitur; eumdem tamen unicum non fuisse constat ex pluribus locis ad hæresum confutationem non pertinentibus; ex aliis ad principium charitatis relevan-

dum ut supremum christianismi culmen et intima essentia; ac demum aliis quæ ad pleniorem cognitionem historicam directa potissimum esse videntur. Qui autem ii hæretici fuerunt, quot eorum et quanta systemata, ex historia ecclesiastica colligere licet. Nobis satis sit paucis animadvertere quosdam (adhuc inter sabæos commorantes) Joannem Bapt. ut Messiam habuisse, alios de persona Christi diversos errores prædicasse, alios denique non satis firmam in messiana Christi dignitate agnoscenda fidem habuisse. Huc spectat testimonium illud (cap I, 4—8): «Fuit homo missus a Deo cui nomen erat Joannes... non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine», ac ejusdem Joannis Bapt. repetitæ confessiones (I, 20, 32—34; III, 25—30). Cerinthianos optime confutant seqq... «*In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*—Omnia per ipsum facta sunt... In ipso vita erat, et vita erat lux hominis...» Eosdem hæreticos simul et *docetas* refutat his verbis: «Et Verbum *caro factum est*, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis». Nec non energica illa (1 epist. I, 1...): «Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ...» Contra eosdem simul et baalamitas, et Hymenæum et Philetum emphatice narrat se vidisse aquam et sanguinem ex pectore C. perforato manantem, et eos qui Christum in carne venisse inficiabantur ut antichristos traducit (1 Joan. IV, 2, 3). Demum in messianica dignitate et divinitate Christo tribuenda multo sollicitus est, præcipue XX, 31; I, 41; I, 45; I, 49; IV 29; IV, 42; VI, 70; IV, 26; X, 24, 25.

464. Idea hujus evangelii fundamentalis hæc et (XX, 31): «hæc autem scripta sunt ut credatis quia Jesus est Christus filius Dei; et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus»; quam per totum opus late persequitur, mira factorum, doctrinæ, immo et locutionis unitate. Jam in præfacione Christum exhibet ut Filium Dei, vitam et lucem mundo ab ipso creato adsportantem; Verbum caro factum, hominibus manifestatum, gratia et veritate plenum, ab iis qui Dei sunt receptum, ab aliis vero repudiatum. Prima pars integra evangelii (I—XII) hanc manifestationem late describit, et duplicem ejus effectum illuminationis et fidei filiorum lucis, obcæcationis et incredulitatis filiorum tenebrarum. Postea (XIII—XVII) veniunt intimæ revelationes Apostolis factæ spiritum totius christianismi continentes; deinde (XVIII—XIX) exitum pugnæ contrariorum principiorum lucis ac tenebrarum, passionis nempe historiam, iis

circumstantiis quas frustra in aliis evangeliis quæras, et eisdem non parum claritatis afferunt. Demum (XX—XXI) Christi resurrectionem variasque apparitiones et monita. Ita stricto ordine narratio procedit idem semper systema persequens, data chronologica notantur, et idem semper stylus servatur. Unus igitur idemque auctor omnia scripsit, nullæ hic inveniuntur aliorum additiones, omnia idem sapiunt, prout ipse Strauss demum fateri coactus est, qui nunquam satis miratur et artem picturæ hujus et vim corda lectorum afficiendi.

465. Circa evangelii hujus integritatem duo præcipue objici solent, historia nempe mulieris adulteræ et caput ultimum integrum. Argumenta contra locum priorem interna et externa sunt; interna tamtum contra secundum. Nempe 1.° improbabile esse dicunt adversarios Jesu honorificum munus judicis ei detulisse; 2.° quæstio illa non erat captiosa; 3.° legisperiti non potuerunt citare poenam lapidationis, nam in lege de morte tantum sermo est (Deut. XXII, 22; Lev. XX, 11); 4.° Jesus apparet hic irresolutus contra morem suum; 5.° solus cum muliere manere non potuit; 6.° dictio et scribendi ratio in hoc loco videtur Joanni inusitata. Ast 1.° non agebatur de honore Jesu exhibendo, sed 2.° captiosa quæstio proponebatur, si enim Christus poenam pronunciasset, auctoritatis romanæ animadversionem, et populi cum sequentis ob dulcedinem suam et mansuetum ingenium, defectionem incurrisset; si vero facile eam insontem dimisisset, Moysis contemptorem et moralem laxam tradentem adversarii facile appellassent. 3.° Quod si l. c. legis de lapidatione sermo non est, in vv. præcedente et sequente (21 et 23, 24) ob simile peccatum de poena lapidum scribitur, quod ad vagam significationem v. 22 determinandam sufficit, una cum interpretatione populi hebræi usuali; ¿et unde evincent adversarii mulierem istam sponsam adhuc non fuisse, sed proprie uxorem? 4.° Modus agendi quem hic Jesus servavit mysteriosum nobis est, cum nesciamus quid in terra scriberet, sed valde opportunum fuisse constat ex effectu sequuto, nempe omnes accusatores et Jesum tentantes *unus post alium disparuit incipiendo a senioribus;* sed 5.° non omnino solus cum muliere Christus remansit, nam vox *solus* ex contextu non populum, sed tantum accusatores excludit. 6.° Ratio demum scribendi ita propria Joannis est, ut contrarium nulla ratione demonstrari queat; et si quædam verba hic tantum occurrunt, nil mirum est, cum etiam res, de qua agitur, hac tantum vice evenerit. Difficultates externæ desumuntur ex defectu hujus pericopes in veteribus mss. A. B. C. T. L. X. Δ, in sinaitico, 50 minusculis et 30

fere evangelistariis; in aliquibus obelo notatur, et demum in aliis paucis distinctum locum obtinet. Codices L et Δ spatium vacuum hic habent, quo constat in aliquibus cc. a conscriptoribus visam historiam fuisse. Continetur in cc. D. F. G. H. K. M. V., in plurimis recentioribus et multis evangelistariis; in versione vulgata, itala in plerisque mss., syriaca palæstinensi, ætiopica, slavica, anglosaxonica. Quod si in commentariis aliquorum PP. deest, aut ad scopum suum non erat opportunum, aut codicem legebant ex iis in quibus deest, aut iisdem rationibus ducti historiam istam non explicaverunt, quibus ex August. ductæ sunt ecclesiæ ut eam non legerent in liturgia, ob periculum nempe adulteria fovendi. Nihil igitur *certi* contra ejus genuinitatem adduci potest, ac semper probabilius est eam defecisse casu vel data opera, quam ab impostore, vel ab ipso Joanne postea additam fuisse.

Capitis ultimi integritati interna tantum argumenta opponuntur, cum in omnibus codibus et versionibus inveniatur, suntque fere sequentia: cap. XX v. 30 et 31 manifeste continet conclusionem evangelii a Joanne conscripti, diversus loquendi modus occurrit, ac oppositionem aliis evangeliis circa historiam apparitionum J-C in eo deprehendimus. Sed nihil impedit quominus Joannes habuerit quidem intentionem evangelium finiendi cap. XX; postea vero ob rumorem sparsum immortalitatis ipsius, ac pleniorem notitiam apparitionum J-C a fidelibus desideratam, caput XXI ut appendicem addiderit, ex fratruum forte vel discipulorum concursu, ut jam indicatum est. Et admittere etiam possumus ab Asiæ episcopis et Joannis discipulis statim post ejus mortem scriptum fuisse, cum tridentinum concilium omnes et singulos V. et N. T. libros, prout in vulgata habentur, non præcise *genuinos*, sed *sacros et canonicos* declaraverit; nulla tamen necessitas critica ad id admittendum nos cogit, immo potius contrarium verosimilius demonstrat, dummodo ab ipso Joanne quidem ut supra diximus, sed aliquandiu post scriptum esse censeatur; quod etiam de historia feminæ adulteræ intelligi potest. Atque id ipsum explicat diversitatem stili, si qua est, quod suadetur quidem, sed non demonstratur. Denique antilogiæ veræ nullæ sunt, sed apparentes ut alibi explicabitur. Quæ contra hujus evangelii genuinitatem et historicum characterem fide dignum objiciuntur, infra n.° 520 enucleatius diluentur.

CAPUT XLV.

Evangeliorum et Actorum genuinitas et axiopistia: præliminaria: argumenta interna: concordia narrationis cum historia coæva.

466. Gravissimam hanc quæstionem nostris temporibus paulo latius pertractare cogimur post tot incredulorum hominum impugnationes contra religionis christianæ fundamentum, horum nempe librorum characterem historicum et plenam axiopistiam sive credibilitatem. Hac enim semel sublata, personam Christi divinam de medio etiam tolli quisque facile percipit; solaque restaret doctrina moralis, quæ, licet mirabilis et divina sit, ita tamen cum idea divini Revelatoris et Mediatoris, ceterisque dogmatibus est connexa, ut ab iis abscissa, omnem fere vim suam amitteret; eo magis, quo plus ab impiorum hominum lucubratianibus philosophicis quotidie labefactatur, qui se ut vere *gnosticos*, et *scientiæ sapientiæ veræ* possessores christianam perficientis et corrigentis, gloriantur. Atque ut maxima qua fieri possit claritate quæstionem hanc pertractemus, hæc notare opportunum est: 1.° ex systematibus philosophicis ordinem supernaturalem repellentibus, ut alibi jam subindicavimus, ortam demum esse hodiernam criticam biblicam, ut vocant; quæ divinam revelationem, miracula et vaticinia *a priori* respuens, *naturaliter* sibi rationem quærit historiæ evangelicæ; eamque ut quamlibet aliam historiam ita pertractat, ut si quoddam vaticinium v. g. in ea inveniat, jam necessario concludat aut adulteratam, aut post eventum scriptam historiam fuisse. Præmittere igitur oporteret doctrinam de possibilitate et existentia ordinis supernaturalis, quæ in Demonstrationibus christianis, et ipsis Philosophiæ elementis satis superque traditur, ob idque a nobis repetenda non est; nonnulla tamen adnotabimus sectione 4.ª 2.° Cum adversarii minime inter se consentiant in re tam gravi, seque invicem impugnent, omnium ipsorum opinionum cura minime a nobis habenda est; sed generatim eæ refutandæ sunt sententiæ, quæ plures celebrioresque patronos in Germania præsertim et Gallia nostris temporibus habent; cetera prætermittenda, ut velut opinionum commenta deleat dies. Itaque sic statuenda est evangeliorum genuinitas, ut sæculi primi fetus esse demonstrentur adversus scholam

tubingensem, ut vocant; postea iis auctoribus quibus tribuuntur, vere adscribenda esse probandum est, quod iisdem fere argumentis conficitur; ac demum ita ut character *legendarius* omnino excludatur, sed ut veræ historiæ omni fide dignæ demonstrentur contra novos eos adversarios, quos in D. Rénan repræsentatos fere considerare licet. Hæc omnia argumentis internis primum, postea vero externis, ex paganis auctoribus, hæreticis ac ecclesiasticis scriptoribus et monumentis præstabimus, ac demum objectiones delebimus.

467. Argumenta interna ab ipsis libris recta ratiocinatione hauriuntur, ex eorum exactis notionibus historicis, geographicis et topographicis, archæologicis, illiisque omnibus, in quibus eruditorum scriptorum libri historici *ut plurimum*, plebeiorum vero narratiunculæ legendariæ *semper* peccare consueverunt. Nempe tam multæ sunt, de quibus in iis libris sermo est, adspectabiles personæ, tales historici eventus, tam implicata tempora J-C prædicationi synchrona, ut moraliter impossibile sit quinque integros historicos libros, a plebeiis hominibus post integrum sæculum, ut supponunt adversarii, conscriptos, nullam historicam labem incurrisse: esset hoc phenomenon omnino singulare, incredibile et prorsus prodigiosum. Atque id magis mirum est ex modo quo libri isti de rebus iis loquuntur, id est, per accidens ac veluti casu, quin unquam ex professo hæc pertractent, aut dictorum rationem reddant. Omnes prorsus libri se ut historicos exhibentes, atque ita post multum temporis aut a plebeiis hominibus ex traditione conscriptis, erroribus sunt referti in delineandis eventuum, personarum, nationum adjunctis, præsertim si de earum doctrinis, moribus, præjudiciis, agendum sit. Sic historici antiqui celeberrimi, sive græci sive latini, sic evangelia apocrypha, sic medii ævi historiolæ, biographiæ ac legendæ v. g. Caroli Magni, Arturi regis, Roderici Diaz de Vivar, aliæque prorsus omnes.

468. Contra evangelii nostri cum iis omnibus mire consentiunt. Et sane quod ad Herodium familiam, in quibus enumerandis et distinguendis lapsus facillimus est, hæc habemus in evangeliis et Actis Apostolorum prorsus cum veritate collimantia (conf. n.° 433): Christus nascitur *in diebus Herodis regis* (Mat. II, 1...); post cujus mortem audiens Joseph quod *Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo* (ibi. 22), venit et habitavit in Nazareth. Decimo

quinto anno Tiberii imperatoris *procurator* erat Judææ *Pontius Pilatus*, *Herodes Tetrarcha Galilææ*, *Philippus frater ejus tetrarcha Iturææ et Trachonitidis regionis*, *et Lysanias Abylinæ tetrarcha* (Luc. III, 1), ex quo postremo injuria prorsus accusatur Lucas anachronismi, ut infra patebit. Juxta omnes evang. Joannes B. in Galilæa baptizans et prædicans occiditur ab Herode (Antipa), qui habebat Herodiam uxorem fratris sui Philippi (non tetrarchæ, sed illius qui Romæ privatus vixit), ut etiam ab Josepho narratur. Post C-J mortem et fundatam Ecclesiam *misit Herodes rex manus* ut affligeret quosdam de Ecclesia (Act. XII, 1...): iste est Herodes Agrippa 1us, a Caligula titulo regis donatus. Postea dum Paulus accusaretur apud procuratorem *Felicem* et *Festum* (ib. XXIII; XXIV; XXV), Agrippa rex (Calcidis 2us) venit Cæsaream cum Berenice videre Festum (ib. XXV, 13). ¿Quomodo non confunderet hæc omnia scriptor saeculi 2i jam progredientis; præsertim si popularibus narrationibus relatio historica antiquior a multis referta est, ideoque multorum hominum plebeiorum, credulitate nimia et superstitione laborantium est opus? Nimis mirum hoc esset; nam omnia verissima sunt, ut ex Josephi libris constat, et ob eorum implicationem ad errorem inducendum aptissima.

469. Idem dicas si relationes politicas populi judaici et romani illis temporibus consideres. Nam romani synedrio jus reliquerant de causis propriis cognoscendi leviusque puniendi, sibi autem poenam mortis servaverant; quod etiam in narratione evangelica apparet. Idem de statu judæorum religioso est dicendum; namque constat 1.° cultum celebratum fuisse in templo multis annis ab Herode restaurato (Joan. II, 20; Marc. XIII, 1; Luc. I, 5—10); 2.° ad festa præcipua celebranda undique judæi conveniebant, donis templum ditabant, ethnici synagogas frequentabant, quas in Judæa et extra magno numero hebræi habebant (Mar. XII, 41; Jo. IV, 45; XII, 12, 20; Act. XIII, 5; XIV, 1; XVII, 1—4, &); 3.° pontifici tribuitur potestas in rebus religionis etiam extra Palæstinam se extendens (Act. IX, 1—2), et sæpe plures commemorantur, aut instabiles in munere fuisse indicatur (Mat. II, 4; XXVI, 3; Lucas III, 2; XXII, 2; Act. IV, 6; Jo. XI, 47, 49). In iis omnibus prorsus consentientem habemus Josephum Flavium (vid. Ant. XV, 11; VII,

14, 7; B. J. 2, XIV, 2; 6, IX, 3; Ant. 14, VII, 1—2; 19, VI, 3; B. J. 2, XIV, 4; 7, III, 3) in quibus postremis tribus locis non data opera, sed ex occasione de studio suorum in synagogas agit; de juribus pontificis et synedrii (Ant. 4, XX, 4, 16, VI, 1—7); de instabilitate et conturbata pontificum successione, (ib. 15, IX, 3; 17, IV, 2; 17, VI, 4; 18, II, 2; 19, VIII, 1; 20, IX, 1; et alibi). Idem statuendum est de judaicis sectis earumque placitis, quod quidem satis notum est, idque tam accurate fit, ut ipse Rénan libros nostros in delineandis pharisæis sequatur potius quam Fl. Josephum. Demum Herodes magnus sistitur crudelis et astutus; Pilati erga judæos male inclinatus animus ex historia passionis J-C eruitur, et Luc. XIII, 1; Felix Cæsareæ degens moram agit in causa Pauli ad pecuniam obtinendam, dum quæstionem ipsam, ut religiosam, parvi pendit, sicuti Festus et Agrippa postea: de spe magni regis ad exteras gentes perventa patet ex Magorum adoratione; judæi moribus corrupti, in rebellionem adversus romanos proni; galilæi ut semihæretici a judæis habiti et aspernati; judæorum cum samaritis inimicitiæ; atheniensium animus novarum rerum cupidus; ephesii magicis artibus et Dianæ cultui dediti; corinthii eloquentia tumidi, opulenti, petulantes: aliaque id genus plurima, cum notionibus iisdem ex profanis auctoribus deductis plene cohærentia nostris libris invenientur, quæ eos post longum annorum tractum scriptos fuisse, et quidem populari labore, multis additionibus, interpolationibus, vulgaribus traditionibus, impossibile esse prorsus demonstrant. Si quis inventionibus delectatur, credibiliora et probabiliora inveniat.

CAPUT XLVI.

Accuratissimæ notiones geographicæ et topographicæ.

470. Nec infirmius argumentum eruitur ex notionibus geographicis et topographicis quæ passim ac veluti casu occurrunt in libris N. T. historicis; sed contra eo validius, quo major est in iis rebus errandi periculum, majoresque lapsus inveniuntur in cæteris historiis, antiquis præsertim,

enormioraque peccata in auctoribus illis, qui falso se synchronos traduxerunt, apocryphasque relationes ediderunt. Notum omnibus est narrationes historicas ab oculatis testibus conscriptas, excellere indicationibus suis geographicis et topographicis ob picturæ vividum colorem et minutas locorum circumstantias exacte determinatas; contrarium vero accidere in cæteris historiis, præcipue dum legendariæ sunt. Ita constat (omissis innumeris exemplis) in Xenophontis *Cyropædia* comparata *Historiæ recessus decem millium*; operibus Virgilii, Livii, Philostrati, Pseudo-Hegesippi; in evangeliis apocryphis; in legendiculis medii ævi, ut omnibus notum est, aut facile esse potest. Ast evangelica historia majori adhuc periculo errandi erat obnoxia, si ab oculatis testibus non fuisset conscripta; ac multo magis si post sæculum primum nata fuissent; post innumeras nempe seditiones et bella, quæ Judææ statum prorsus mutarunt ac pene in eremum, ut ait Josephus, converterunt, Hierosolymas exciderunt, plusquam nongenta oppida et civitates tempore Hadriani imperatoris solo æquarunt. ¿Quis non videt facillimum labendi periculum scriptori illi qui J-C habitationes, peregrinationes, opera, cum circumstantiis locorum sæpe connexa enarrare deberet, quin ea ipse viderit, aut saltem ab oculatis testibus diligenter assequutus fuerit? Immunitas erroris hic miraculo par absque dubio esset.

471. Et quidem nullus datur error, sed mira cum veritate consonantia, ut post minutissimas ac sagacisimas nostri temporis eruditorum et sapientum hominum investigationes et comparationes, quilibet in *Itineribus in Palæstinam* coætaneis perspicere potest, in quibus eminent Robertson, Vogué et Saulcy; nec contrarium quidquam invenire potuit Rénan, quamvis suo scopui peropportunum fuisset, sed levibus objectionibus contentus esse coactus fuit, nihil ponderis habentibus; dum generatim evangelia sub hoc respectu ita laudat, ut inspectio locorum ipsi fuerit 5^um^ evangelium. Atque ut aliqua saltem delibemus (præter laudatorum hominum testimonia, necnon protestantis Leh, Clarcke et De la Borde, qui numquam non mirantur sacrorum librorum indicationes geographicas ac topographicas numeris omnibus absolutas), Betlehem dicitur (Matth. II), *terra Juda*, *parva*, non longe ab oppido Rama (ib. v. 18), nec ab Jerusalem (Luc. II, 22), ibique nascitur C. in *præsepio* (cu-

jusdam speluncæ stabuli loco servientis) *quia non erat locus in diversorio* (caravan-serrallo); quæ quidem omnia a viatoribus, et hoc postremum apertissima traditione comprobatur. Post reditum ex Ægypto venit Joseph *in Galilæam et habitavit in Nazareth* (Matth. II, 23), unde venit J-C *Capharnaum in finibus Zabulon et Nephtalim* (ib. IV, 13); quo loco ductus Saulcy invenit tandem Capharnaumi ruinas, cum antea multo superius fuisse crederetur. Limites Galilææ indicantur (Matth. XV, 21) Phœnice, Samaria (Jo. IV, 3-5), lacus Gennesareth (sæpissime). Planities huic lacui occidentalis vocatur *terra*, γῆ, dum montes Judææ dicuntur *montana*, ὀρεινή (Matth. XIV, 34 et Luc. I, 39). In Nazareth volebant habitatores C. *præcipitare de supercilio montis in quo civitas erat fundata* (Luc. IV, 29), quod a Robertson plane comprobatum est. Ex hac civitate venit J. Capharnaum, quæ quidem proxima est; illucque rediit post nuptias *Canæ* item proximæ. Puteus proximus civitati Sichem in Samaria, dictus puteus Jacob (Jo. IV, 5, 6, 11, 12....), campus ille cujus *regiones albæ jam erant ad messem* (ib. 35, quod populos ad accipiendum evangelium paratos significabat), colles Galilææ, mons octo beatitudinum, 2 leucis distans a Capharnaum, mons Thabor inter Capharnaum (5 leucis) et Tiberiades (6 leucis), mons jejunii circa Jericho: verbo, adnotationes omnes topographicæ Galilææ, mira consonantia in evangeliis et investigationibus viatorum conveniunt.

472. Idipsum de Judæa dicas. Sic castellum Emmaus *in spatio stadiorum LX ab Jerusalem* erat (Luc. XXIV, 13; coll. B. J. 7, VI, 6); recedens Jesus ab judæis illum occidere volentibus, *abiit in regionem juxta desertum, in civitatem quæ dicitur Ephrem* (Jo. XI, 54), sitam nempe circa Jordanem, cujus petrosæ ripæ, ut pote vegetatione carentes, *desertum* dicebantur usu judæorum; in civitate Jericho *venit Jesus in domum Zachæi, principis publicanorum*, seu portitorum, ἀρχιτελώνης, ibi namque accipiebant romani vectigalia, sicut in Capharnaum, ob præcipuum commercium in iis civitatibus florentem (Luc. V, 27, 29; XIX, 1...; Mat. IX, 9-10; Mar. II, 14; coll. Fl. Joseph. Ant. 14, IV, 1; Strabo. lib. 16; Justino, in comp: l. 36, c. 3); oppidum Bethania *erat juxta Jerosolymam quasi stadiis quindecim* (Jo. XI, 18) ad orientem montis olivarum, ubi nunc situm est El-Azariyeh, de nomine Lazari. Cum judæi præ-

torium ingredi nollent, ut non contaminarentur, Pilatus exiit, seditque in loco dicto *Lithostrotos* (Jo. XVIII, 28; XIX, 13), qui proinde prætorio proximus esse debuit; quod verum fuisse discimus ex B. J. l. 6, c. 6 et 7, ubi circa turrim Antoniam fuisse legitur, juxta quam ex Philone (*de legat*, ad Cajum) discimus fuisse palatium Herodis, ubi erat domus Pilati. Ex Act. Apost. III discimus portam templi *speciosam* proximan fuisse *portico Salomonis*, ut ex Fl. Jos. etiam constat (B. J. l. 5, XIV et Ant. l. 20, VIII). Juxta nostra evangelia Bethphage oppidulum erat Hierosolymis valde proximum, quod ex libris thalmudicis intra moenia Jerusalem fuisse a multis creditum fuit; ast *Gemara Babiloniæ* extra moenia fuisse demonstrat, dum quid faciendum interrogat *si intra civitatem* inveniatur cadaver hominis, statimque addit, *quid vero si inveniatur Bethphage?* Item liber dictus ספרי, quod est antiquissimum commentarium Numerorum, docet in die festo non licere a Jerosolymis exire, sed excipit judæos qui venerant de Bethphage, quique illuc revertere possunt ad noctem transigendam. Civitas Gaza destructa dicitur (Act. VIII, 26), objiciebatur vero libro nostro ab Herode magno fuisse reædificatam; sed ex Josepho scimus (B. J, 2, 33) paulo ante assedium Solymorum destructam fuisse, cum aliis civitatibus et oppidis Syriæ et regionum finitimarum, a judæis injuriam cæsareensibus factam vindicare volentibus. Ex eodem libro Lucæ Philippis erat Lydia purpuraria thyatirensis, postea vero inventum est monumentum demonstrans hoc industriæ genus Thyatiræ fuisse. Idem vocat Sergium Paulum Cypri *proconsulem*, etsi provincia hæc, ut pote non senatorialis, non *proconsulem*, sed *prætorem* aut *proprætorem* habere debuerit; ast ex antiquo numismate *proconsulem* habuisse discimus, cum Augustus Cypri provinciam pro Dalmatia senatui postea dederit, ut ait Dio Cassius (l. 54 in Augusto). Quod in Actis de itineribus Pauli dicitur in suis prædicationibus et adventu Romam, ita cum locorum aspectu ac topographia, cum vicissitudinibus navigationis, cum ventis et procellis circa hæc loca regnantibus, cum aspectu maris terrarumque ibi degentium minutissime constat, ut nonnisi ab oculato teste, et quidem non rudi, describi potuisse jam omnibus constet (præsertim post Paley *Horas paulinas*, et Smith: *De itinere S.ti Pauli*, anglice; conf. Vallon).

Civitas Sichem vel Sichar fuit postea appellata *Flavia Neapolis Syriæ*, *Mabartha* et *Mamortha*; sed in evangeliis appellatur nomine usitato suo tempore et inter judæos. *Cæsarea Philippi* vocabatur antea *Paneas*, postea vero *Cæsarea Paneades*; ab evangeliis autem appellatione, vivente Philippo tetrarcha, aut paulo post ejus mortem usitata. Bethsaida in Galilæa sita dicitur sæpe in evangeliis, quamvis in tetrarchia Philippi ultra lacum Genesareth inveniretur, et *Julias* fuisset appellata. Sed populi curam de distributionibus politicis non agentes, illam ultrajordanicam regionem Galilæam appellabant; quod et Josephus facit dum sæpe Judam de Gamala vel Gaulon *galilæum* vocat. Cognomen autem Juliæ in honorem filiæ Augusti impositum ob assentationem, nec a popularibus receptum facile fuit, nec continuo permansit, postquam scilicet Augusti filia gratia paterna ob sua flagitia decidit. Quod de *Bethania trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans* dicitur (Jo. I,28), confundi nequit cum *Bethania, de castello Mariæ et Marthæ* (Jo. XI, 1), quam optime novit Joannes, ac proinde fieri nequit ut utrasque ille permiscuerit; nihilque obstat si nullibi fiat mentio Bethaniæ trans Jordanem a Fl. Josepho, cum ille plenam Palæstinæ descriptionem dare non statuisset, oppidumque minimum esset, et ipsi Fl. Josepho propterea forte incognitum. Atque hæc satis sint, inter plurima quæ de hoc argumento afferri possent, ad ostendendum impossibile prorsus esse ut scriptores evangeliorum et Actuum nonnisi post primum sæculum delapsum vixerint; aut etiam plurimis additionibus traditionalibus, exaggeratis, legendariis, ab hominibus credulis bonæ fidei factis, evangelia nostra constare; quod cum tam exactis notionibus, veluti casu datis, incomposibile prorsus esse nemo sanæ mentis et præjudiciis vacuus non videt.

CAPUT XLVII.

Alia argumenta ex numismatibus publicisque monetis, ex narrationis charactere et lingua deducta: conclusio pro argumentis internis.

473. Aliud argumentum pro omnimoda concordia evangeliorum cum adjunctis Palæstinæ tempore J. C., ex publicis monetis quæ tunc temporis in usu erant quarumque in evangeliis mentio fit, eruitur, atque item ex numismatibus

quorum notitia apud antiquarios, seu archæologos extat, et cum rebus in evangeliis memoratis connexionem aliquam habent (præcipue in re nostra apud Ackerman). Atque ut hujus argumenti vis clarius percipiatur, notanda est primo multitudo monetarum quæ tunc obtinebant, judaicarum, græcarum, romanarum; item rei mutabilitas, realisque mutatio paulo post exscidium Jerusalem; maxima denique facilitas hæc omnia permiscendi viris popularibus, vel etiam doctis, extra Palæstinam degentibus, post longum temporis tractum, de iis rebus non data opera, sed accidentaliter loquentibus. (Conf. doctrinam numism. in sect. archæol.). Hæc autem omnia ab historicis nostris ita plene cognita apparent, ut rursum testes eos fuisse oculatos, rei suæ maxime attentos, aut diligentissime ab oculatis edoctos omnino demonstrent. ¡Quam facile omnia confunderet popularis scriptor, qui mentionem facere teneretur de ponderibus aut mensuris apud nos in diversis provinciis adhuc vulgo adhibitis, easque per alias mensuras exprimeret! Ast in nostris evangeliis sæpe hoc fit, et absque minimo errore, ut ex paucis exemplis manifestum cuique erit. Juxta *Mischna* mos erat apud judæos adveniente mense Adar, ut in portis civitatis esset, qui tributum acciperet templo ab israelitis quotannis solvendum, dimidium scilicet siclum, duabus drachmis seu didrachmæ æqualem; hocque fiebat non coacte sed spontanea oblatione post invitationem petentium. Hoc autem cum iis quæ apud Matth. (XVII,23-26) leguntur ita consonat, ut ex hac historia desumptum esse videatur; hic siquidem «acceserunt qui *didrachma* accipiebant.... magister vester non solvit tributum?..... et invenies staterem (siclum): da eis pro me et te». Tunc frequentiores erant drachmæ, rariores sicli (qui tamen soli in ærario templi ingredi poterant, ad eosque pro monetis profanis offerendos, mediante lucro unius oboli, erant in templo nummularii, qui proinde usuram accipiebant ab hebræis ipsis contra legis statutum, ob idque omnibus invisi, facile a Jesu templo pulsi sunt; Mat. XXI, 12; Mar. XI, 15); post excidium autem reipublicæ probabiliter de siclis tantum locutus fuisset scriptor non optime edoctus et tributum illud memorans, quod monetis tantum nationalibus erat exsolvendum, ut Mischna tradit.

Etiam in parabolis servatur ratio valoris veri monetarum, ut in

parabola de minis (Luc. XIX, 20...); et item (Mat. XVIII. 13....); ubi minister regis debent ei *decem millia talenta* (nempe enorme debitum ac pene infinitum, ut sunt ea quibus homo erga Deum tenetur, de quibus veniam exposcit), alius vero servus huic ministro obnoxius erat *centum denariis*; quæ relatio scopui C-J maxime confert, ut scilicet homines sibi mutuo debita condonet, parva nempe et contemptibilia, qui tantorum condonationem a Deo postulant et accipiunt. Decem talenta, quinque et unum, de quibus in alia parabola (Mat. XXV, 14-30) sermo est, summa pæcuniæ opportuna et valde sufficiens negotiationi erat.

Majorem attentionem merentur sequentia. Ante templi exscidium romani exigebant loco tributi denarium pro singulis subditis, postea vero duos denarios (primum dicebatur censum, κῆνσον, postremum impositio φόρος); apud Matth. autem (XXII, 17....) an tributum dare liceat Cæsari Christus interrogatus.... «ostendite mihi, ait, numisma census, κήνσου,.... *illi ostenderunt denarium*». Posterior historicus popularis non hæc forte permiscuisset? Idem dicendum de Jo. VI, 7; Mar. XIV, 5 coll. cum evaluatione unguenti a Plinio facta inter 30 et 300 denar.; Math. XX, 1....; ib. X, 29; Luc. XII, 6; Matth. V, 26; Mar. XII, 42). De numismate hebræo, nonnisi cum prætium a sacerdotibus templi Judæ datum nominatur, sermo fit; idque quoniam prætium hoc de templi ærario accipiendum erat, ubi non ingrediebatur extera moneta.—Numismaticæ scientiæ cultor Ackerman asserit J-C allusionem fecisse ad quædam numismata a græcis regibus usitata, quibus ipsi appellabantur *evergetes* (ευεργεται), dum dixit (Luc. XXII, 25): «reges gentium dominantur eorum; et qui potestatem habent super eos *benefici* vocantur». Ex Jo. IV scimus samaritanorum templum super montem fuisse Garizim, et idem archæologus describit numisma quoddam samaritanum, cujus exergo videtur mons sustinens templum; quod quidem numisma posterius J-C est, sed templum synchronum erat, et ejus rudera inventa sunt a D. Saulcy. Alia denique hujus generis plurima suppeditat laudatus Ackerman (*Annales de Phil. Chrét.* t. 39 et 40), demonstrantia publicos eventus in evangeliis narratos, et quandoque minutas circumstantias, reipsa ut ibi narrantur accidisse; quod simul eorum veracitatem evincit atque a testibus synchronis fuisse conscripta.

474. Aliud argumentum validissimum pro genuinitate

nostrorum evangeliorum erui potest ex ipso charactere narrationis, qui auctorem demonstrat rerum quas narrat testem oculatum; tanta est ejus vivacitas, tales inveniuntur minutissimæ adnotationes, tanta in omnibus cohærentia (v. g. in Petri indole, suas qualitates per omnia evangelia semper servante, quod aut excultissimum ingenium, aut testem oculatum postulat, ea quæ ipse vidit palpavitque candide narrantem, conf. n.° 581). Circa authentiam verborum Jesus in Evangelio Matthæi consentientem habemus D. Renan, qui ea quæ Christo hic tribuuntur plane distincta et characteristica asserit, ut pote quæ ipsa se lectori ostedunt in narratione vibrantia. Idem auctor de Marco asserit: in eo inveniri singulares circumstantias nitidas et perspicuas, ab oculato teste procedentes, nihilque difficultatis invenit in assertione Papiæ Petro Apostolo ea tribuentis. Eadem dicere possemus de Luca (conf. ex gr. I, 56; II, 7, 36, 37: III, 1-2; IV, 40; V, 2; VI, 1; VIII, 42....; XIX, 28, 29, 35, 37; XXII, 38, 41, 59, 61....); de Joanne vero etiam a prædicto auctore conceditur, atque verissimum est, v. g. (X, 23) «Et ambulabat J. in templo, *in atrio Salomonis*; (VIII, 20) hæc verba locutus est J. *in gazophilacio* docens in templo; (XIII, 30) cum autem accepisset ille buccellam, exivit continuo. *Erat autem nox*; (XIV, 31) *Surgite*, eamus hinc»; quæ quidem, aliaque hujusmodi sexcenta, una cum præcedentibus invictissimum robur tribuunt argumentis internis, quibus librorum historicorum N. T. authentia demonstratur. Ad hæc omnia accedit ipse character linguæ græcæ, qua scripti sunt, hebraismis undique refertæ, quod nonnisi ex auctorum conditione oriri potuit; quia nempe judæi erant proprio idiomate, non græco utentes in conversatione quotidiana. Hinc, quamvis sequentis sæculi scriptores V. T. libris etiam familiares essent, diversum tamen linguæ græcæ characterem produnt, ut a quolibet sufficienter erudito perspici potest.

475. Quod si paulo latius disputata brevi argumento comprehendere velimus, ita procedimus: Historiæ illæ ac biographiæ, quæ post longum temporis tractum, sive a doctis hominibus (præsertim inter antiquos qui ea quæ nos adjutoria non possidebant), sive potiori jure a popularibus scripta demum sunt; *semper et ubique* aliquibus scatent lapsibus et erroribus circa chronologiam, historiam et rela-

lationes hominum conspicuorum, opiniones, dogmata, mores, constitutionem politicam, geographiam, topographiam, numismata; deficiunt etiam in vividitate colorum quibus horum omnium pictura fit, unde auctores non synchronos, non omnia diligenter assequutos, non sensum illius temporis et loci et adjunctorum omnium obtinuisse, facile constat. Hæc omnia verissime eveniunt in omnibus prorsus historiis a serioribus hominibus compositis; præsertim si popularibus narratiunculis adauctæ sint, quibus unitatem compositionis amittunt, et legendarum characterem induunt. Sed, ex dictis, hæc non inveniuntur in libris N. T. historicis; ergo a viris synchronis, aut ex testibus oculatis veritatem assequutis, absque successivis additionibus popularibus scripti sunt. Atque ita argumenta ipsa interna necessario explodunt tubingensis scholæ opinionem, libros nostros nonnisi post medium sæculum secundum tandem conscriptos fuisse asserentis; sive etiam scholæ goetingensis, D. Renan, Reuss, Reville.... eos ut primi quidem sæculi fetum admittentium, sed nonnisi longa elaboratione et popularibus additionibus; idque viventibus Apostolis!

CAPUT XLVIII.

Argumenta externa: Testimonia auctorum ecclesiasticorum 2i seculi labentis: Patres apostolici: Papias: refellitur hypothesis renanica.

475. Quando et a quo scriptus sit liber aliquis, facti quæstio est, non secus ac cætera historica facta dilucidanda, characteribus nempe ejusdem libri intrinsecis consideratis, ejusque relationibus cum locis, temporibus, personis, rerum adjunctis de quibus in eo mentio fit; sed præcipue testimoniis et monumentis historicis, si quæ sint, originem libri referentibus: ita semper in iis quæstionibus et factum fuit, et fit adhuc in libris historicorum, poëtarum, philosophorum suis auctoribus tribuendis. Nempe, cum antiqui testes opus quoddam litterarium alicui auctori, v. g. Ciceroni vel Tacito tribuunt, ratio postulat, atque nullus refragatur ut tali auctori et non alio tribuatur, donec invenia-

tur aliud argumentum testimonio veterum validius atque illud plane destruens; idque multo magis, si vetus traditio universalis sit, et librorum origini proxima. Jam vero circa libros nostros et vetustissima traditio, et universalis est, et iis proprietatibus prædita, ut qui eam non admittat, pyrrhonismo historico laborare necessario debeat. Testis enim est hujus traditionis 1.° ipsa Ecclesia, iis libris, ut solidissimis fundamentis, nixa; 2.° hæretici, quibus horum librorum genuinitatem inficiari maxime intererat; 3.° demum ipsi pagani. Cum hodierni evangeliorum hostes ea jam circa medium sæculum secundum elaborata demum fuisse concedant et tueantur, superfluum erit posteriora monumenta affere pro nostra sententia stabilienda. Unum tamen adnotare juvat: Patres 2i sæculi labentis ita de evangeliis loqui, ut ea publica, ab omnibus cognita, per universam Ecclesiam propagata, divina, atque demum in exteras linguas jam versa supponant; quod quidem longum temporis spatium postulat, ac nonnisi sæculo 1.° ea originem habuisse animo præjudiciis vacuo plane ostendit. Isti namque PP. sunt in Gallia Irenæus, Romæ canon muratorianus, in Africa Tertullianus, Alexandriæ Clemens et eruditissimus Origenes, Antiochiæ Theophilus, quorum testimonia partim superius dedimus atque adversariis nostris nota sunt, et ut authentica habentur. Cum vero et a Tertulliano cæterisque PP. africanis, et ab interprete latino Irenæi versio itala constanter in usum adhibita sit; ea iis anterior, ideoque ante dimidium sæculum secundum facta sit oportet (conf. (n.° 217...). Idem dicas de versione syriaca (conf. n.° 229) ut a plerisque eruditis nunc conceditur. ¿Qui ergo fieri potuit ut per universas ecclesias eadem omnino admitterentur evangelia, nec plura nec pauciora, iisdemque auctoribus tribuerentur quibus et nos tribuimus, atque jam ante medium sæculum secundum et latine et syriace verterentur, adhiberenturque ab episcopis et universis ecclesiasticis scriptoribus in suis lucubrationibus et scriptis polemicis adversus hæreticos sui temporis, ac demum in usu quotidiano essent in christiana liturgia, ubi eadem aut majori veneratione legebantur quam libri V. T., nisi publicum, vulgare, ab omnibus admissum fuisset, nullo prorsus in re tam gravi reclamante, hos libros Apostolorum esse fetus, aut ab ipsis probatos, jam post longum

tempus, ideoque ab ipso Apostolorum sæculo? Igitur ii testes christianæ traditionis non tantum pro suo tempore authentiam evangeliorum tuentur, sed etiam pro toto sæculo 2.°, ac proinde suis testimoniis innixi jure ad sæculum primum, tempora scilicet Apostolorum ac primam evangeliorum originem assurgere jure possumus et debemus. Hoc autem plenissimam confirmationem accipit a patribus apostolicis.

476. Sunt autem Patres apostolici qui Apostolos ipsos audierunt, ab illisque doctrinam suam didicerunt, ut pote sæculo 1.° nati; ac postea aut sermones factaque J-C in evangeliis non scripta colligere sategerunt, ut Papias hieropolitanus; vel christianorum apologias ediderunt, imperatoribus romanis et paganis judicibus præsentandas, ut Justinus martyr aliique; vel demum epistolas scripserunt ad particulares ecclesias aut ad amicos, ut Ignatius, Polycarpus, Clemens romanus, Barnabas; quibus accedunt opera nonnulla apocrypha antiquissima, ex quibus existentia evangeliorum prior recte colligitur. Atque ex horum operum natura, nec multæ, nec plenissima luce determinatæ exspectandæ erant evangeliorum citationes, cum scopus auctoribus non fuerit eorum commentaria edere, aut longa disputatione doctrinam J-C tueri adversus eos qui citationibus evangeliorum redargui poterant. Ita tamen de eis loquuntur, aut saltem suis allusionibus et phrasibus ab iisdem petitis evangeliorum existentiam demonstrant, ut moralem certitudinem non præoccupatis animis ingerant.

477. Papias, Apostolorum discipulus juxta Irenæum, qui eum vocat *virum antiquum* (ἀρχαῖος ἀνὴρ), librum scripsit cui titulus: Expositio oraculorum Domini (Λογίων κυριακῶν ἐξήγησις), quo ea omnia comprehendere voluit quæ ab antiquis audierat, quorum fuit studiosissimus, circa personam et doctrinam Domini ac Apostolorum. In hujus libri prologo ab Eusebio partim servato (H. E. III, 39) se non asserit quidem Apostolorum auditorem, verum hoc non inficiatur, sed nimium se sollicitum ostendit ab apostolorum discipulis audiendi «quid Petrus, quid Andreas, quid Joannes... quid cæteri discipuli Domini dicere soliti fuissent; *quidnam Aristion et presbyter Joannes dicunt*». Quo ex loco nullus jure deducere posset Papiam neminem Apostolorum unquam vidisse, præsertim cum valde senex

ipse martyrium subierit circa annum 165, unde optime potuit Apostolum Joannem Ephesi videre adhuc juvenis, atque etiam post ejus mortem illam sollicitudinem adhibere cujus ipse meminit. Saltem ab immediatis Apostolorum discipulis quæ ad eos pertinebant, mira aviditate hauriebat, ac ex ore *presbyteri Joannis* acceptum hoc testimonium nobis transmisit, etiam ab Eusebio conservatum: «Aiebat etiam presbyter ille Marcum Petri interpretem, quæcumque memoriæ mandaverat diligenter perscripsisse: non tamen ordine (οὐ μέντοι τάξει) pertexuisse quæ a Domino aut dicta aut gesta fuerant (λεχθέντα ἢ πραχθέντα). Neque enim ipse Dominum audiverat aut sectatus fuerat unquam. Sed cum Petro, ut dixi, postea versatus fuit, qui pro audientium utilitate, *non vero ut sermonum Domini historiam contexeret*, evangelium prædicabat. Quocirca nihil peccavit Marcus, *qui nonnulla ita scripsit*, prout ipse memoria repetebat. Id quippe unum studebat, ut ne quid eorum quæ audierat prætermitteret, *aut ne quid falsi* eis affingeret». Hæc de Marco Papias narrat. De Matthæo vero sic habet: «Matthæus quidem hebraico sermone divina scripsit oracula (λόγια): interpretatus est autem unusquisque illa prout potuit». Additque Eusebius Papiam testimonia ex 1.ª Petri et 1.ª Joannis desumere. Igitur Papias ab assiduo Apostolorum discipulo audivit Matthæum et Marcum sua evangelia conscripsisse.

478. Atque hoc est celeberrimum testimonium quo D. Rénan post multos alios totam suam molem construxit circa horum evangeliorum originem. Supponit namque, Matthæum nonnisi adnotationes et compendia *dictorum Domini*, sermonum nempe, parabolarum, et sententiarum scripsisse, postea vero additam fuisse factorum narrationem quibus nunc constat; idque a popularibus hominibus et pauperibus, qui uno suo volumine omnia legere volebant, quæ de C.-J. veneranda et mirabilia audierant, atque ita demum formam historicam accepisse. De Marco autem ait adnotationes quasdam biographicas de gestis Domini scripsisse, quas posterior manus sermonibus et doctrinis J. miscuit, atque ut nunc est reliquit. Primæ hypothesis unicum argumentum est vox *oracula*, λόγια, quasi nempe hoc loco stricte accipienda foret pro *sermonibus*, *parabolis*, *doctrinis*, non vero generatim pro iis omnibus quæ ad Christum referuntur, sive dictis sive factis. Cum igitur nullam omnino aliam rationem exhibeat, quam vim grammaticalem vocis, satis sit lexica consulere, ubi proculdubio utramque signifi-

cationem habet. Et locus hic hunc latiorem sensum exigit, cum inverosimile omnino sit sola dicta Christi a Matthæo fuisse conscripta, quæ tantam habent connexionem cum vita et operibus ejus, ut vix sejungere ea posset scriptor C-J addictissimus, suis sermonibus et operibus præcipuæ attentissimus, quibus præsertim operibus discipuli et turbæ Jesum sequuti sunt; eo vel magis quod, ut jam fuit adnotatum, evangelia non sint nisi prædicatio Apostolorum scripta, qui sane non tantum doctrinæ sed præcipue factorum mirabilium J-C se testes in prædicatione exhibebant, quibus totam doctrinæ veritatem et salutis spem nixam esse contendebant. Accedit frequentissimus usus vocis λόγια, lato sensu pro *rebus* præsertim *divinis*, ut etiam nunc omnes scripturas vocare consuevimus *divina oracula*, Spiritus Sancti *oracula*, et in scriptoribus ecclesiasticis et ipso Papia hic sensus usitatissimus est. Nam Papias suum librum vocavit *oraculorum Domini expositionem*, quamvis profecto non de solis sermonibus Christi loqueretur, et multa facta referret, ut textus citati et historia miraculorum Apostoli Philippi ejusque filiarum demonstrant. Et evangelium Marci complectebatur quæ a Domino *dicta* et *facta* fuerant; et tamen evangelistam excusat defectus completæ historiæ et ordinatæ, eo quod Petrus non ita predicabat, ut *sermonum* (λογίων) Domini historiam contexeret. Similis usus vocis λόγια apud scriptores sacros et ecclesiasticos (probabiliter ex usu biblico vocis hebraicæ *dabar*, דבר) videri potest: Hebr. V, 12; Act. XV, 6; Rom. III, 1, 2 (pro universa scriptura); Justinum (dial. cum Triph. 18, et epist. ad Zenan et Serenum; ubi pro *evangelio* hac voce utitur); Clem. Alex. (*Strom.* VII, 18); Irenæum (*adv. hær.* proœmio, 1 et 8); Origenem (*in Matth.* tomo 2.°, initio); Eusebium sæpe; Focium (*bibliot.* cod. 228), et alibi. Ruit proinde totum fundamentum hypothesis adversariorum, nullaque ratio remanet apertam, et vulgatam, et universalem, et perantiquam traditionem deserendi; ex ipsa connexione intima oraculorum factorumque C-J in hoc evangelio facile observanda confirmatam (cum impossibile prorsus sit alia ab aliis sejungere, aut loca addita notare); ipsa demum rei, de qua agitur, natura.

479. Nec firmior est hypothesis adversariorum circa evangelium Marci ex verbis Papiæ deducta, in vocabulo «*non tamen ordine*» fundata. Quibus nihil aliud Papias intendit, quam exponere cur Marcus non *totam* dictorum operumque Christi *historiam* ordine texerat; sed multa prætermiserat, *aliqua* non ordine chronologico scripserat; quoniam scilicet Petrus hunc scopum non persequebatur in sua prædicatione, Marcus autem tantum veluti specimen istius prædicationis rogatu romanorum dare constituit, ut non solum Papias, sed Irenæus et

Clemens Alex. testantur, per se etiam verosimile valde est, et ex intima evangelii natura evincitur, ut partim ipse Renanus concedit. Nullus sibi fingere potest Marcum voluisse meras adnotationes biographicas absque ullo ordine et connexione scriptis mandare, cum facta Christi ab ejus doctrina sejungi nequeant, nullum aut fere nullum ex hac nuda et inordinata collectione fructum colligere sperare posset, nullum demum sit vestigium additionum partis doctrinalis, quæ brevior in hoc evangelio est, et celerrimæ et vividæ factorum narrationi optime cohæret. Non igitur erat in Papia, vel potius in presbytero Joanne, propositum excusandi Marcum ob nimis inordinatam narrationem, sed potius commendandi propter strictam veritatem, rationemque reddendi defectus ordinis plene chronologici *in nonnullis*, ac simul multarum rerum quæ in *schola ephesina*, ut ait adversarius, cognoscebantur. Non quod Petrus hæc ignoraret, sed quoniam conditionibus audientium suam prædicationem accommodabat, quam Marcus descripsit; cum vero postea ea, quæ apud Joannem leguntur, opportunissima fuissent, ideo *schola ephesina* optime credere poterat *se melius quiddam*, pro præsentibus rerum adjunctis, edere posse. Igitur Papiæ testimonium evangeliorum nostrorum Matthæi et Marci originem detegit, ab ipsis familiaribus Apostolorum haustam, nullumque jus tribuit ea ut plena additionibus et interpolationibus habendi; eo vel magis, quod testimonium istud præsbyteri Joannis anno centesimo posterius esse debuit, circa quod tempus evangelia synoptica, immo omnia, *actualem formam fere jam habuisse* concedit ipse Renan, rationum criticarum multitudine et pondere victus.

480. Quoniam vero evangeliorum genuinitatis adversarii non solum ex eo, quod Papias narrat, argumenta congerunt, verum etiam ex ejus silentio; operæ prætium erit hæc etiam ponderare. Nempe Papias de 3.° et 4.° evangelio mentionem non facit, atque hinc quidam evincere conantur ipsum non cognovisse evangelium Joannis. Ad hæc reponimus 1.° evangelium Lucæ ut authenticum admittitur a plerisque, cum D. Renan, et tamen Papias nihil de eo loquitur; 2.° paucissima fragmenta remanent operis Papiæ apud Eusebium, scire ergo non possumus an de hoc evangelio mentionem fecerit necne; 3.° falsum est Eusebium omnia collegisse in vetustis scriptoribus quæ ad libros N. T. pertinebant; etenim ex testimonio Andreæ Cæsariensis (6.ⁱ sec) Papias loquebatur etiam de Apocalypsi, quod Eusebius non dicit; quemadmodum de Polycarpo solum memorat ipsum primam Petri ep. cognoscere, cum tamen plurimæ citationes epistolarum Pauli apud ipsum inveniantur, nec demum ait Theophilum evangelium Joannis nominatim designarare, sed tantum Apocalypsim, cum tamen verum illud

sit; 4.° ipse Papiæ scopus non multo conveniebat notitiis de libris canonicis evulgandis, præsertim recentioribus; 5.° demum, ut cætera omittam, 1.æ, epist. Joannis mentionem facit, atque juxta mss. vaticanum cui D. Aberle singularem navavit operam, Papias non solum in suis quinque libris *Expositionis oraculorum Domini* 4.i evangelii mentionem fecit, sed ipse adhuc juvenis *descripsit evangelium dictante Joanne recte.* (Istud vero mss. e græco translatum, vetustissimum est, ejusque typus anterior esse debuit tempore quo argumenta evangeliorum Hieronymi communiter adhiberi coeperunt, nempe post sæculum 5.um. In biblioth. vaticana ita designatur: Alex. 10 et 14).

CAPUT XLIX.

Justinus: utrum evangelia apochrypha allegaverit: Ignatius: Polycarpus: Clemens romanus: epistola Barnabæ: publicus Eclesiæ usus: testimonia ex evangeliis et actis apocryphis deducta.

481. Etsi martyr Justinus ab ipsis Apostolis edoctus non fuerit, tamen ejus auctoritas a nobis urgenda est, eo quod illis proximus exstitit (ex philosopho christianus factus est circa annum 132), et ita evangeliis utitur, ut jam universim et cognita, et plena auctoritate gaudentia, et in unum collecta supponat *sanctum quaternionem*, quemadmodum ea Irenæus appellat, tum in suis *Apologiis* (annis 148 et 161?), tum in *Dialogo cum Tryphone.* Hæc opera apologetica ethnicis disposita minus apta erant evangeliis nominandis, ea tamen ita nominat et ad ipsa alludit, ut ipse de Wete pluribus id ostendat. Nam ea quidem dicit Apostolorum *memorias* (ἀπομνημονεύματα), sed satis se explicat dum alio loco addit *quæ dicuntur evangelia;* sane vocabulo indigebat quod a romanis ethnicis intelligi posset. Simili modo non evangelistarum nomina dat, romanis imperatoribus incognita, sed ea adducit loca quæ quatuor evangelia nostra præ oculis habuisse demonstrant; et duas saltem scriptorum classes nominat, *Apostolorum* et *discipulorum*, in dialogo cum Triphone. Ad Lucam alludit cum de sudore sanguineo loquitur; ad Marcum cum de nominis mutatione filio-

rum Zebedæi mentionem facit, atque Simonis Petri. Insuper de annuntiatione B. V. Mariæ loquitur, de nativitate J-C bethlemitica ob recensionem Cyrini, de magis, de fuga in Ægyptum, &c. Verum quidem est Justinum sæpe textus ex evangeliis libere excerpere, nullam enim necessitatem et fere nullam utilitatem habebat verba ipsa sumendi, sed sensum verborum tantum; quod et aliis scriptoribus innumeris et nobis ipsis frequentissime accidit, qui facilius libros nostros consulere possumus; sed loca allegata ita cum evangeliis congruunt, ut uno tantum vocabulo synonimo discrepent (ut οὐχὶ pro οὐ Matth. VII, 21 coll. *Apol.* I, 16; αὐτῇ pro αὐτοῖς *Dial.* 107 coll. Matth. XII, 39), aut perfecte identica sint (*Dial. c. Triph.* 76 coll. Mat. VIII, 11-12; *ib.* 105 coll. Matth. V, 20; *Apol.* I, 16 coll. Matth. VII, 19), aut denique ita in sensu concordent, ut certum sit ex evangeliis nostris plurima loca allegari. Et quod plus est remque penitus evincit, dum Justinus loca V. T. adducit, ea juxta versionem alexandrinam citat; cum vero textus Matthæi repetit ejusdem V. T. loca adducentes, versione hujus evangelii propria utitur, ut adnotat idem de Wette.

Liberas Justini verborum evangeliorum citationes non ex *minori erga ea reverentia* procedere exinde patet, quod et alii PP. de more id ipsum faciant (nominatim Cyprianus), quod etiam eodem modo V. T. alleget, quod demum asserat utrarumque Scripturarum lectionem partem esse cultus religiosi christianorum; unde etiam manifestum fit evangelia *auctoritatem divinam* sua ætate jam obtinuisse, ideoque *publicum* et, ut ita dicam, *officialem* usum habuisse, quod nostram thesim summopere corroborat. Objicitur etiam quædam loca apud Justinum legi, quæ in nostris evangeliis non inveniuntur, aut ita amplificata, ut ex alio fonte orta esse videatur, ut sequentia (Dial. 47): «In iis quibus vos convicero, in ipsis judicabo»; item narratio baptismatis J-C, ubi loquitur de igne in Jordane incenso, et voce dicente «Filius meus es tu, ego hodie genui te»; demum ubi scribit Christum *aratra fecisse*, in *spelunca natum* fuisse, aliaque ejusmodi. Sed hæc aut lectiones variantes erant textus quo Justinus utebatur, cum et alii Patres (Clemens alex., Lactantius...) aliqua etiam adducant, aut ex traditione adhuc recenti ea sumpsit (vera aut falsa); nam hæc quæ in evangeliis non leguntur, nec a Justino ut ex illis deprompta allegantur. Unde necessarium non est ad evangelium nazaræorum confugere tamquam a Justino allegatum, etiam si in eo quædam ex iis narrationibus inveniantur; nam tractu temporis satis dein vitia-

tum fuisse constat additionibus probabiliter ex eadem traditione depromptis, præsertim cum status separationis nazaræorum et ebionitarum ceterorum evangeliorum notitiam aut saltem acceptionem ipsis impedierit. Et sane ex Justino, *memoriæ Apostolorum* quæ dicuntur *evangelia*, scriptaque fuerunt ab *Apostolis* eorumque *discipulis*, legebantur in ecclesiis una cum scripturis V. T.; ergo *in collectione jam erant* et *æqualem venerationem obtinebant*, quod de evangelio *nazaræorum*, seu *secundum hebræos*, aut *duodecim Apostolorum*, nullibi locum habuit. Quod denique omnem prorsus dubitationem excludit circa evangelia a Justino admissa et laudata, est agendi ratio Tatiani, discipuli sui, qui evangelium Joannis sæpe allegat, et suam *harmoniam* composuit, cui nomen *diatessaron*, id est, *secundum quatuor* evangelia, quod opus incipiebat illis verbis (Jo. I, 1) «In principio erat Verbum»...

482. Ignatius antiochenus, Apostolorum discipulus, plures epistolas scripsit, dum Romam ad martyrium ducebatur (107—115), quarum aliquæ saltem omni certitudine gaudent. In illis, et quidem in textu breviori ab omnibus criticis admisso, ad evangelium Joannis manifeste alludit, Matthæique ipsamet verba allegat ita: «Non appeto nutrimentum corruptibile, aut hujus vitæ oblectamenta; sed desidero *panem Dei*, *panem coelestem*, *panem vitæ*, *qui est caro* J-C Filii Dei, qui in fine natus est ex sanguine David et Abraham, cupio *potum divinum*, *ejus sanguinem*, qui est charitas incorruptibilis et vita sine termino». (Ep. ad Rom. coll. Jo. VI, 41-48 et 51-64). In eadem epistola ait: «Quoniam quid proderit homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ noceat?» (Conf. Matth. XVI, 26). Ad Smyrnenses vero ait Jesum a Joanne baptizatum fuisse ut *omnis justitia in eo adimpleretur* (conf. Matth. III, 15). Et in eadem epistola et alibi loquitur de *Evangelio* et *Apostolis* sicut de *Lege* et *Prophetis*; quod evangelia scripta et in unum volumen collecta jam apud christianos versari probat. Proinde jam inscriptiones singulis appositas, ut inter se distinguerentur, admodum probabile est, quæ aliud argumentum sunt, quo valide marcionitas conficiebat Tertullianus.

483. Simili modo Polycarpus Apostoli Joannis discipulus, in epistola ad Philippenses, parva quidem et paulo post mortem Ignatii scripta, hæc ait: «Deum, qui omnia videt, precari volumus ut non nos in tentationem inducat;

nam Dominus dixit, *spiritus promptus est, caro autem infirma*». (Conf. Matth. VI, 13 et XXVI, 41). Et Joannis primam epistolam allegatam invenimus a Polycarpo iis verbis: «Quicumque non confitetur Jesum Christum in carne venisse, antichristus est». (Conf. 1 Jo. IV, 3). Cum autem hæc cum evangelio ita sit connexa, ut unum eumdemque auctorem necessario postulet, patet quantum ponderis habeat hæc illius allegatio ad ostendendum jam circa annum 115 evangelium Joannis fuisse conscriptum. Sed modo indirecto auctoritatem Polycarpi allegare ita possumus. Irenæus plusquam 60 citationes evangelii Joannis facit contra sui temporis hæreticos, evangelia ordine enumerat, circumstantias tradit originis eorum, magna demum vi ostendere nititur nec plura nec pauciora esse posse quam quatuor, *sanctum illum quaternionem*, scilicet, quia quatuor sunt mundi partes, et quatuor capita Seraphim, et quatuor columnæ ecclesiastici ædificii. Moraliter vero impossibile est ita eum se gessisse si a Polycarpo nihil de evangelio Joannis audivisset, quod supposititicium habere debuit, minimeque ei tam firmiter adhærere; præsertim quando hoc evangelio valentiniani misere abutebantur. De Polycarpo enim ipse ea narrat quæ maximum amorem et familiaritatem utriusque commendant; eum memoria repetiisse ait Apostolorum sermones, *omniaque verba sua cum Scriptura concordasse* affirmat. Si igitur Polycarpus Irenæo de evangelio Joannis nihil enarravit, quomodo non spurium opus rejiciendumque illud judicavit, sed potius ut divinum veneratus est?

484. Clemens romanus B. Petri discipulus et in episcopatu successor, duas scripsit ad Corinthios epistolas ad unitatem et pacem hortatorias, quarum genuinitas in dubium revocari nequit et ab omnibus nunc, saltem quoad primam, admittitur. Argumentum illarum et epocha qua scriptæ sunt, quando nempe adhuc in vivis erant aliqui Apostoli, minimam occasionem suppeditabant testimonia evangeliorum scripta laudandi; et potius epistolas Pauli de eodem aut simili argumento in orationis vim et hortationis efficaciam adducere pronum erat. Hinc factum est ut epistolas ad Corinthios et ad Hebræos laudaret certissime quidem, evangelia nonnisi semel aut bis, sed non dubiis allusionibus (conf. Luc. V, 32 cum Clem. ep. 2.ª ad Cor., II et

Joan. III, 16 cum Clem. ep. 1.ª ad Cor. XLIX). Cum vero epistolæ paulinæ evangelia confirment, idem exurgit argumentum.

485. Perspicuum vero et numeris omnibus absolutum ad rem nostram est quod in epistola Barnabæ legitur; quæ, quamvis daremus genuinum non esse Barnabæ opus, antiquissima tamen est, et ab ecclesiis priorum sæculorum eadem pene veneratione habita, qua evangelia et scripturæ omnes canonicæ, id est, ut divinitus inspirata et in unum corpus cum libris N. T. collecta. Licet vero liberiores critici eam ad annum 110—120 relegarint; nunc autem post *bibliæ sinaitæ* a D. Tischendorf inventionem, ubi epistola hæc continetur, ut saltem decem annorum spatio sæculum 2.um præcedentem eam judicat ipse Weizsæcker, genuinitatis evangeliorum hostis. In ea autem non solum evangeliorum textus inveniuntur, sed ea formula «*sicut scriptum est*» laudantur, qua scripturæ V. T. a C—J et Apostolis, V. simul et N. T. libri a Patribus et ecclesiasticis scriptoribus laudari consueverunt. Unde certum est hic laudari evangelium Matthæi, non solum ut jam existens, sed etiam ut canonicam auctoritatem habens, et ut tale a lectoribus admissum. Textus epistolæ talis est: «caveamus ne etiam nos inveniamur, *sicut scriptum est*, multi vocati, pauci vero electi» (cap. IV, conf. Matth. XXII, 14). Item adducuntur verba Mat. IX, 15 et probabiliter alluditur ad Jo. III, 14, ubi sermo est de æneo serpente ut Servatoris nostri typo, quod impossibile esse iis tantum videri potest, qui hoc evangelium nonnisi anno 98 scriptum esse censent, quod minus probabile judicamus. Quod si ita res esset, ex traditione adhuc vivente hæc analogia assumpta fuisset; quod saltem characterem historicum evangelii Joannis non parum confirmaret.

Ad argumenti vim eludendam, quod ex formula «*sicut scriptum est*» eruitur, duplex via ab adversariis ambulatur: 1.° illam esse genuinam lectionem epistolæ græcæ inficiabantur, eo quod 5 priora capita latine tantum manebant; nunc vero cum in textu græco sinaitico integra reperta sit, nullum amplius locum habet difficultas: 2.° asserunt non evangelium Matthæi sed librum 4.um Esdræ apocryphum alludi, qui ait «*multos esse creatos sed paucos salvatos*»; quæ verba cum non sint identica verbis Matthæi et epistolæ nostræ, nec eumdem plane sensum habeant, nec probari ab aliquo possit librum Esdræ hac formu-

la laudari potuisse: *sicut scriptum est*, quod ipsum ut canonicum habitum fuisse passim demonstraret; patet nonnisi ab homine jam *a priori* determinato ad hanc evangelii citationem infirmandam hujusmodi argumentum afferri potuisse. Igitur, si non Barnabas ipse, alius antiquissimus scriptor et Apostolorum coævus ante 2.um sæculum evangelium saltem Matthæi allegat; et eo quidem modo, ut in collectione cum cæteris existens verosimiliter jam supponatur (præsertim si sit vera allegatio, Jo. III, 14), et certe ut ab omnibus cognitum et canonicam auctoritatem habens. Quod synchronum testimonium nulla tergiversatione infirmari potest.

486. Iis patrum apostolicorum testimoniis accedit publicus Ecclesiæ usus evangeliorum, ut jam aliquoties indicatum fuit, in sacra liturgia, et a doctoribus christianis in suis operibus dogmaticis, apologeticis, catecheticis, polemicis adhibentur, præsertim adverssus antiquissimos hæreticos; quæ omnia et scripta, et cognita, et in unum collecta, et ut unum evangelium canonicum laudata, et ut divinum opus habita fuisse evincunt; quod partim ex dictis partim ex dicendis manifestum fiet, demonstraturque a D. Tischendorf, qui suis laboribus criticis circa literaturam ecclesiasticam totius secundi sæculi, hoc invenit. Nempe aliquando evangelium Matthæi prius scriptum in antiquissimis codicibus est quam cætera; aliquando Lucas, aut etiam Joannes. Idem dicas de allegationibus Patrum (quin de *harmoniis* Tatiani et Theophili antiocheni loquamur), qui sæpe generatim *evangelium* laudantes, e quolibet eorum verba desumunt. Et ex comparatione textus sinaitici cum citationibus PP. et versionibus syriaca et latina constat jam dimidio sæc. 2.° N. T. textum *fixum* fuisse; quod multo anteriorem existentiam demonstrat. Quæ omnia laudatum et eruditissimum sane et optimum criticum Tischendorf (quamvis, ut protestans, minus sit rationalistis invisus) eo perduxerunt, ut collectionem evangeliorum jam in fine sæculi primi factam et canonica auctoritate præditam admittat, quin contra suam opinionem argumenta aliqua invenerit quidquam ponderis habentia.

487. Opera apocrypha priorum sæculorum authentiam et characterem vere historicum nostrorum evangeliorum duplici via demonstrat. Prima est ipsa comparatio utrorumque. Apocrypha enim, ut pote ad quasdam sententias arbitrarie tuendas, aut mancam evangeliorum historiam implendam,

aut minutissimas vitæ Jesu, Mariæ, Josephi circumstantias enarrandas, ut pietati fidelium satisfieret, aut denique pro utilitate sectarum conscripta; ab Ecclesia rejecta sunt, etsi, nondum re cognita, a particularibus quibusdam pro tempore admitterentur; et omnibus difficultatibus et lapsibus laborant historiæ non authenticæ; et characterem legendarium plane exhibent, facillime a quopiam discernendum in suis amplificationibus, et incredibilibus miraculis absque causa et ratione patratis, et futilibus aliis indignisque narrationibus, quibus scatent; dum doctrinis carent, aut nonnisi paucissimas memorant a traditione facile haustas, aut in utilitatem sectarum inventas, quæ, dum in eis sunt, evangelicæ doctrinæ opponuntur et hæreticorum figmenta tuentur. Nullum igitur ex argumentis quæ pro evangeliis nostris invictissime militant, evangelia et opera apocrypha defendunt, quæ sua existentia (quæ nostrorum historiam ubique supponit) et internis characteribus, a veris evangeliis aperte discriminantur.

Altera via nostrorum evangeliorum existentiam antiquissimam apochrypha demonstrant, allegationibus nempe eorum tacitis, quæ inveniuntur præsertim in *Actis Pilati* a Justino martyre et Tertulliano laudatis, et in *Evangelio Jacobi*, a Justino pariter adhibito, nisi velimus (quod plerisque jure placet) ea quæ in utroque inveniuntur, ex adhuc recenti traditione descendere. Quidquid de hoc evangelio sit, saltem *acta Pilati* indubitanter antiquissima sunt (eorum mss. græcum aliudque latinum in palimpsestis sæculi 5.[i] Tischendorf invenit), suntque dimidio saeculo secundo antiquiora, ut pote a Justino laudata in prima sua Apologia; eaque non solum evangeliorum synopticorum, sed etiam quarti existentiam jam supponunt, cum in omnibus quidem narratio passionis, sed tantum in Joanne mentio actuum judicialium, quæ in illis continentur, fundata esse posset. Igitur ecclesiastica litteratura genuina et apocrypha genuinitatem evangeliorum miro consortio et invicte demonstrat.

CAPUT L.

Documenta ex hæreticis deducta: nazaræi et ebionitæ: Tatianus: Theodotus: Marcion: Ptolomæus et Heracleon: Valentinus: Naaseniorum et Peratarum sectæ: Basilides: pondus hujus argumenti.

488. Hæreticorum testimonium pro genuina origine apostolica evangeliorum, eam prorsus evincit. Ipsi namque ea admittunt et laudant cum ex illis redarguuntur et jugulantur, ideoque maxime illi profecissent, si falsam aut charactere historico destitutam evangeliorum originem invenire potuissent, ut ita se ab adversariorum telis tuerentur. Advertendum est item pauca admodum hæreticorum priorum scripta manere: quædam nempe fragmenta a PP. in suis controversiis servata; ex quibus tamen plures confessiones, allegationes et interpretationes evangeliorum inveniuntur, ad thesim nostram evicendam sufficientissimæ. Nec silentio prætereundum quosdam illorum evangelia quædam et apostolorum scripta repudiasse, non quia apocrypha, sed quatenus ab Apostolis procedentia, hominibus nempe crassi ingenii, qui C-J doctrinam non bene intellexerant, ut quosdam horum hæreticorum S. Irenæus redarguit (a). Demum hæretici allegandi, aut ante dimidium

(a) Nazaræi solo evangelio Matthæi utebantur, sed integro; ebionitæ eodem sed absque genealogia; plures gnostici systema accommodationis, sæculo 18° resuscitatum, in pluribus a Christo et Apostolis servatum fuisse invenerunt, non autem ad explicanda miracula evangelica, quæ ipsi admittebant; Marcion et Cerdon solo evangelio Lucæ mutilo usi sunt; manichæi interpolata asserebant evangelia in iis quæ sibi erant contraria, nempe dum V. T. a Deo datum aliaque similia docent. Ita ex variis Patrum testimoniis colligitur; sed proprie dictam *genuinitatem* nulli, nisi forte obscuriores alogi, inficiati sunt, præsertim circa evangelium Joannis; sed nullo *facto* aut *testimonio* ducti, nullaque *ratione critica*, ut fatetur candide Mich. Nicolas iis verbis (v. Revue germanique): «Les raisons par lesquelles les Aloges la combattirent, fort bonnes pour nous apprendre qu' on appréciait différemment, au millieu du second siècle, le caractère de l' enseignement

sæculum secundum scripserunt, aut tunc saltem doctrinam suam et systemata didicerunt et elaborarunt, quæ dein eodem saeculo procedente prædicaverunt et scriptis consignarunt. Quæ omnia necessario demonstrant N. T. libros, quibus ipsi nituntur, quorum testimoniis sua systemata tueri conantur, adversus quæ se defendere coguntur vel tortuosis interpretationibus, vel interpolationibus, vel demum accusationibus adversus Apostolos eorum auctores, jam suo tempore plenam et omnigenam et universalem auctoritatem in universa Ecclesia obtinuisse; ideoque saeculi primi opus esse, et eorum scriptorum quibus tribuebantur et etiamnunc tribuuntur. «Tanta enim est evangeliorum nostrorum firmitas, inquiebat Irenæus, ut vel hæretici ipsi pro illis testimonium reddant». (Conf. n.° 495).

489. Compertum omnibus est nazaræos et ebionitas, quorum multi forte non erant christiani, evangelio Matthæi usos fuisse, integro quidem origine, postea vero additionibus nonnullis interpolatum. Cætera evangelia parvipendebant, ac præcipue scripta omnia immediate vel mediate a Paulo procedentia, quem *apostatam legis* vocabant. Nimirum non genuinam harum scripturarum originem, sed fidelitatem apostolorum et eorum perspicatiam in doctrina Christi adipiscenda et exponenda improbabant, ex ipsorum præjudicio pro necessitate judaicæ legis observandæ, quod horum librorum doctrinis contrarium erat; quamvis solo primo evangelio redargüi possent, ut observat S. Irenæus.

490. Tatianus, Justini discipulus, in pluribus locis a Clemente alex. servatis et evangeliorum et plurium epistolarum Pauli mentionem facit, ex iisque pro re sua testimonia sumit; quod vero caput est, quatuor evangelia in

de cet Evangile, n' ont pas la moindre valeur, quand il s' agit de l' authenticité de ce livre. Elles ne s' appuient en effet sur aucun fait historique, elles ne sont que l' expression des sentiments subjectives des hommes de ce parti et le résultat de ce raisonement *a priori:* ce livre porte l' empreinte du gnosticisme, un apôtre ne peut pas avoir été gnostique, donc ce libre n' est pas de l' apôtre Jean». Optime; sed numquid diversam methodum adhibent scholæ omnes rationalisticæ, ipseque Nicolas, in S. Bibliis dijudicandis? «Miracula et revelatio supernaturalis vera esse nequeunt; sed passim in Bibliis apparent, ergo hæc authentica non sunt, sed mythica, legendaria, &c.» En universale horum sapientum principium!

unum compilavit, quod *Diatessaron*, id est, *ex quatuor*, vel *secundum quatuor*, ab eo appellatum est; quodque initium sumebat a primis 4i evangelii verbis: «In principio erat Verbum...» ut ex Ephremi syri super hunc librum commentario cognoscimus. Theodoretus testatur se hujus Tatiani libri plusquam ducenta exemplaria in sua dioecesi collegisse, quæ magnam etiam in ecclesiis catholicis auctoritatem obtinebant, atque ex illis defuisse genealogias J-C et ea omnia quæ ejus originem davidicam ostendebant, quæque ille pro sua causa in compilatione suppresserat.

491. Theodotus etiam Valentini synchronus scripta N. T. noverat et in usum adhibuerat, prout ex parvo scripto inter opera Clementis alex. servato constat. Scriptum hoc est collectio quædam sententiarum *ex Theodoti contra Valentinum scriptis* ab incognito gnostico scholæ Theodoti facta, quæ loca laudat ex epistola ad Tim., 1a Cor. cum indicatione nominis Pauli, sicut et Petri in citatione 1æ ejus epistolæ, una cum epist. ad Gal., Ephes., Philipp., Colos., Romanos, &c., pluribusque evangeliorum locis. Hæc laudantur ut plurimum libere, vel solis allusionibus, sed indubiis, ad Matth., Luc. et Joannem; conversatio Christi cum bestiis in deserto, quæ tantum apud Marcum invenitur, hic ocurrit; semel laudat nominatim Matthæum et Joannem, evangelium vero Lucæ hac formula; *Apostolus ait.* Id ipsum constat ex locis ab Epiphanio Salaminensi servatis.

492. Marcion circa annum 140—150 scripturas N. T. aut rejecit aut corrupit ut suum systema de duplici Deo et rejectione Legis, tamquam a Demiurgo latæ, tueretur; non quidem quatenus spuria opera, sed quatenus ab Apostolis scripta, qui judaismum cum christianismo juxta ipsum miscuerant, et Christum non bene intellexerant, atque ante plenam ejus doctrinæ intelligentiam prædicaverant. Igitur solus Lucas et Paulus apud Marcionem gratiam invenerunt; cumque adhuc plura in ipsis essent cum systemate Marcionis incomposibilia; ille ea eradere ausus est, cujus criminis sæpe a PP. Irenæo, Tertulliano et Epiphanio accusatur, atque inconstantiæ etiam argüitur eo quod postea rejecerit, quod prius admiserat: «His opinor consiliis (ait Tertullianus, *de Carne Christi*, c. 2) tot originalia instrumenta Christi, Marcion, delere ausus es, ne caro ejus probaretur.—Excidisti, rescindendo quod retro credidisti, sicut et ipse confi-

teris in quadam epistola, et tui non negant et nostri probant.» Factum hoc historicum constantissime ab omnibus creditum est, usque ad Eichhornium, qui paradoxon admisit *Apostolicon* Marcionis verum fuisse evangelium Lucæ. Ast audaciam Marcionis in textibus evangeliorum et decem epistolarum Pauli adulterandis, quas admiserat, pluribus ac omni fiducia Tertullianus persequitur; etiam patet ex comparatione locorum, quæ Epiphanius plurima servavit, cum hodierno Lucæ evangelio et epistolis paulinis, ut a præstantissimis et novissimis criticis Arneth, Hahn, Olshausen ac demum Harting et Ewald, Hilgenfeld, Volmar, Baür, evincitur; denique ex eo comprobatur, quod extra sectam Marcionis mullibi usus suarum scripturarum factus sit. ¿Quomodo hoc locum habuiset, si *Apostolicon* et *Antitheses* Martionis primigenium Apostolorum instrumentum fuissent? Igitur jam existentia Marcion rejecit et corrupit evangelia, ac in specie illud Joannis, ut ex allegato Tertulliani loco constat, qui ea vi, et sinceritate, et fiducia contra Marcionem loquitur, ut plenam fidem in suis assertionibus mereatur, eo magis quod epistolarum Pauli adulteratio marcionitica evidens prorsus sit (conf. n. 454).

Ptolomæus hæreticus, una cum Heracleone ab Irenæo nominatus et oppugnatus, nobis suppeditat in fragmentis remanentibus allegationes Matthæi quinque, Joannis unam (etsi non ad litteram, sed cum formula «*Apostolus*») ac varia loca epistolarum Pauli, auctore ipso laudato. Heracleonis vero remanent fragmenta sui commentarii super totum evangelium Joannis, explicatio cujusdam loci Lucæ (III, 17), allegatio una Matthæi et quarumdam epistolarum Pauli.

493. Constantissimum est Valentinum ita 4° evangelio usum fuisse, ut plurimis ejus dictionibus abuteretur ad suam *œonum* theoriam constabiliendam, ut sequentibus: *Verbum*, *Filius unicus*, *vita*, *lux*, *plenitudo*, *veritas*, *gratia*, *redemptio*, *paraclitus*, aliisque, quæ necessario demonstrant aut eum ex 4° evangelio eadem sumpsisse, aut e contra; hoc autem postremum impossibile prorsus est, cum ante medium sæculum secundum hoc evangelium extitisse infinita prope argumenta demonstrent. Ergo Valentinus isto evangelio abutebatur, illud in absurdum sensum detorquens, sicut et cætera evangelia, quæ tamen minoris quam evangelium Joannis extimabat. Id ipsum constat ex libro nuper invento

cui nomen *Philosophoumena*, juxta quem Valentinus laudabat Jo. X, 8 ad ostendendum Prophetas et Legem nonnisi inferiori spiritu præditos fuisse. Absurdas evangeliorum interpretationes a Valentino factas plures commemorat Irenæus aliique; quod canonicam auctoritatem evangeliorum ita tunc temporis vulgatam fuisse evincit, ut Valentinus ad sua dogmata comprobanda illis misère abuti, eaque torquere cogeretur. Exstat nunc in londinensi musæo opus Valentini, lingua coptica, antiquissimum forte hujus idiomatis monumentum, quod appellatur *pistis sophia* (πίστις σοφία), ubi sequentia laudantur N. T. loca: Matth. VII, 7—8; X, 36, 41; XI, 14, 28: XIII, 9; XXIV, 4, 22, 43; XXVIII, 18; Luc. XIV, 34, 35; XXII, 28, 29, 30, Joan. IV, 10, 14; XVII, 16; XIX, 34; Rom. XIII, 7—8; 1 Cor. II, 9; XII, 12; Heb. II, 12. Igitur usus evangeliorum a Valentino adhibitus abunde constat, et ex agendi ratione suorum discipulorum Ptolomæi et Heracleonis, quos supra laudavimus, abundantius comprobatur (a).

494. Secta Naaseniorum et Peratarum, quorum dogmata et agendi ratio in eodem libro *Philosophoumenon* leguntur, loca evangeliorum ac præcipue Joannis, similiter ac Valentinus, in sua sensa contorquebant; et ante ipsas Basilides, tempore Adriani (117—138) magnum opus conscripserat ad suas sententias circa coelestia constabiliendas; cujus quidem libri duo loca cognoscimus, quibus evangelii Joannis laudabat sequentia: «*Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*», Jo. I, 9; et «*Nondum venit hora mea*», ib. II, 4, ut in *Philosophoumenis* legitur.

495. Omnes igitur secundi sæculi hæretici (solis exceptis *alogis*, qui omnia evangelia rejiciebant, propterea quod ipsis in dogmatibus adversarentur, ob idque antilogias eorum adnotabant, et 4.um Cerintho tribuebant; conf. n.° 488), omnes, inquam, hæretici gravissimum testimonium suppeditant pro evangeliorum genuina origine, a primo nempe sæculo, et ab ipsis Apostolis derivata. Cum autem valde ipsis utile fuisset ea rejicere, aut apocrypha

(a) Qui opus laudatum Valentini ut apocryphum ad quartum sæculum rejiciunt, nondum firmum suæ sententia fundamentum invenerunt.

ostendere, aut vitiata ea fuisse demonstrare, cum ex illis acerrime a catholicis doctoribus vapularent; inconcussum argumentum habemus nihil horum ipsis innotuisse, nullam evangelicis historiis labem invenisse circa earum originem et intemeratam integritatem; quin immo, cum ipsi hanc sacrorum librorum corruptionem tentarunt, licet ingenio et quadam scholastica cultura præstarent, a fidelibus ecclesiarum præpositis (licet rudioribus, sed in hoc fortissimis) et catholicis scriptoribus prohibiti sunt; suæque scripturæ, ita vitiatæ, nullam auctoritatem extra angustos sectæ limites obtinuerunt, ac nisi in scriptis catholicorum pauca fragmenta servata essent, jam a pluribus sæculis hominum memoria excidissent. Et in paucis quæ supersunt, quantæ sunt evangeliorum allegationes! Quid fieret si hæreticorum scripta integra manerent?

CAPUT LI.

Testimonium philosophorum ethnicorum ac præcipue Celsi: conclusio hujus discussionis: plena axiopistia scriptorum N. T.

495. Mirandum adhuc magis est evangelia nostra etiam extra Ecclesiam et sectas christianas jam medio sæculo 2.° innotuisse. Omissis enim paganis philosophis posterioribus, Porphyrio nempe, Hierocle et Juliano apostata, ex quibus hunc saltem lucrum habemus, nunquam ipsos evangelia nostra ut opus apocryphum, aut in factorum narratione vitiatum habuisse, etiam dum hæc demonstrare ipsis erat peropportunum, ac proinde nullum habuisse hujus rei argumentum, quod *a fortiori* ab incredulis nostri temporis inveniri nequit; iis, inquam, omissis, habemus Celsum alexandrinum, christiani nominis acerrimum hostem, et Hadriano imperatori synchrorum, qui se rerum christianorum plenam cognitionem habere jactat, et evangelia nostra sæpius aut ipso nomine, aut locis ex eis deductis, allegat. Opus ejus, quo religionem christianam gentium ludibrio tradere conabatur (Λόγος ἀληθής), periit utique, ut par erat; at ejus argumenta mira fidelitate et anim

candore servata sunt ab Origene *[contra Celsum]*, ex quo discimus: Celsum evangelia allegasse, quæ ab ipso dicuntur *scripta discipulorum Jesu*: christianos accusasse adulterationis eorum, errore deceptus, vel ex agendi modo sectarum marcioniticæ et valentinianæ, quas ipse christianis adnumerabat, aut forte ex quatuor diversis evangeliis, quæ velut posteriores ejusdem historiæ recompositiones habuit: in derisum traduxisse duplicem genealogiam C—J ut sibi contradicentem: impugnasse magorum adventum, fugam C. in Ægyptum, apparitionem columbæ in C. baptismate, ejus ortum ex virgine, agoniam in horto, sitim in cruce, aliaque ex evangeliis synopticis perspicue deducta. Joannis autem mentionem facit dum J—C a judæis fuisse invitatum *in templo* ad miraculum patrandum commemorat, aut ipsum fuisse *Verbum* Dei negat, aut ex ejus latere sanguinem in cruce manasse, et antilogias adnotat in narratione resurrectionis Christi prout a Joanne et aliis tribus exponitur.

496. Nullum igitur dubium superesse potest quatuor evangelia integro sæculo secundo ita velut Apostolorum opera habita fuisse, ut hoc sit factum publicum, solemne, universale, tum intra, tum extra ecclesias christianas, et catholicas et hæreticas, nullo prorsus reclamante præter obscuriorem *alogorum* sectam. Nullum dubium superesse potest eadem et cognita et in usum adhibita ab immediatis Apostolorum discipulis, etiam primo sæculo viventibus, etsi paucissima remaneant eorum monumenta scripta. Nullum dubium superesse potest tam universalem evangeliorum usum in exhortationibus, in apologiis, in scriptis polemicis, in publica liturgia, impossibilem prorsus fuisse, nisi generationi illi, quæ apostolos subsequuta est, certissimum, et evidens, et sacrum fuisset evangelia nostra ab ipsis Apostolis aut scripta aut probata fuisse, quibus tali religione tribuebantur. Idque multo majorem obtinet evidentiam, si ex una parte inspiciatur præsulum et scriptorum ecclesiasticorum ineptitudo manifesta ad tam præclara opera fingenda, quod ex eorum scriptis cum evangeliis nostris comparatis patet; ex altera vero hominum illorum dispositio ad ea omnia rejicienda quæ *a Patribus non recepta erant*, quod erat unicum illorum criterium in libris et doctrinis Apostolorum dignoscendis, prout ex historia ecclesiastica illorum temporum constat. Igitur argumenta inter-

na et externa locupletissima genuinam librorum N. T. historicorum originem ita tuentur ac prorsus demonstrant, ut ad ea infirmanda absoluto pyrrhonismo critico et historico opus sit, nullumque aliud inveniatur antiquitatis profanæ monumentum tanta argumentorum vi et evidentia solidatum.

497. Demonstrata jam evangeliorum origine apostolica, vel saltem Apostolorum ætati coæva, ad eorum plenam axiopistiam sive credibilitatem evincendam id tantum superest, ut demonstremus scriptores coætaneos veritatem factorum investigare potuisse, sinceros in narratione fuisse, eorumque opera in substantialibus incorrupta ad nos usque pervenisse. Primum eo ipso constat, quod coætanei fuerint, factaque narrata publica ac notoria, et magni momenti, et coram ipsis scriptoribus patrata vel coram eorum immediatis magistris; quæ omnia ex hucusque dictis abundantissime constant, et ex eo præsertim, quod alioquin defectus et lapsus plurimi in narratione invenirentur circa res historicas, geographicas, topographicas, archæologicas, ut latius antea persequuti sumus. Si enim quos narrant eventus investigare nequiverunt, profecto non investigarunt; unde ergo eorum lapsuum et errorum defectus, qui absque plena investigatione inevitabiles sunt?

498. Narratorum sinceritas primo iisdem argumentis evincitur, cum sit impossibile prorsus talem dexteritatem et astuciam rudioribus scriptoribus adfuisse, ut eorum mendacia post tot sæculorum indefessum studium, post tot criticos labores ab acerrimis hostibus susceptos, nunquam tandem fuisse discooperta. Deinde, plures sunt narratores inter se numquam pugnantes, licet seorsim scriberent diverso loco, tempore, occasione, scopo: Matthæus, nempe, Marcus, Lucas, Joannes, Paulus (qui multa cum illis refert, omnia supponit), Petrus, Jacobus, Judas. Tertio, mira in narratione elucet sinceritas, auctoris ipsius oblivio, saltem in evangeliis synopticis, simplicissimus candor, ut cuique legenti patet, nec pluribus persequi opus est, cum ab adversariis concedatur pro duobus prioribus evangeliis, quod ad rem nostram sufficit. Quarto, quia etiamsi voluissent lectores decipere, id tamen assequi numquam potuissent, ob judæorum inimicitias, discipulorum incredulitatem, quæ ex Thoma et discipulis in Emmaus euntibus patet, interio-

res discordias, difficultatem religionis deserendæ ab iis qui conversi sunt, quique nonnisi miraculorum evidentia ab avita religione defecerunt, nisi velimus ipsos humanæ naturæ expertes fuisse. Quinto demum, ut cætera omittam, ex Apostolorum et discipulorum agendi ratione, qui suam etiam religionem deseruerunt, ut omnibus vitæ commodis valedicerent, ut magnatorum vindictam incurrerent, ut labores, ærumnas, opprobria, carceres, verbera, mortem ipsam paterentur; quæ sane absolutissimam fidem exigunt, nec dubio aut hæsitationi circa factorum, quibus nitebantur, evidentiam aptari possunt. Apostoli ac primi christiani bene multi, et quidem illi qui potius conspiciebantur, pro religione christiana martyrium passi sunt. ¿Quomodo potuit hoc fieri, si non ipsi credebant divinam Christi missionem miraculis confirmatam, si facta in evangeliis narrata supposititia et falsa ab ipsis cognoscebantur, si ab scriptoribus non fide dignis ibi posita fuisse credebant? (a). Hoc fidem omnem superat: qui non velit hæc facta ut vera admittere, quia miraculosa, admittere debebit absurda: qui respuit miracula physica, recipiet absurda psycologica et moralia: qui Apostolos et primos discipulos sinceros fuisse negat, stupidos confiteri cogetur, atque a viris stupidis tam præclara opera scripta, divinam religionem inventam, mundum universum redemptum fuisse agnoscet; quo quid absurdius? (Conf. dicenda de epistolis Pauli n.° 526).

499. Integra demum, quod ad res alicujus momenti attinet, et præsertim ad mirabilia opera Christo in evangelio tributa, ad nos usque pervenisse N. T. historica scripta, locupletissime constat: 1.° ex dictis pro eorum genuinitate circa argumenta interna; 2.° ex recentissimis laboribus pro critica textus susceptis, quibus constat actualem lectionem eamdem prorsus esse (exceptis lectionibus variantibus nullius momenti) quam toto sæculo 2.° (v. n.° 486); 3.° ex sinceritate qua Patres apostoloci primique christiani factis in evangeliis narratis fidem adhibuerunt, iisque totam suam

(a) Omnes itaque martyres sunt veri *martyres*, quatenus tacite *testantur* librorum sacrorum veracitatem et integritatem; impossibile enim prorsus fuit ut de iis legendiculis et interpolationibus, de quibus adversarii loquuntur, quidquam scirent vel suspicarentur, et tamen mortem pro re christiana admitterent. Quam agendi rationem quis capere valet?

religionem fundaverunt, ac pro fide sua martyrium passi sunt (conf. n.° 502); 4.° ex firmissima adhæsione priorum præsulum, doctrinis et traditionibus, et scriptis Apostolorum, quæ plurimis testimoniis et factis constat, ut de se narrat Papias, Irenæus, Clemens romanus, Ignatius, Polycarpus, late persequitur Tertullianus contra marcionitas, et ex magna lite temporis illius pro die celebrationis paschæ, in qua nec ipse Polycarpus romano præsuli cedere voluit, traditioni innixus apostoli Joannis. Si tanta vi doctrinæ ac traditioni majorum adhærebant ¿quomodo corruptionem substantialem librorum sanctorum aut permiserunt, aut absque protestatione tolerarunt, aut demum ipsi fecerunt? 5.° Ex intima omnium partium in unoquoque evangelio connexione, qua additiones et adulterationes, vel a paucis vel a multis serius factas, admittere prohibemur, nec nisi gratuito et inordinata imaginationis vi quisquam invenire potuit. 6.° Ex Apostolorum et discipulorum vigilantia ad arcendas fabulas circa vitam Christi et doctrinam, quæ ex sinceritate eorum necessario consequitur, et apocryphorum librorum rejectione, ac demum eorum agendi modo cum hæreticis, sacri textus violatoribus, et cum clerico illo qui *periodos Petri et Teclæ* pio motu scripsit, ob idque clero pulsus est. 7.° Ex vigilantia hæreticorum et judæorum, quos dicimus judaizantes, id est, ad christianismum non plene conversos, qui quidem omnes numquam passi fuissent adulterationes evangeliorum substantiales, et in suis disputationibus eas catholicis objecissent, quod numquam fecerunt, nisi serius tempore Augustini, quod nunc nihil ponderis habet. 8.° Ex identitate substantiali exemplarium horum librorum in Palæstina, Syria, Ægypto, Græcia, Italia, Gallia, Africa, jam sæculo 2.° ineunte; quod cum tot et tantis evangeliorum additionibus, interpolationibus, novis recensionibus, incomposibile prorsus est, præsertim nullo fundamento existente hujusmodi sententiæ. 9.° Ex publico usu in sacra liturgia et horum librorum universali veneratione, quæ pluribus constat, et eorum alterationes ut totidem sacrilegia habuisset, ac prorsus impossibiles reddidisset. (Conf. n.° 502).

500. Paucis: novissimi critici sapientissimi, ut Tischendorf, et universa schola gœtingensis, duce Ewaldo, quibus Renan consentit, identitatem substantialem hodierni tex-

tus evangeliorum et actuum Apostolorum admittunt atque tuentur cum textu in fine primi saeculi existente; igitur integritas textus primigenii tantum saeculo primo, et Apostolis viventibus, et primis eorum discipulis potuit violari. Hoc autem minime fieri potuit, vel fraude, vel pia credulitate, ut ex adductis omnibus argumentis patet (et n. 502 dicendis), et ex eo quod facta Jesu publica sunt, clara, manifesta, maximi momenti, saltem suorum discipulorum æxtimatione, adhuc viventibus testibus scripta, quando in eorum animis prætensam transformationem pati nequiverant, ob inopiam temporis sufficientis ad induendum naturam legendarum, ut adversarii dicere amant. Quisque videt hypothesim istam, omnibus bene perspectis, esse prorsus impossibilem. (Conf. omnino n. 502).

CAPUT LII.

Adversariorum objecta: utrum narratio miraculorum axiopistiæ evangeliorum noceat: refellitur hypothesis renanica: libri apocryphi: Papias.

501. Quod si libri historici N. T. ætatis apostolicæ fetus sunt, prout hucusque demonstratum est; nonnisi evidentioribus argumentis cogi possumus, ut eos auctoribus, quibus tribuuntur, abjudicemus; præsertim cum rationes allatæ scriptores synchronos et rerum, quas narrant, testes oculatos vel saltem immediate ob oculatis edoctos postulent, quin aliunde ratio reddi possit factorum quibus ad genuinitatem evangeliorum evincendam usi sumus. Igitur nisi peremptoria argumenta demonstrent *evangelia* et *acta apostolica* non a Matthæo, Marco, Luca et Joanne scripta fuisse, sed ab aliis aut etiam a pluribus, post varias additiones, correctiones, interpolationes, in hodiernum statum demum pervenisse; quin ejusmodi explicationem probemus non pietas, aut religio, aut christiana fides, sed recta ractio, communis sensus, scientia critica prohibet et absolute defendit. ¿Quæ autem et quanta sunt istiusmodi argumenta? Sequentia: 1.um in evangeliis narrantur eventus supernaturales et ordo supernaturalis ubique supponitur; historiæ

vero hujus generis legendariæ omnes sunt charactere historico destitutæ, cum miracula et supernaturalis ordo totidem fabulæ sint: 2.um objiciuntur evangelia apocrypha et adulterationes librorum apostolica ætate frequentes: 3.um testimonium Papiæ supra laudatum: 4.um peculiaris character evangelii Lucæ et actuum apostolicorum, ubi fidelitas historica et chronologica desideratur: 5.um evangeliorum multæ pugnæ ab Straussio adhuc objiciuntur: 6.um demum diversitas in doctrina et stylo evangelii Joannis et trium synopticorum, etiam in modo loquendi qui Jesu tribuitur

502. Primum argumentum, ut incredulorum axioma, tunc repudiatur et merita animadversione punitur, cum divinam Scripturarum inspirationem vindicamus; nunc vero, ad repetitiones vitandas, ut futile prorsus et inane despicimus. Immo renanica hypothesis impossibilis est et contradictoria loquitur, dum diversorum manipulationes et phantasticas historiolas Matthæi *logiis* adjectas esse censet, ut ita miraculorum existentiam in hoc evangelio explicet; cum tamen pluribus in locis ipse supponat, tum discipulos Christi, tum Christum ipsum ordinem supernaturalem plane admisisse, et miraculorum patratorem a turbis et Apostolis et a Se ipso habitum et creditum fuisse. Quod si hoc verum est, ut est profecto, ¿quare ab Apostolis non ita credi, et prædicari et scribi potuit? Apostoli et discipuli opera Jesu plurima ut vera miracula venerabantur; potuerunt igitur id docere et litteris consignare, ut certe magnum resurrectionis miraculum et testati sunt, et ad mortem usque crediderunt, et ut fundamentum suæ prædicationis, et fidei et spei ubique ponebant. Ergo aut decepti sunt in eo quod sibi videbantur *videre, et oculis perspicere, et manibus contrectare*, ut unus eorum loquitur; aut facta quæ narrant non vere narrant, sed voluntarie decipiunt, aut demum naturalibus rationibus explicari possunt, quæ sunt hypotheses rationalisticæ renanica anteriores; sed illis non admissis, nec ista potest rationem reddere facti quod facillime explicatur, ex eo nempe, quod scriptores N. T. ea narrant, quæ vere facta sunt, quamvis supernaturalia, aut saltem quæ vera et supernaturalia ab ipsis credebantur. Paucis: vivente Christo, ipse et Apostoli et discipuli miracula patrare sibi visi sunt, fatente adversario nostro; optime ergo id in evangeliis consignare potuerunt. Immo

absque miraculorum fide nec Christum Apostolos, nec istos totum orbem convertere potuisse multo verissimum est, et ipse Renan admittit. ¿Quid autem si ea nec vera nec possibilia sunt? Christus, et Apostoli, et totus terrarum orbis stupiditate laborarunt; et hoc quidem dum religionem *absolutam*, ut eam vocat adversarius, dum religionem prorsus mirabilem, et coelestem, et plane divinam in doctrina dogmatica et morali viri illi fundaverunt, qui rudes erant piscatores in lacu Genesareth, omnis hellenicæ culturæ et civilizationis expertes. Quo psycologico et morali miraculo, quod aliud majus? Sed demus nunc adversario nostro plus quam ille petit a nobis, Apostolos scilicet miraculosa facta, quæ in evangeliis leguntur, non cognovisse, aut non iis circumstantiis, quibus supernaturalia apparent, ea accidisse, nec proinde ab Apostolis ita prædicata fuisse; ¿cur tam cito tanta facta est transformatio istiusmodi historiarum? ¿cur viventibus Apostolis hæc falsæ historiolæ et circumstantiæ legendariæ in evangeliis locum habuerunt, ab Apostolis (saltem Joanne et Petro, ex confessione adversarii) probatis, quin harum falsitatum et mendatiorum ipsi Apostoli rei vere sint? Si autem facta, quibus apostolica prædicatio nitebatur, falsa aut ita exaggerata ab ipsis cognoscebantur, ut miraculorum naturam induerent; quomodo explicabitur Apostolorum sinceritas ubique spirans, et candor, et fidei firmitas, et ærumnæ, et abnegatio, et totius vitæ labores, et martyrium? Phenomenon istud extra, immo et supra, denique contra loges psycologicas et anthropologicas positum est. Et, ut ad factum particulare descendamus, si turbæ in deserto *sua frugalitate altæ sunt* ¿quomodo quatuor evangelistæ tam minutis circumstantiis referunt multiplicationem *quinque panum et duorum piscium in quinque fere hominum millium* suficientem alimoniam; idque talibus adjunctis, ut aut verum factum, aut apertum mendacium cuilibet legenti necessario appareat? (conf. Mat. XIV, 15-21; Mar. VI, 36-44; Luc. IX, 12-17; Jo. VI, 1-13). Turbarum sobrietas in miraculum legenda transformata est, inquies. Optime! ¿Sed quomodo ante Apostolorum oculos hæc transformatio (verius, hoc mendacium) locum habere potuit, et fidem omnium adepta est, et scriptis consignata, quæ Apostoli (saltem Joannes, ut supra) viderunt et probaverunt? Nullo alio modo, nisi vel post longum

annorum tractum, sæculo demum 2.° ut tubingensium schola vult, quodque ipse Renanus respuere coactus est; vel quia verum miraculum fuit; vel denique quia Apostoli mendacium patrocinati sunt, verique falsarii haberi debent. Cum autem 1.um falsum sit, et postremum sensum communem superet, restat secundum. Igitur hypothesis renanica de legendaria factorum Jesu transformatione jam 1.° sæculo, immo viventibus Apostolis facta contradictoria est, et gratuita, et futilis, et absurda, et rem non explicat, cui explicandæ excogitata fuit.

503. Evangelia apocrypha nihil prorsus evincere contra historicam auctoritatem canonicorum, satis demonstratum est supra (n.° 487); immo duplici via eam tueri, et quidem irrefragabili argumento probavimus. Idem dicas de adulterationibus tunc temporis consuetis extra Ecclesiam, minime vero in Ecclesia, ubi mendacia et fraudes semper ut tales habitæ sunt et punitæ; ubi evangelia facta et verba ipsâ continere Jesu-Christi, veri Dei, et hominum Domini et Servatoris, credita sunt, quibus propterea aliquid addere, detrahere aut immutare sacrilegium erat. Quis audeat reformare quod divinum credit, et Spiritu Sancto afflante conscriptum? Denique lectiones variantes in evangeliis multas esse et fuisse a primis Ecclesiæ temporibus nullus inficiatur; illas autem adulterationes substantiales in rebus historicis et doctrinis continere, nec ullus demonstrat, facileque contrarium patet, ut in Historia textus Sacr. Bibliorum exposuimus. Sane sapientissimi critici christiani summa cura has variantes lectiones et scripta apocrypha collegerunt, ut pote totius N. T. authentiam, integritatem, sinceritatem ac verum sensum valde illustrantia.

504. Nec majorem habet vim tertio loco positum argumentum ex fragmento Papiæ desumptum, ut n. 477..... abunde demonstratum est; etiam si non admittamus Eusebii judicium, quod multi faciunt, circa minus perspicuum Papiæ ingenium, ac proinde pondus illius auctoritatis imminuere nolimus.

CAPUT LIII.

Confutatur sententia renanica circa evangelia synoptica ac præcipue Lucæ.

505. Quartum argumentum circa sinceritatem et diligentem rerum investigationem Lucæ abjudicatam, paulo latius refellere cogimur. Sane, si quis totum Renani opus (*Vie de Jésus*, et *Les Apôtres*) attente perlegerit, facile inveniet omnia, quæ ille diversis narrationibus evangelicis objicit, locum non habere statim ac miracula et Dei actio supernaturalis ac sensibilis in mundo, ac præsertim in rebus humanis admittitur. Ob hujus fidei defectum omnia fere rejicit quæ Matthæi evangelio leguntur extraordinaria (ut cap. I; II; XXVII, 51-53; XXVIII, 2... comp. Mar.), quamvis verba quæ hic Jesu tribuuntur, maximam fidem mereantur (une confiance hors de ligne). Attamen verba et narratio, miracula ac ordinaria facta, ita se naturaliter excipiunt ac mutuo cohærent, ut fere impossibile sit alia ab aliis sejungere, præsertim cum verba sæpissime facta supponant. Hæc vero eadem fere narrantur in evangelio Marci (a), quod juxta adversarium «*minus abundat narrationibus legendariis, antiquior cæteris est ac magis originale, ubi minutæ circumstantiæ limpiditatem specialem habent*, denique *plenum est observationibus absque dubio e teste oculari procedentibus, qui* EVIDENTER *Jesum viderat, sequutus fuerat prope, dilexerat ac vividam ejus imaginem servaverat; qui quidem nihil impedit quominus Petrus fuerit*». Si vero utrumque evangelium in eventuum narratione comparetur, substantialis historiæ identitas deprehenditur; si autem e Marco radantur quæ miraculosa sunt, ac verba et orationes Christi, nihil fere remanet. Ergo *Logia* Matthæi et *compilatio biographica* Marci nusquam fuerunt quod supponit adversarius, nec eum tantum valorem habent partialem, nempe vel pro *oraculis* vel pro *actionibus* Jesu, sed plene historica sunt aut plene apocrypha. Omnia hæc sententiæ criticæ applicari præcipue debent ab adversario nostro circa valorem historicum Lucæ conceptæ, cujus fundamenta omnia singulatim sunt examinanda. Nempe ∞ vangelium Lucæ, ex Renano, 1.° «documentum est posterioris manus. Narratio maturitatem habet reliquis superiorem. Verba Jesus

(a) Diversim pro diverso scriptoris scopo ac independentia, quod nusquam oblivioni tradendum est atque etiam de Luca et Joanne intelligendum.

hic magis meditata sunt, magisque composita. 2.° Quædam sententiæ exaggeratæ. 3.° Scribens extra Palæstinam, et *certo* post assedium Jerusalem, indicat minus accurate loca...; 4.° falsam habet templi notionem, quasi nempe locus esset orationibus faciendis destinatus; 5.° quasdam circumstantias temperat, ut pugnantes historias componat (Luc. IV, 16; III, 23, et ommittit Mat. XXIV, 36); 6.° quod mirum est exaggerat (II, 14; XXII, 43-44...;) 7 parabolas et sententias aut jungit aut sejungit, nempe ex duabus unam, aut e contra facit (XIX, 12-27, et coenam Bethaniæ bis narrat VII, 36-48, et X, 38-42); 8.° democratiæ adhæret et ebionita fervens est, nempe juris proprietatis inimicus et diem proximum expectans, quo divites fiant pauperes et vice versa (VI, 20... 24..., XII, 13...; XVI; XXII, 35; Act. II, 44-45; V, 1...); 9.° illis anedoctis gaudet, quæ de conversione peccatorum et exaltatione humilium agunt, quod ut obtineat antiquas traditiones immutat (ut feminam pedes Jesu ungentem, quæ ipsi peccatrix est, latronem conversum, Zachæum, parabolam pharisæi ac publicani, filium prodigum); 10.° legendas in principio admittit, illis amplificationibus plenas et canticis, quæ conventionalia sunt; 11.° quædam verba tenerrima quidem et pulcherrima Jesu tribuit, quæ legendaria videntur, et in reliquis evangeliis non leguntur (lacrimas Jesu super Jerusalem, sudor sanguineus, sententia dicta illis mulieribus qui eum ad calvarium sequebantur ac lamentabantur, quam quidem nonnisi post assedium Jerusalem conceptam esse potuisse asserit); 12° denique errores chronologicos admittit (circa Cyrinum, Lysaniam ac Theudam)». Tales sunt accusationes, quas Renan evangelistæ Lucæ objicit, quamvis evangelium ejus authenticum, et non omni historico valore destitutum fateatur. (Conf. Vie de Jésus XXXIX-XL-XLI; notam pag. XXXVII, &c.). His tamen non obstantibus ipsum dicit *harmonistam*, qui nempe diversas historiolas hinc inde sumit ac componere tentat, et *divinum artificem*, qui Jesum ea felicitate depingit, ea inspiratione ac vivido colore, ut hoc evangelium deliciosius reliquis omnibus sit (a).

(a) Mais c' est un biographe du premier siècle, un artiste divin qui, independemment des renseignements qu' il a puisès aux sources plus anciennes, nous monstre le charactère du fondateur avec un bonheur de trait, une inspiration d' ensemble, un relief qui n' ont pas les deux autres synoptiques. Son evangile est celui dont la lecture a le plus de charme; car á l' incomparable beauté du fond comun, il ajoute une part d' artifice et de composition qui augmente singulièrement l' effet du portrait, *sans nuire gravement á sa vérité*; ib. XLII.

506. Ad id quod 1.° objicitur, si recte intelligatur, nihil respondere necessum est; omnes quippe sciunt Lucam non ea narrare in evangelio quæ ipse vidit, sed quæ audivit *omnia assecutus diligenter*, ita ut narrationem ex ordine factam promittere posset, magis accuratam quam illæ quæ a multis privatis tentatæ sunt, et Ecclesiæ approbationem non meruerunt, quamvis et earum auctores narrare intenderint *sicut illis tradiderunt qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis* (Luc. I, 1-3). Unde constat Lucam minus accuratis narrationibus offensum, suam texuisse post diligentem investigationem; non autem ipsum illis prioribus historiolis, ad quas alludit usum fuisse, vel saltem non ita usum fuisse, ut eas non corrigeret verioribus et exactioribus notitiis ab Apostolis haustis, quos certe ipse vidit et cum illis conversatus est. Unde nihil refert, si Lucæ narratio *maturior* cæteris sit, dummodo nullus demonstret hanc *maturitatem* (a) facta et verba Jesu immutasse, et fidelitati historicæ nocuisse. Esset nempe peculiaris qualitas litteraria, qua ab aliis synopticis distingueretur tertium evangelium, ut pote a cultiori et elegantiori scriptore procedens, quod omnes concedunt. Quod etiam de *compositione et elaboratione*, quam calumniatur, verborum Jesu admitti etiam posset, si nihil aliud hoc sibi velit, quam non ipsissima Christi verba semper in evangelio Lucæ inveniri, bene vero apud reliqua; neque enim necessarium est ad plenam auctoritatem historicam narrationis, ut tam minutim omnia accipiantur, imo nec ad divinam horum librorum inspirationem, quod plerique nunc eruditi catholici tenent; dummodo *sensus verborum idem prorsus maneat*. In evangelio autem Lucæ hunc sensum fuisse immutatum, nullus adhuc evincere potuit, nec argumentis renanicis probabile fit. Quæ priusquam solvamus, duo animadvertimus: 1.° *omnes defectus et lapsus in Luca inveniri debere*, quos supra diximus, agentes de argumentis internis pro evangeliorum historico charactere, si objecta sint vera, ac necessarium proinde adversariis esse hoc demostrare; quod si non faciant, naturaliter componere nequeunt existentiam hujus evangelii cum hypothesi ab ipsis accepta circa ejus originem, ideoque erronea et futilis evincitur adversariorum explicatio; 2.° scriptum magna arte et labore ex pluribus fragmentis consarcinatum, et quidem sibi mutuo contrariis, eam pulchritudinem et divinam præstantiam habere non posse, quam Renanus in Luca miratur; nisi cum sciolis

(a) Quam adversarius asserit se *sentire*, et auctorem ut præcedentium textum et historiolarum compilatorem et consarcinatorem: hispanice diceres un plagiario y remendon.

rhetorum alumnis admittas præstantiora esse opera, quæ magno labore et sudore, pluribus servatis regulis, sæpe rebus scriptis ac delectis, limatis atque compositis, præsertim ubi nulla originalitas est, sed mera rapsodia, eduntur, quam quæ natura ipsa in maximis poëtis et artificibus edit: præstantissima et mira humani ingenii opera fructus sunt spontanei supereminentis ingenii, quos nusquam adæquare queunt mediocres scriptores, præsertim iis conditionibus quæ Lucæ ab adversario tribuuntur.

507. Sed nunc fundamenta videamus accusationum ejus. *Regulæ apostolatus*, inquit, ut falsata esse Christi verba evincat, *singularem exaltationis characterem habent* (cap. X, et citat etiam XIV, 26). Ast capite 10 non dantur *regulæ apostolatus*, sed nonnulla consilia in illa septuaginta duorum discipulorum temporaria missione servanda, nec ubi sint notæ illius *singularis exaltationis* video, nisi dum discipulis præcipit ut nihil secum portent ad vitæ necessarium, quod etiam in duobus aliis synopticis eodem fere modo legitur (conf. Mat. 10 et Mar. 6, ubi parvula discrepantia est, sed agitur de alia missione *Apostolorum*), aut etiam dum civitatibus incredulis terribilia minatur, quod pariter apud Mat. (XI, 21) occurrit, aut denique dum asserit se ipsum et Patrem audire, qui discipulos missos audiret, quod Mat. X, 40 et Joa. XIII, 20 lege. Idem dicas de loco allegato XIV, 26, ubi eadem sententia occurrit quæ apud Mat. X, 27; idem namque est, ex modo loquendi evangeliorum ab hebraica consuetudine derivatum: «si quis non *odit* patrem suum et matrem... non potest meus esse discipulus», ac, «qui *amat* patrem suum aut matrem *plusquam* me, non est me dignus» (conf. Hermeneuticam); ac proinde non est diversitas sententiarum, etiam si uterque evangelista ad verba eadem Jesus alludat, et non potius ad diversa, ac diversa occasione prolata.

508. Utrum extra Palæstinam evangelium suum scripserit Lucas nemo evincere potest, licet probabile sit; neque hoc multi refert, dummodo ipse *omnia diligenter assequutus sit*, nec in rebus geographicis et topographicis erraverit, quod demonstrare nequit adversarius, qui tamen Palæstinam invisit, et ea quidem dispositione animi, ut hos evangeliorum lapsus ambabus ulnis arripuisset, si revera derentur. Ast non sunt, ut suo loco abunde demonstravimus, sed contra mira est in locorum descriptione fidelitas, etiam, imo præcipue, a Luca servata (conf. n. 471...). Post excidium Solymorum scriptum fuisse evangelium Lucæ probat adversarius sententiis illis Servatoris, quæ XIX, 41, 43-44; XXI, 9, 20; XXIII, 29 leguntur; nempe ubi civitatis destructio prædicitur; quasi Jesus eam prævidere et prænuntiare nequivisset, quod

incredulo et rationalistæ inconcussum est, homini cordato omnino despiciendum. Accedit eamdem prædictionem de destructione templi, quæ destructionem civitatis supponit, iisdem fere verbis occurrere apud Mat. XXIV, 2 et Mar. XIII, 2; denique si valorem haberet adversarii ratiocinatio, *falsa Apostolorum et discipulorum Jesu narratio esset*, quod jam nec incredulî ipsi admittere audent Imo nihil difficultatis haberet hæc prænuntiatio, etiamsi Jesu non omniscientia esset tribuenda, sed mera prudentia humana, quæ, datis Palæstinæ adjunctis, ejus devastationem a romanis prævidere poterat; modum autem et circumstantias (*circumdabunt te inimici tui vallo* &c.), ignotas et insuetas fuisse in urbium expugnatione, nemo defendere potest (conf. Archæol.). Saltem in versione LXX Jesu et Apostolis familiari ita vertitur 4 Reg. XXV, 1; conf. Is. XXIX, 3 gr. ad quem locum manifeste Christus alludit, et ita clariorem dat loci Danielis explicationem (Mat. XXIV, 15 et Mar. XIII, 14), et Lucas eam collegit pro suo scopo et lectoribus gentilibus. Denique v. 24 est allusio ad Deut. XXVIII, 48-68; XXIX, 22-28; Is. III, 25-26; Os. III, 4-5, vel potius repetitio harum minarum: et rem Jesus conficit formula a Paulo evoluta, qui tamen ante excidium Solymorum periit (conf. Rom. XI, 25-26).

509. Lucam habere falsam ideam templi, quasi nempe *loci orationibus faciendis destinati*, ille solus affirmare potest qui sexcenta V. T. loca oblitus fuerit vel neglexerit, ubi hoc certissime constat, et ex Salomonis solemni oratione in Templi dedicatione habita (a). Quædam adjuncta ita Lucam temperare, ut narrationes pugnantes componere possit, evincere tentat Renan locis IV, 16; III, 23 et omissione Mat. XXIV, 36 a Luca facta. Ast jam Lucas quater designaverat Nazareth, ut etiam ib. v. 23-24, veluti Jesus πατρίδα, quin sit possibile ut iis posterioribus locis intelligeret *locum nativitatis*, nisi per stupidam scriptoris contradictionem in eadem pagina; ergo designare intendit *domum paternam* (b). Idem dicas de phrasi «*ut putabatur*»

(a) Conf. inter cetera 3 Reg. VIII, 23... 28-56; 2 Par. VI, 14.. (et. in sacrificiis orationem non infimum locum habuisse docuimus in Archæol.); ps. III, 5; VIII, 5; XVII, 7; XXVI, 4; XXVII, 2 &c.; Ex; XXIII, 19; Deut. XXIII, 18; Jos. IX, 23; 1 Reg. I, 7; III, 24; 2 Reg. VI, 12-17, 1 Reg. I, 9-18; Ex. XXXVIII, 8; 1 Reg. II. 12 in quibus postremis duobus locis exercitia devotionis adumbrantur, quæ Annæ prophetissæ a Luca tribuuntur II, 36-38; v Ghiring. V. J. 245, nota.

(b) Mat. XIII, 54, 57; Mar. VI, 1, 4; Joa. IV, 44; nempe locutio πατρίς æquivalet hebr. בית אב, ut Gen. XXVIII, 21 coll. XXV, 11 et XXVI, 1.

(III, 23), qua mentionem Josephi facit ad texendam genealogiam necessaria, quocumque demum modo hanc intelligas; non vero intendit æquivocationem tollere, quasi Josephus ut pater Christi naturalis haberi posset, præsertim post narratam hujus conceptionem (I, 26..), alioquin idem fecisset v. g. II, 48 (ecce *pater tuus*...), 41, et dictum nazaritharum (IV, 22) temperasset. Denique omissio loci (Mat. XXIV, 36; Mar. XIII, 32) nullum mysterium est aut intentionem indicat difficultatem movendi nescio quam, cum et reliqui evangelistæ omniscientiam Jesu tribuant, et loca citata nihil aliud sibi velint, quam diem judicii nulli præter Deum esse manifestam (conf. n.° 708 G).

510. Miracula augere Lucam asserit adversarius ductus IV, 14 et XXII, 43-44. Quasi nempe primo loco mirabilius esset Jesum a Spiritu Sancto ductum fuisse in Galilæam a deserto, quam ab eodem Spiritu a Jordane in desertum, quod Matthæus (IV, 1) et Marcus (I, 12) asserunt; aut etiam quasi ageretur de quadam translatione aërea, sagarum more, et non potius de interiori impulsu ad aliquid boni agendum; cum neque ipsæ phrases: *assumpsit eum diabolus*... quæ materialiter intelligi ab aliquo possent, aliud significent quam *duxit eum diabolus*, ut ait Lucas, qui proinde non exaggerare sed imminuere videretur miracula; ast neutrum facit. Idem dicas de *sudore sanguineo* (Luc. XXII, 43-44), qui, posita agonia ac tristitia usque ad mortem a reliquis narrata, mirus non est; immo si Lucas quidquam in historia tacere, immutare aut imminuere consuevisset, non factum hoc commemorasset, quod dignitati Christi ita abhorrere primis christianis videbatur, ut in eo plures scandalum passi sint, ac citatus locus e textu sæpe, licet immerito, sublatus. Apparitio vero Angeli confortantis Jesum mirabilior non est ministerio angelico post jejunium et tentationem ab aliis commemorato (Mat. IV, 11; Mar. I, 13) et a Luca prætermisso. Immerito pariter ac gratis asserit adversarius Lucam parabolas jungere aut disjungere, quod non evincit locus allegatus (XIX, 12-27), siquidem parabola hæc confundi non potest cum *simili* Mat. XXV, 14-30 (conf. n.° 706 et 708, E.), ut alibi non semel, v. g. Luc. XIV, 16-24 coll. Mat. XXII, 2-14; Luc. XIII, 11-17 coll. XIV, 2-6; *anedocta* vero a Renano objecta, quasi Lucas ea confuderit, confusionem ab impugnatore incursam potius arguunt, quatenus ille confundit convivium habitum in Galilæa apud Simonem quemdam pharisæum, ubi mulier peccatrix Jesum unxit, cum alio habito Bethaniæ in domo Simonis leprosi, ubi Lazarus accumbebat, Maria vero ejus soror Jesum similiter honoravit: omnia quippe diversa sunt, si excipias unguenti effussionem super Christi caput et pedes, horumque extersionem cappillis factam; unde nullo jure mis-

centur, nec verum proinde est Mariam sororem Lazari *mulierem peccatricem* Lucæ fuisse; neque demum hoc solemne convivium posterius confundi debet cum hospitio quo usus est Jesus *apud Martham*, de quo Luc. X, 38-42 sermo est, cum omnia pariter sint diversa. (Conf. Herm. loc. cit).

CAPUT LIV.

Utrum S. Lucas *ebionita* fuerit: de doctrinis œconomicis et politicis S. Lucæ et Christi Jesu: alia objecta: utrum erraverit Lucas super *censu Cyrini*, tetrarchia Lysaniæ ac motibus rebellibus Theodæ.

511. *Ebionismus* de quo Lucam accusat adversarius duobus constat: magna nempe existimatione legum ac rituum judaicorum, ac odio erga divites et amore æqualitatis bonorum seu *communismi*. Primum videt in narratione a Luca facta de *circumcisione* Jesu, *purificatione* Mariæ, *peregrinatione solita* Sacræ Familiæ Hierosolymam, ac demum *requie* servata a feminis piis quæ Jesum ungere constituerant post sabbatum; in quibus simplex narratio est eorum quæ communiter servabantur, et partim ab ipso Paulo servatum est, præsertim a Petro, Jacobo &c., etiam multo post ascensionem Christi ac fundatam Ecclesiam. Quod, quid contra Lucam probet, penitus ignoro; quin potius a plurimis criticis e schola præsertim tubingensi accusatur *partium Pauli susceptarum*, nempe abolitionem antiquæ religionis et catholicitatem novæ contra Petrum et Jacobum, ac contra evangelium Matthæi ipsum defendere autumabant; quæ quidem opinio vix jam a quolibet defenditur post evidentisssima argumenta, quibus eamdem doctrinam Christum et omnes Apostolos habuisse et semper prædicasse demonstratum abunde est. Altera *ebionismi* nota, seu odio in divites et affectiones communisticæ non majori fundamento objiciuntur Lucæ, quam reliquis evangelistis, imo Christo ipsi, cujus *œconomiam politicam* irridet adversarius, omnia ad scopum suum permiscens et pravæ interpretationi subjiciens. Et sane locis allegatis, sicut et aliis

plurimis quæ adduci possent, tam ex N. quam etiam ex V. T., non divitiæ et jus propriætatis, sed avaritia, durum erga pauperes cor, inordinatus rerum amor temporalium, fiducia in divitiis posita damnantur, ut quilibet non spiritu partium obcoecatus perspicere potest. Et primo quidem loco (VI, 20...) ponuntur a Luca beatitudines arcto nimis compendio, sed non aliter quam apud Matthæum interpretandæ, ubi *pauperes spiritu* beati dicuntur: secundi loci sensus perspicuus est (XII, 13...), et ab Ecclesia semper veneratione acceptus, quæ nec divites, ut tales, damnat, nec communismo adhæret, nec unquam adhæsit: caput 16 pravissime irridetur a Renano, quasi ibi doceamur regnum coelorum totum consistere in dominatione, divitiis et opulentia pauperum, et pauperie ac tormentis divitum; primæ namque parabolæ sensus totus est in v. 8 «et laudavit dominus (non *Dominus*, seu Deus, sed *dominus illius villici*) villicum iniquitatis (iniquitatem namque fecerat) quia *prudenter* fecisset (non bene aut sancte); quia filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis sunt...; itaque facite vobis amicos de mammona iniquitatis (a), ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.» Nempe, bonum usum facite divitiarum, præsertim pauperibus subveniendo, ut post mortem præmium habeatis in coelo; quod planum est, et cum jure proprietatis necessario cohærens. Altera parabola divitis et Lazari recte appellata semper fuit *parabola mali divitis:* qui enim nullam videt malitiam et intolerabilem egoismum in eo qui laute vescitur et splendidam agit vitam, dum pauper ad ejus portam fame periit, quin ipsi frustulum panis tribuat, quod canibus abunde relinquit.... nec charitatem novit, nec philanthropiam, nec philosophus est, nec sensum moralem possidet. Igitur in ea nonnisi impii et duro corde divites damnantur; pauperies vero patienter tolerata debitis laudibus extollitur. Quod in alio loco allegatur (XXII, 35) mera narratio est missionis Apostolorum temporariæ sine *sacculo et pera* ad apostolicum munus exercendum, nec quidquam pro re præsenti evincit. Certe,

(a) De divitiis, quæ plurimorum peccatorum incitamenta et occasiones sunt, unde earum possessio periculosa, nisi eis cor non adhærescat, ac liber animus servetur, Deoque tantum subjectus; quopropter non possumus *Deo servire et mammonæ*.

qui quolibet tempore divitias contempserunt magni animi babiti jure sunt, præsertim si id fecerint ut magnæ destinationi se totos darent, cui sollicitudo rerum temporalium impedimento erat; atque hinc eruitur præcipua necessitas iis omnibus renuntiandi, et relinquendi patrem, matrem &c., ac se ipsos obliviscendi, ac vitam ipsam despiciendi Apostolis ac primis fidelibus toties prædicata, et ac ipsis dein executioni tradita ac sæpe laudata. Perfecta abnegatio præcipua christiana virtus est, omnibus ut altissimum ideale sanctitatis proposita, Apostolis ac speciatim a Deo vocatis præscripta; in fundatione vero Ecclesiæ maxima abnegatione opus erat, eamque Deus in corda Apostolorum ac priorum fidelium abunde immisit; sed hoc quid cum communismo, aut falsa æstimatione divitiarum ac *oeconomiæ politicæ* commune habet?

512. Idem dicas de ideis democraticis Christo et Lucæ ab adversario tributis; nihil enim de formis politicis in toto Evangelio, imo in tota Scriptura præcipitur. Utique hæc, sicut et cætera omnia hominem spectantia, ex doctrina Christi majorem pefectionem accipiunt et utilitatem capiunt; sed hoc fit indirecte, ac veluti consequentia minoris momenti, cum divina Christi revelatio res morales et religiosas immediate tantum respiceret: *omnia Christus instaure venit, sive quæ in coelis, sive quæ in terra*; sed coelestia ipse per se, immediato, in forma religiosa, per discipulos item suos et Ecclesiam sui vices gerentem; humana vero sive terrestria disputationi hominum tradidit, qui, si etiam in iis lucem ex revelatione accipere velint, optimam ambulabunt viam ac mercedem in humanarum ac terrenarum rerum progressu et perfectione recipient (*Dei* quippe *perfecta sunt opera*); si vero eam recusent, ex iisdem rebus poenam recipient, sibi tantum imputandam. Jesum quidem dicit adversarius gubernia politica ut naturales hominis pii hostes habuisse (a); sed nonnisi per summam calumniam, cum contrarium expresse doceat et per se, et per Apostolos, præsertim Paulum et Petrum (Mat. XXII, 21; 1 Tim. II, 1;

(a) Tout magistrat, ait Rénan, lui parait un ennemi naturel des hommes de Dieu; il annonce a ses disciples des démêlés avec la police, san songer un moment qu' il y ait lá matiere a rougir; et confirmat locis ex Mat. X, 17-18; Luc. XII, 11 desumptis. Sed noluit allegare vv. sequentes Mat. X, 19—20; et Luc. XII, 12, nec Joa. XVI, 33, ubi talia discipulis asserit confidenter et promittit Jesus, ut aut Deus dicendus sit (præsertim eventu secuto), aut verus amens omninoque stolidus, aut denique discipulorum deceptor.

Rom. XIII, 1...; Tit. III, 1; 1 Pet. II, 13,..). Quod si Jesus admonuit discipulos de persecutione frequenter a civili potestate sustinenda, ac *rem cum tribunalibus correctionalibus habituros* prædixit: nihil hoc imprimis mirum est, ac facile a quopiam prudente erat prævidendum; neque hoc indecorum est, quando *pro justitia* persecutio sustinetur; et optime componitur respectus et obedientia erga *potestates*, crediturque a Deo ordinatas esse, etiamsi injusta præcipientibus *præsidibus et regibus* non obediantur, sed Deo.

513. Quod nono objicitur loco nihil contra fidelitatem historicam Lucæ probat, præsertim cum Jesus tenerrima semper charitatis viscera erga peccatores ostenderit, quod omnes evangelistæ docent (a); nihil igitur mirum si quædam facta huc spectantia Lucas collegit, quæ reliqui prætermiserunt, dato præsertim speciali charactere hujus evangelii ethnicis primo destinati; ut suo loco diximus. Antiquas autem traditiones immutare Lucam ad suis affectionibus indulgendum falsissimum est, neque id evincit locus allegatus, quasi mulier *peccatrix*, quæ ex Luca Jesu pedes unxit, eadem fuisset cum *Maria sorore Lazari*, qui quidem error exegeticus ac criticus huic accusationi Renani occasionem præbuit. *Legendæ* illæ quas *Lucas in principio admittit* tales adversario videntur simpliciter quia miracula continent; sed hoc nil implicat, ac solum curare debemus an evangelista veritatem investigare potuerit, ut potuit profecto, atque an verus narrator sit, quod omnia demonstrant, nihilque prorsus contrarium suadet. Amplificationes vero quæ adversarium offendunt, sunt cantica B. V Mariæ, Zachariæ et Simeonis, quæ quidem in primis scripto tradita sunt atque ita in Lucæ manus inciderunt (saltem duo priora, nam tertium parvulum est, et viva voce transmitti potuit; deinde nihil in evangelio ea improviso composita fuisset indicat; denique hoc nequidquam fuisset impossibile data præsertim vatum conditione et canticorum indole (b) etiam-

(a) Conf. Mat. V, 39-48; VI, 14-15; XVIII, 21-35 cum l. parall.; ib. IX, 10, 13; XVIII, 11 cum parall; ib. VI, 9-13; Joa. VIII, 3—11, et pulcherrimum colloquium cum samaritana, quæ ambæ ultimæ historiæ suppositum Lucæ scopum maxime juvabant, et tamen eas non refert.

(b) Neque enim agitur de ode artificiosa græca vel latina, sed de oratione eucharistica, illis sensibus plena, imo verbis et sententiis, quæ apud V. T. non raro occurrunt, quæque familiaria esset debebant religiosissimis vatibus, ob stupendos Dei favores religioso enthusiasmo correptis, quin desint exempla similia inter hebræos et antiquos arabes, ex facili nempe poëseos genere, quæ artem vix postulat, solamque inspirationem, vel animum profundiori affectu agitatum exigit. Conf. num. 455.

si divinam inspirationem non curaremus. Undecimo adversarii argumento jam fere in nono responsum dedimus; siquidem objecta verba verosimilia sunt in eo qui inimicos diligere docuit, qui vitam pro peccatoribus dedit, qui de morte amici Lazari ac dolore et lacrimis sororum intimius contristatus est ac suspiria et gemitus et lacrimas fudit (a), denique qui Judam traditorem appellavit nomine *amici*, qui amorem patrium tenerrimum monstravit illa lamentatione prorsus divina, cui similem frustra in omni litteratura profana quæras (Mat. XXIII, 37): «Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas et lapidas eos qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti!» qui ita, inquam, semel exclamavit, cur non potuit objecta verba proferre? Cætera adjuncta in objectione proposita aut jam præoccupata sunt, aut nihil ponderis habent.

515. Denique errores chronologicos aut ignoranter aut mala fide Lucæ adversarius objicit. Imprimis enim Lucas, qui *omnia assecutus a principio diligenter*, sæpissime loquitur accidentali modo ac veluti casu de rebus chronologicis et geographicis mira cum historica veritate consonantia, ut dictum est supra, jus habet ad plenam lectorum fidem, nisi prius æquivocatio vel error historicus aut chronologicus aliusve *demonstretur*, quod sæpe tentatum est, numquam vero factum, ut speciatim circa res chronologicas tenent rationalistæ Winer, Meyer, Bleek, Michaelis, Rosenmüller, Ewald, Heinrichs, ac doctus israelita Jost in sua *Historia judaica*, qui omnes adversario nostro eruditione minime cedunt, sinceritate longe superant ac profunda rei consideratione. Et sane objectus error circa epocham *professionis* a Cyrino ordinatæ locum haberet, si *descriptio* de qua Lucas (II, 2) loquitur, esset professio a Cyrino præscripta circa annum 759 ab urbe condita, quam ipse Lucas anthonomastice vocat *professionem* (ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς ἀπογραφῆς, *in diebus professionis*, Act. V, 37), ut pote quæ judæis notissima erat, quia multas turbas excitarat, et motus Judæ gaulonitæ; dum ea quæ itineri Sacræ Familiæ ac ortui Jesus bethlehemitico occasionem præbuit, nullum fere vestigium reliquerat, cum non fuisset aliud quam operatio præparatoria, qua nomina tantum civium inscribebantur et juramentum fidelitatis exigebatur; quæ vero a Cyrino facta est, fuit verus *census bonorum*, tamquam ratio tributi imponendi, ideoque dicitur a Josepho ἀποτίμησις τῶν οὐσιῶν. Ast hæc Lucas non confundit, sed potius data opera distinguit, ne epocha nativitatis Christi confun-

(a) Hoc tantum significant illæ locutiones «fremuit spiritu et turbavit se ipsum... et rursum fremens in semetipso» Joa. XI, 33, 38, quas Rénan calumniatur, quasi gesticulationes fuissent præstigiatoris.

deretur a judæis, ideoque intra parenthesin ait: αὐτὴ ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, quod minus accurate vertitur: *hæc descriptio* prima facta est *a* præside Syriæ Cyrino (optima manuscripta versionis hieronymianæ omittunt præpositionem *a*), cum sensus constructionis græcæ, insolentioris quidem, sed ab aliis auctoribus non semel adhibitæ (v. locum apud Calmet) sit: *hæc descriptio prior fuit altera, a Cyrino præside Syriæ facta*, vel *prius facta est quam Cyrinus Syriam regeret*, et tota evanescit difficultas. Possitivum enim *prima* (quod descriptionem *secundam* supponit) hic positum est pro comparativo *prior*, πρώτη pro πρότερα, quod raro accidere concedimus cum Alexandre (*Lex. græc.*), sed in ipso evangelio Joannis ter ocurrit (I, 15, 30 et XV, 18), sequente genitivo rei comparatæ, ut in textu nostro, et apud Elianum (hist. animal.): οἱ πρῶτοί μου ταῦτα ἀνιχνεύσαντες, *qui ante me hæc investigarunt*. Quæ contra hanc priorem descriptionem, quam Lucas commemorat, a nonnullis objecta sunt, nullius sunt ponderis; Augustus enim optime eam præcipere potuit, sive in toto imperio, quod multa monumenta suadent, sive in sola Palæstina (ita enim potest intelligi phrasis aliquantulum hyperbolica, nec semel adhibita *universus orbis*); cum Herodes, in omnibus esset romanis subjectus atque eis placendi studiosissimus ac simile vero sit Augustum, jam propositum habuisse Palæstinam Syriæ subjiciendi, quod postea fecit.

Apud alios vero historiographos hujus rei mentionem non inveniri, nec apud Fl. Josephum, nihil mirum est, cum non omnia dicant omnes, nec eventus de quo agitur, necessario postulet historicam mentionem. Si quis interpretationem textus impugnaret, quatenus opinioni communi et traditionali oppositam, atque ad difficultatem solvendam denique inventam; responderemus opinionem communem nullum alium fundamentum habuisse, quam obvium sensum clausulæ, quando ad illum profundius investigandum nulla ratio existebat; quod in libris sacris et profanis non raro occurrere solet: deinde non omnino certum est talem esse interpretationem traditionalem, cum Tertullianus, non a Quirino, sed a Sentio Saturnino factam fuisse primam hanc descriptionem, cujus monumenta in romanis archiviis exstitisse sua ætate, fidenter affirmat. Sane cum tota res ex Augusto descenderet, patrocinatori suo ac vero domino morem gerere Herodes debuit, ac operationem commendavit delegato romano; qui tamen, pro consueta romanorum agendi ratione, eam executioni mandavit more judaico, nempe ut quilibet describeretur in loco propriæ familiæ, non autem præcise in loco habitationis. Atque ita omnia cohærent quæ objici consueverant.

516. Minoris adhuc momenti est anachronismus Lucæ objectus a Renan post Strauss, Baür et de Wette (quamvis hic postremus ad veritatem accedat in postremis sui operis editionibus), scilicet Lysaniam tetrarcham commemorasse, quando post 60 annos mortuus jam erat (III, 1). Certe, Lysanias, rex Chalcidis in radicibus Libani, ac filius Ptolomæi filii Memnæi ab Antonio parvulo suo regno simulque vita expoliatus fuerat fere anno 30 ante æram vulgarem; sed ipse nullibi dictus fuit rex vel tetrarcha Abylinæ, sed rex Chalcidis; quamvis probabile videatur ipsum vere possedisse Abylam (a). Post ejus mortem invenitur mentio cujusdam Zenodori, *conductoris domus Lysaniæ*, seu *patrimonii privati* domus Lysaniæ (nam Josephus distinguere consuevit *patrimonium* sive domum οἶκος, a *principatu* vel *tetrarchia*), qui quidem Zenodorus suum etiam principatum habuit, qui diversis causis et temporibus in potestatem Herodis magni venit, excepto proprio patrimonio, ac potiori jure excepto patrimonio Lysaniæ conducto. Hic vero Lysanias utrum antiquus rex Chalcidis fuerit, an potius pupillus aliquis vel extraneus, non constat; vero tamen simile videtur aliquem fuisse filium vel nepotem ejusdem nominis, qui gratiam Augusti adeptus, forte eo ipso quod e viro descenderet ab Antonio expoliatus et occisus, nonnullas regiones proprio patrimonio adjunxit, et sub dictione Augusti, tetrarchæ nomine rexit, Abyla hujus parvuli principatus metropoli; unde ætate Lucæ ac Josephi notissima ac vulgaris denominatio erat *Abyla Lysaniæ*, *Tetarchia Lysaniæ*, quæ antea nullibi occurrit, sæpe vero postea. Nam Fl. Josephus (B. J. II, XI, 5; XII, 8; Antiq. XIX, V, 1; XX, VII, 1) id facit, eamque a regno Chaldicis expresse distinguit. Igitur aliquis fuit Lysanias vere tetrarcha Abylinæ multo post mortem regis Chalcidis homonymi; et non solum Lucas eum errorem non commisit qui ei objicitur, sed sua adnotatione intelligitur Josephus (loc cit. aliisque) vix aliter intelligibilis: ac loquitur certo de hoc Lysania, tetrarcha simul cum Herode Antipa et Philippo, cujus mentionem non coactus facit, forte quia huic tetrarchiæ adjunctæ erant suo tempore aliquæ regiones circa Panneadem, ac voluit Lucas recensere omnes principatum gerentes in illis locis, ubi Jesus aliquantum saltem immoravit ac prædicavit (a).

517. Lucam denique Theodam illum, a Gamaliele in synedrio commemoratum (Act. V, 36), contra veritatem historicam ante Judam

(a) Nunc, voce ex apochrypha traditione corrupta, *Nebi Habil*, nempe Propheta Abel, inter Damascum et Balbek seu Heliopolin.

(a) Conf. hujus rei plenam demonstrationem apud Patrizzi, Wallon, Ghiringhello, Tholuck, &c.

gaulonitam exstitisse affirmare, cum tamen nonnisi post aliquot annos ab ipsus Gamalielis morte hunc Theodam rebelles motus excitasse constet; unica nominis identici ratione concluditur, cum multa sin argumenta quæ contrarium demonstrant. Etenim ex Fl. Josepho Theudas ille ab ipso commemoratus procurante Fado Judæam insurrexit, quem quasi prophetam secuta est *multitudo maxima* usque ad Jordanem, cum ipse promisisset se miraculum Josue renovaturum; ast superveniens æquitatus Fadi *multos* occidit, *multos* bello cepit, quos inter *ipsum Theudam*, quem perduxit Jerusalem. Theodas vero a Luca post Gamalielem commemoratus (qui quidem Pauli magister facile antiquum discipulum omnia edocuit quæ intra synedrium acciderant, Paulusque deinde Lucæ) seduxit *quasi quadringentos* (hæc determinatio numeri aproximativa indicium est veritatis), *occisus est*, et *omnes qui eum sequebantur dissipati sunt*. Igitur excepto nomine, et qualitate generica capitis insurrectorum, nihil commune est inter Theodam Lucæ ac Theudam Josephi; ac alius proinde fuit ante Theodam gaulonitam ex pluribus, qui tunc temporis turbas excitarunt (conf. Joseph Antiq. XVII, X, 4, 8; B. J. II, IV, 1, 3; Tacitum Hist. V, 9, &c.). Incertum vero est utrum Josephus hunc Theodam alio nomine commemoraverit, an autem omiserit propterea quod motus ab eo excitati brevi et absque magno labore suffocati sunt (quod quidem scopo Gamalielis optime quadrabat, ob idque forsan hunc et non alios citavit). Putat Sonntag cum Ewald illum fuisse *Simonem* cujus mentio fit apud Tacitum (loc. cit.); alii vero probabilius cum Wieseler *Matthiam margalensem*, qui cum Juda sefforeo motus quosdam excitarunt in postremis Herodis magni diebus et ab eo igni traditi sunt. Hæc opinio nititur identitate nominis, cum Matthias, Matthæus, Nathanahel hebraice, idem sint quam græce Theodorus, Theodotus, cujus breviata pronuntiatio est Theodas, sicut Lucani Lucas, Epaphroditi Epaphras &c. Certe Lucas, qui cum Apostolis conversatus est, præsertim cum Paulo et illis qui Antiochiam descendebant sive Apostolis, sive discipulis; qui cum sibi proposuisset suam historiam edere, omnia a principio investigare curavit; qui defectu hujus exactissimæ investigationis offensus fuerat in illis narrationibus, quas initio evangelii carpit; qui innumera argumenta sinceritatis, diligentiæ et veritatis optime assequutæ offert, quod antea demonstravimus; hic, inquam historicus jus habet ad plenam lectoris fidem, nisi in errorem lapsum eum fuisse luce clarius demonstretur; quod, ex dictis, adhuc nemo fecit, nisi pro errore accipiat cum rationalistis quidquid supernaturale est.

CAPUT LV.

De pugnis evangeliorum: de duplici J—C genealogia.

518. Quod attinet ad perantiquum evangelia impugnandi systema, sicut et cæteras Scripturas, ex innumeris pugnis et contradictionibus, quas in eis se invenisse jactat Strauss, etiam post innumeras ac valde probabiles conciliationes a christianis doctoribus propositas; cum plenam refutationem hic exponere impossibile sit, quia integro opere ac minime brevi indigerent, pauca animadvertere sufficiat (conf. n.° 708): omnium nempe locorum, quæ tamquam secum pugnantia objici solent, conciliatio invenitur apud interpretes Sacrorum Bibliorum, qui tamen in modo ea conciliandi non semper conveniunt. Ast bona fides et recta ratio postulat ut causa Bibliorum cum causa sapientum ea explicantium minime confundatur; fieri enim potest, ac sæpe accidit, ut loca qua veram conciliationem capiunt, erroneam aut minus rectam ab interpretibus vel etiam a Patribus acceperint; unum quippe ipsis constabat, in Bibliis omnia harmonica esse; ratio vero hujus harmoniæ *plene* inveniri nequit, nisi postquam ipsæ Scripturæ *plene et in omnibus* intellectæ fuerint: quod quisnam mortalium hucusque fuit assecutus? Igitur ad veram pugnam in Scripturis inveniendam necessum est ut *contraria, de eadem re, et sub eodem respectu considerata* ita demonstretur in Scripturis prædicari, ut pariter *demonstretur nullam ex allatis conciliationibus vel adducendis admitti posse*; quod, cum per octodecim fere sæcula, ac maxima quidem eruditione et vehementi studio in duobus postremis tentatum fuerit, numquam vero adeptum, argumentum præstat contra adversarios hujusmodi pugnas quotidie jactantes. Hi omnes, quando gravi studio et meditatione ducti, prætensas contradictiones invenisse sibi visi sunt, graviter etiam ac profundiori scientia biblica, critica, philologica, omnique eruditione impugnati ac prorsus devicti fuerunt, a Celso ad novissimam editionem libri Straussi ac Renani. Si vero hæc argumenta a sciolis procedant, aut ab iis qui huic litterarum generi non sunt ex

professo dediti, parum in eis immorandum est, ac ita parvi facienda, velut ea quæ medicis, astronomis, mathematicis, profundioribus politicis, chemicis &c., a garrulis hominibus et has scientias minime callentibus quotidie objiciuntur, nisi quatenus ad scandalum vitandum et reliquorum hominum seductionem necessarium est iis etiam respondere. Evangelia, cum reliquis sacris libris plurima ac validissima argumenta suppeditant veræ historiæ, veræque doctrinæ dogmaticæ et moralis a Genesi ad Apocalypsin; ergo quælibet rationabilis conciliatio admitti prius debet, quam quidquam eorum repudietur. Hæc autem omnibus objectis locis adest; quod, data diversitate temporum, auctorum, linguarum, locorum, aliorumque adjunctorum pro uniuscujusque libri origine, mirum prorsus est ac consuetas hominum vires longe superat. Cæterum ordinatam historiæ evangelicæ dispositionem et conciliationem partim vide n. 441 et 521... causas vero antilogiarum ac rationem eas conciliandi in Hermeneutica invenies; abunde vero contra incredulos præteriti sæculi apud Veith, Duclot, Barretta, Bullet &c.; contra Strauss et reliquos hodiernos rationalistas apud Tholuck, Glaire, Wallon, Ghiringhello, Freppel aliosque plurimos, tum catholicos, tum protestantes, pereruditos et fortes supernaturalismi athletas.

519. Hæc partim applicanda veniunt duabus J—C genealogiis a Matthæo et Luca propositis, quarum diversitas a Celso philosopho 2.i sæculi ad Strauss et Renan objici semper solet. Ast inutili prorsus labore; neque enim quisquam mortalium evincere potest inventas eas fuisse, nec veram contradictionem involvere. Sane earum inventio legendaria hic locum habere nequit; talis est enim rei natura, ut aut vera narratio sit, aut alicujus falsarii opus cum intentione fallendi susceptum. Hoc vero explicari nequit aut vivente Jesu, aut viventibus et scientibus Apostolis; alioquin mala fides ipsis esset tribuenda, quod repugnat, et nullus jam admittit. Deinde earum falsa inventio nullam utilitatem præseferebat, cum ortus Jesus bethlehemiticus ac progenies davidica ubique in evangeliis appareat tamquam turbis notissima, et Petrus in publica concione die Pentecostes et Paulus passim (conf. Act. II, 30—31; Rom. I, 3; 2 Tim. II, 8; Hebr. VII, 14 &c.) eam ut certissimam admittant. Numquid ipsi Apostoli nesciebant locum nativitatis sui ma-

gistri, aut certa scientia mentiti sunt? Igitur ortus bethlehemiticus, et progenies davidica Jesu notissima res erat inter Apostolos ac primos discipulos, imo inter turbas, etiamsi quidam hæc ignorarent; sed ipse Jesus huic argumento numquam institit, quod ei plus nocumenti quam utilitatis attulisset, cum ex præconceptis populi opinionibus falsam ideam Messiæ temporalis ac dominatoris potentissimi faveret, ac scopui Jesu regnum spirituale constituendi non parum hic error noceret. Nec solum absque ulla utilitate, sed summa stupiditate hæ genealogiæ inventæ a falsario fuissent, et in evangeliis admissæ, tum quia inter se prorsus dissentientes, tum quia ipsis hebraicis historiis non plene cohærentes, et primo aspectu pugnantes. Si, ut omnia suadent, evangelium Lucæ posterius evangelio Matthæi est, cur non eamdem genealogiam transcripsit, præsertim *cum ipse difficultates conciliare, ad idque obtinendum traditiones primævas immutare consueverit*, ex injuriosa Renani accusatione? Aliunde in populo hebraico genealogias familiarum, præsertim si conspicuæ essent, summa cura descriptas et servatas fuisse notissimum est, etiam post captivitatem babylonicam; quod liber Esdræ 1. et 2. demonstrant, liber Judith, Tobiæ, &c. (si tamen ii postremi tunc temporis conscripti sunt); nec mos hic in desuetudinem ire potuit, quando vividior erat spes Messiæ, e davidica familia nascituri; nec proinde oblivioni tradi poterant familiarum progenitores, saltem præcipui, etiam si scripti cathalogi domibus non servarentur, prout sane non tradebantur apud arabes, ut omnes orientalistæ docent; nec denique facinus Herodis publica archivia incendentis, etiam si verum esset, quod non admitto, metam ex dictis attigisset (a). Nihil igitur genealogiis opponi potest, præter mutuam discrepantiam et alia minuta minoris ponderis: nempe non omnes recensitos fuisse progenitores, ac aliquos saltem reges Judæ omissos fuisse, quod non inficiamur, cum non fuisset Matthæi scopus omnes prorsus recensere,

(a) Ætate evangelica ac posteriori distinctas fuisse tribus et familias, sexcentis N. T. locis constat, ac judæorum traditionibus (conf. Luc. II, 36; Rom. XI, 1; Philip. III, 5; Act. XXII, 3 coll. 34; Luc. I, 5; Matth. et Luc. in genealogiis texendis; Thalm. babyl. trac. Sanhedr. fol. 43, &c.)

ob rationem nobis ignotam; atque ex usu loquendi optime dicere potuit v. g. *Joram genuit Oziam*, omissis Ochozia, Joaso et Amasia, forte ut quamdam symmetriam obtineret triplicis seriei quatuordecim individuis constantis, ut facilius memoria retineretur, vel etiam quia documentum transcripsit, ex quo ii reges aliique probabiliter individui exciderant. Ipsa vero diversitas genealogiarum manifestissima est et omnibus patens; nec tamen quemquam ex christianis primi et alterius medii sæculi offendit, primumque a scriptore pagano res intimas christianorum ignorante objecta est. Igitur ratio earum conciliandarum inter primos christianos nota erat; impossibile nempe aliter fuit, ut et admitterentur in evangeliis, quæ publici juris erant, et ab omnibus religioso honore habita, et nulli controversiæ aut dubitationi ansam dederint ante Celsum philosophum. Deinde vero post primas christianorum generationes hæc sacræ familiæ traditio oblita est, ac proinde ratio probabilis hanc diversitatem explicandi quæri coepit, et eas quæ adduci solent sufficienter rem conficere fatetur ipse Bleek; ac nisi ita esset, nihil aliud constaret quam nostra rei ignorantia post deperditum hujus traditionis filum.—Primam commemorat Julius Africanus quam ipse ab ejusdem davidicæ familiæ successoribus traditam sibi affirmat (scribebat initio sæc. III), et asserebat utrumque evangelistam texuisse genealogiam Josephi, *sed alterum naturalem, alterum legalem*, ex lege leviratus semel ocurrente, nempe in Mathan e Salomone oriundum et Melchi e Nathan filio Davidis, quorum primus genuit Jacob patrem Josephi, alter Heli absque liberis defunctum, cujus uxorem accepit Jacob et ex eo habuit Josephum, qui proinde filius fuit naturalis Jacobi, legalis vero Heli. Hæc opinio, si generatim consideretur, nihil habet quod reprehendatur, nihil inverosimile, cum lex leviratus optime semel aut bis in longa generatione locum habere potuerit; ob idque a summis viris admittitur ac defenditur Hug, Patrizi, Wallon, Danko, et ab antiquis communiter. Habet quidem difficultates, sed hæ mirandæ non sunt in remotissima re ac cujusdam familiæ propria; ac demum falsa non demonstratur. Si vero accipiatur prout eam proposuit Africanus, sustineri nequit, ac valde dubitanda est ejus assertio a propinquis nempe Jesu rem accepisse; prout suspecta est ejusdem notitia de destrucctione archiviorum publicorum ab Herode facta. Ra-

tio dubitandi in eo sita est, quod explicatio Africani rem vere non explicat, tum quia parentes Jacobi, saltem post aliquas generationes iidem esse deberent, cum ex lege leviratus uxorem defuncti *aliquis propinquus* ducere deberet, tum quia eadem difficultas occurrit in Zorobabele et Salathiele, in utraque genealogia occurrentibus (Mat. I, 12—13; Luc. III, 27); tum præcipue quia Melchi non genuit Heli, sed *Levi* patrem *Mathat* patris Heli, qui duo, cum in quibusdam codicibus antiquitus omitterentur, ac probabiliter in eo quo Africanus utebatur, suspicio oritur hunc scriptorem rem totam proprio marte invenisse. Id tamen non obstat, quominus ejus hypothesis optime explicata, suam et quidem non spernendam probabilitatem retineat.—Alia ratio genealogias componendi multo communior inter modernos evasit, (quam tenent inter alios Ebrard, Drach, Bisping &c.) ac asserit genealogiam non Josephi sed Mariæ apud Lucam inveniri; quod textus Lucæ (III, 23) optime patitur: «*erat Jesus... ut putabatur filius Joseph, qui* (tamen Jesus non erat ut putabatur, sed) *fuit Heli, qui fuit* &c.», ὢν υἱός, ὡς ἐνομίζετο, τοῦ Ἰωσὴφ, τοῦ Ἡλὶ, &c. Huic explicationi nihil obstat, si intra parenthesim legantur verba: *ut putabatur, filius Joseph*.—Tertia denique explicatio admittit variantem in textu Matthæi, ubi (v. 16) legit: *Jacob autem genuit Joachim, patrem Mariæ*, pro *genuit Joseph virum Mariæ*, Ἰωακὶμ τὸν πατέρα, pro Ἰωσὴφ τὸν ἄνδρα, quæ, ut quisque videt, simillima lectio est, et facillime commutabilis. Nam, supposita fortuita commutatione in transcribendis manuscriptis non difficili, qua amanuensis legit Ἰωσὴφ pro Ἰωακὶμ, ubi omnes litteræ aut æquales, aut similes sunt, quod etiam in literis unctialibus evenit, facile quisquam correxit vocabulum sequens πατέρα, cum ἄνδρα, cum notissimum esset Josephum virum fuisse Mariæ, non patrem, atque ita tota difficultas orta est. Admissa hac variante lectione, omnia componuntur: genealogia vera Christi, quam promittit Matthæus, ac tres tessaradecades, quas frustra in aliis opinionibus optime conciliabis. Difficultas contra admissam explicationem unica tantum est, admissio nempe parvulæ lectionis variantis absque ullo teste critico. Sed ex dictis facillima fuit æquivocatio, ac multæ majores variantes a viris etiam catholicis, et a S. Hieronymo absque testibus criticis admittuntur, exigente nimirum contextu, etiam in hoc

capite Matthæi, ubi integra generatio interpolatur ad complendam tertiam tessaradecadem (conf. Janssens). Illud deinde lucri haberemus, quod nomen patris V. Mariæ esset in ipso evangelio, quod legitur in festo nativitatis B. Virginis, ac in festo S. Joachim; qui tamen juxta communiter receptam sententiam esset Heli, a Luca commemoratus, ac postularet proinde proprio festo evangelium Lucæ.

CAPUT LVI.

Objecta evangelio Joannis.

520. Objectio denique evangelio Joannis facta, ex ejus oppositione cum synopticis, tam in doctrina, quam in sermonis genere quem Jesu tribui, unde colligunt adversarii aut sæculo 2.° conscriptum fuisse post multa dogmata e sectis gnosticis hausta, aut saltem sermones Jesu authenticos non esse, sed a Joanne vel ab ejus discipulis compositos; difficilem solutionem non habet, licet nimium urgeatur sub primo respectu a Strauss, Hilgenfeld, aliisque scholæ tubingensis coryphæis, sub altero vero a Renan, qui plura ex illis mutuatus est. Et imprimis oppositio seu contrarietas doctrinalis a nemine demonstrata fuit, sed maxima potius harmonia, quod ex plurimis constat synopticorum, Actuum et præsertim epistolarum paulinarum locis cum evangelio et epistolis Joannis comparatis, sive in doctrina Verbi Incarnati (neutiquam a Philone derivata, conf. Archæol.), sive in spiritu *universalitatis*, ut dicunt, opposito spiritui judaismi, sive demum in doctrina charitatis. In stylo autem et modo loquendi Christi ipsius datur quidem diversitas (a); nusquam vero datur oppositio, seu nusquam hæc diversitas eumdem Christi sermonem respicit. Sane diversa ætas, auctor, scopus evangelii, diversus item loquen-

(a) Nimium tamen exaggerata, præsertim ab iis qui intimam christianismi essentiam ac spirituale mysticismum non diligunt, ac proinde sermones Christi a Joanne transcriptos horrent, quatenus ψυχικὸς δὲ ἄνθρωπος οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ θεοῦ· μωρία γὰρ αὐτῷ ἐστίν, καὶ οὐ δύναται γνῶναι (1 Cor. 2, 4).

di modus quem Jesus tenuit cum diversis auditoribus, notæ characteristicæ ejusdem evangelii, et rationalistarum confessiones omnia plenissime explicant. Istud namque evangelium post Solymorum excidium conscriptum, quando omnis spes populum israeliticum convertendi amissa erat, ac tota proinde Apostolorum activitas ad exteras nationes erat dirigenda, earum J-C actionum et doctrinarum expositionem complecti debuit, quæ gentes potius quam judæos respiciebant, et quidem eas gentes quæ in philosophia syncretistica jam tum dominante sapientiam omnem quærebant. Igitur ex plurimis quæ Jesus fecit et docuit et ab evangeliis synopticis omissa sunt, ea elegit Joannes, quæ sapientiam christianismi ethnicis commendarent supra sapientiam, quam scholarum alexandrinarum surculi prædicabant; ac earum stylo et loquendi generi aliquo modo sese accommodare studuit, quatenus doctrina ac sermones C-J hoc patiebantur. Nempe id fecit Joannes quod quilibet prudens christianus prædicator facere solet, dum eamdem doctrinam auditorum captui et conditionibus accommodat (quod Paulus in Areapago fecit); nec enim veritas historica aut divina evangeliorum inspiratio postulant, ut iisdem omnino verbis, nulla vel minima mutatione facta, etiam sensum nihil immutante, doctrina et sermones Christi exscribantur. Et hæc dicta sint, ut adversariis plus quam necessum est concedamus; multo enim similius vero est Joannem spiritum sui Magistri, quem ut Deum venerabatur, induisse, quam sermones olim auditos propriæ doctrinæ ac stilo accommodasse. Siquidem homo fervens, Jesu adictissimus, B. V. Mariæ familiaris (quæ intimiores Filii sermone servaverat et in corde suo contulerat, Luc. II, 19), ea quæ profundiora ac magis spiritualia in sermonibus Christi inveniebat, intimius servabat, avidius hauriebat, ac longa meditatione illis doctrinis et spiritui ita sese accommodavit, ut aptissimus inveniretur qui *evangelium spirituale* conscriberet; ut pote qui proprium cogitandi, sentiendi et loquendi modum in illum sui Magistri converterat; unde descendit analogia inter stylum Joannis et stylum Christi in illis intimioribus sermonibus, quos præcipue hic Apostolus servavit. Alii nempe *historiam* vitæ Jesu publicæ, licet compendiaria ratione, pertractarunt; Joannes *philosophiam historiæ hujus* Ecclesiæ reliquit. Hæc tamen minime

evincunt verum stilum Jesu ac veluti sermonum physiognomiam a Joanne servatam non fuisse; per se enim perspicuum est Jesum non ita proprium dicendi genus possedisse, ut aliud non adhiberet, quoties rei natura, auditorum conditio, ac circumstantiæ externæ hoc postularent. ¿Num Jesus minor erat magnis oratoribus, imo et vulgaribus rhetoribus, qui stylum, materiem et dicendi genus pro diversis adjunctis mutare valent? ¿Debuitne Jesus eodem modo prædicare turbis Galilææ, quæ gratissimo animo ac devotissimo corde, ut plurimum, ipsum audiebant ac sequebantur, sed rudes erant, imbecilles, ac materialisticis præjudiciis plenæ; quam suis discipulis jamjam profecturus ad Patrem in illis intimioribus colloquiis, quæ animum lectoris ita rapiunt, ut si Jesu non essent, alio superiori et sapientori ac magis divino ea tribueret? Ita pariter cum Nicodemo *doctore in Israel*, aliter quam cum rudi plebe; ita cum apologiam propriæ personæ et doctrinæ texere cogebatur, aliter quam cum omnes ut prophetam eum audiebant; ita cum innumeras objectiones, et quidem summo livore et invidia factæ, refellere coactus erat, aliter quam cum animo candore et optimis sensibus pleno audiebatur, ipsum fuisse locutum admittere necessum est. Hoc confirmatur ipsis evangelii notis characteristicis, quæ a teste oculari procedunt et quidem vividis adhuc impressionibus e contactu Magistri receptis, ex ipsa adversarii confessione (conf. n. 474). Ex eodem adversario scimus vere Jesum colloquium illum cum Samaritana habuisse (cap. 4), ac sermonem qui plurium discipulorum apostasiæ occasio fuit, ac fere Jesum periculo exposuit ceteros omnes amittendi (hoc fatetur Renan, *Vie de Jésus* 299-301; sermo est de Joan. VI, 32... et IV, 10...). Fateor quidem restrictionem appositam circa formam seu stilum sermonis Jo. VI; sed rei veritas conceditur, et strictissima analogia servatur cum stilo Jo. IV, ubi Renanus non solum ita revera Jesum locutum fuisse fatetur, sed summis laudibus doctrinam extollit ad suum finem; unde absque vera contradictione abjudicari nequit Jesu sermo Joan. VI. Ast in hoc evangelio omnia strictissima unitate procedunt, omnia intime cohærent, omnia suo loco inveniuntur, nulla prorsus distingui potest additionis nota aut compositionis systematicæ a diversis hominibus tentatæ; ergo omnia ab eodem

auctore veniunt, quando vividam servabat memoriam etiam minutarum circumstantiarum (a) vitæ ac verborum sui Magistri; ac proinde *ante quam rerum, quæ in adolescentia visæ sunt, memoria transformaretur in Joanne*, ante quam *oblitus fuisset lacus Gennesareth*, et *pulcherrimorum verborum quæ ad ejus littora audierat*. Unde plurimi jam sunt rationalistæ perfectam authentiam evangelii hujus fatentes, imo contra præcipuos adversarios eam defendentes, inter quos eminet ipse Ewald, Strussio, Baür ac Hingelfeld oppugnantibus summe offensus. Neque desunt in synopticis et Actis indicia ejusdem stili a Jesu aliquoties servati, cum eo qui præcipue, ac fere semper apud Joannem apparet (conf. Mat. XI, 25...; Luc. X, 21...; Act. I, 4-8; Mat. XXVII, 40 coll. Joa. II, 19; Mat. X, 39 et XVI, 25 coll. Joan. XII, 25: Mar. IV, 12 coll. Joan. XII, 40; Mat. X, 24 coll. Joan. XIII, 16: X, 40 coll. Joan. XIII, 20, &c.). Denique dialogismi vividitas et rapiditas, interruptiones occurrentes, quæ sermonibus Christi insperatum gyrum sæpe imponebant, occasiones quibus ex Joanne sermones illi, qui adversarios magis offendunt, habiti sunt; omnia hæc aliaque sexcenta demonstrant sermones hos verissime eodem ordine et stylo fuisse pronuntiatos; ac minime permittunt eos habere tamquam data opera compositos in schola ephesina, sive a Joanne, sive ab ejus discipulis. Non ita libri isti componuntur; et si vera esset hypothesis adversariorum, verba Christi in evangelio Joannis adscitia essent, ac veluti *commisura panni rudis in vestimentum vetus* apparerent; quod, quam alienum a veritate sit, quisquam illud legens statim deprehendet. Verum quidem est ex solo evangelio Joannis, ac præsertim ex sermonibus Christi in eo contentis, non posse historiam ejus confici; sed neque etiam ex solis synopticis, ut fatetur adversarius; imo ex inspectione Palæstinæ ita narrationem Evangeliorum determinatam ac veluti incarnatam asserit, ut quasi quintum evangelium ipsi fuerit (l. c. LIII-LIV). Ex iis deprehendere poterit cur ad *veram historiam Jesu conficiendam* opus sit evangeliis synopticis tamquam fundamentis et muris ædificii, evangelio integro Joannis tamquam ædi-

(a) Conf. cit. n. 474, et circa personam, ætatem et scopum Joannis hic utilissima n.° 463-64.

ficii coronide, inspectione locorum, ac existimatione et reverentia debita erga id quod Jesus fundavit, et *in traditione vivit*, et adhuc J-C fundatorem suum intimius novit et adorat: *Ecclesiam catholicam*, ut totius edificii stylum, genus, naturam et characterem intimius dignoscere valeamus.

CAPUT LVII.

Ratio conciliationis chronologicæ evangeliorum ac totius vitæ J—C: ordo probabilis rerum in postrema J-C hebdomada: resurrectio J-C vera.

521. Cum quatuor evangelistæ, ut diximus, diversum sibi scopum proposuerint in suis operibus enucleandis, nec cuipiam eorum mens fuerit biographiam Christi completam et rethorum legibus accommodatam edere; unusquisque doctrinam factaque Jesu sub diverso respectu et plena fere ab aliis independentia considerat, unde non parva exurgit difficultas iis, qui omnia chronologice et harmonice collocare desiderarent. Ast si hujusmodi *harmoniæ*, jam medio sæculo 2.° a Tatiano et Theophilo antiocheno tentatæ, ad minuta quæque descendere velint, labilibus conjecturis sæpe nituntur, et evangeliorum majestatem, atque simplicem simulque mirabilem compositionem lædunt. Quare ut ordinatam habeamus narrationem dictorum factorumque C-J, nonnisi splendidiora facta sermonesque ordine chronologico componere opus est; præsertim quando in evangeliis satis eorum ordo designatur, vel aperta adnotatione, vel allusione, aut ipso contextu. Ad quæ peragenda Lucæ præsertim et Joannis habenda ratio est, cum Matthæus ordinem chronologicum passim negligat, Marcus vero fere semper cum Luca consentiat. Cum autem Joannes ut plurimum ab aliis narrata omittat et omissa suppleat, quæ in Galilæa Christus fecit ipse fere tacet, nisi ad præclaram quamdam instructionem vel miraculum ab aliis omissum aliquid animadvertere cogitur; ut fit occasione nuptiarum Canæ, colloquii cum Samaritana et sermonis de *vero pane cœlesti*. Cæterum iis, qui diversa quatuor evangeliorum opponere

loca consueverunt ad pugnam in illis ostendendam, atque ut fabulosa vel legendaria opera ea traducant, impossibile prorsus est metam attingere, cum omnia demum multis verisimilibus modis componi optime possint; malam deinde fidem ostendunt, dum objectiones sæpius factas urgent, solutiones silentio prætereunt, nisi forte debiliores, ut eas irrideant; denique contra regulam criticam agunt, quæ poscit ut historiis, quarum veracitas et gravitas semel ostensa fuit, non fides statim denegetur ob quaslibet difficultates narrationis, sed potius hæc componantur inter se, dum id fieri potest. ¿Cur cum evangeliis iniquius se gerere pergant, quam cum aliis gravibus historicis, Livio e. g. et Tacito, cum Herodoto et Xenofonte non semper sibi cohærentibus, cum Flavio Josepho, non semel in Archæologia et in Bello Judaico sibi prima fronte pugnante? His igitur præmissis, et minutissimis evangeliorum fragmentis (quæ semper commodum locum obtinere in narratione possunt) in evangeliorum chronologica ordinatione, juxta dicta, neglectis; hæc nobis probabilis videtur eorum coordinandorum ratio. (Conf. dicta n.° 441, 518... ac dicenda in hermeneutica).

522. Lucas primo post brevem prologum Joannis Baptistæ mirabilem conceptionem refert, incarnationis mysterium, iter B. Virginis ad Elisabeth, Joannis nativitatem, occasionem itineris Mariæ et Josephi in Bethlehem, J-C ortum, pastorum adorationem, circumcisionem Pueri, et, omissa Magorum adoratione ex Matthæo supplenda, purificationem B. Virginis (Luc. I—II, 40). Fuga in Ægyptum, infantium ab Herode occisio, mors tyranni, reditus ex Ægypto et habitatio in Nazareth (Mat. II). Post duodecim annos remanet Puer Jesus in Jerusalem, inventusque a parentibus, iterum habitant in Nazareth (Luc. II, 41-52). Joannis Baptistæ prædicatio, Christi baptisma et tentationes in deserto (Luc. III—IV, 13). J-C iterum in Jordanem venit postquam Joannes testimonium de ipso reddiderat tum suis discipulis, tum legatis a primoribus Hierosolymorum missis, novum de Christo testimonium dat uno et altero die, unde duo ex discipulis Christum sequuntur, qui demum in Galilæam pergit, Philippum et Nathanahelem sibi adjungit (Joan. I, 19-51). Nuptiæ Canæ et primum J-C miraculum; primum pascha; prima ejectio e templo eorum qui

illud profanabant; Christus prædicat in Judæa 7 vel 8 mensium spatio. Nicodemum instruit; discipuli Joannis de Christo queruntur eo quod et ipse baptizaret, et Joannes iterum magna de Jesu loquitur; iter in Galilæam per Samariam; colloquium cum muliere Samaritana et civibus civitatis Sichar (vel Siquem); adventus in Galilæam; sanatio filii reguli Capharnaum, dum Christus esset in Cana (Joan. II-IV). Christus venit Nazareth, cum antea magna miracula fecisset Capharnaumi (quæ Lucas supponit IV, 23), prædicat in synagoga et a contribulibus pellitur, redit Capharnaum ibique ut plurimum manet, brevibus missionibus hac illac interea susceptis (Luc. IV, 14-VII). Hic locum habet demoniaci sanatio et socri Simonis aliorumque, sermo de navicula, mirabilis piscatio et leprosi mundatio; paralyticus sanatur, Matthæus vocatur et Jesu domi convivium facit, discipuli spicas vellunt, curatur in sabbato habens manum aridam, Apostoli eliguntur, sermo in monte habetur; servus Centurionis, filius viduæ Naim, legati Joannis ut Christum interrogarent quis esset, mulier peccatrix Jesu pedes ungit. Venit Jesus Hierosolymam ad *festum judæorum* (ut nobis videtur, secundum pascha) ibique paralyticum in piscina sanat, judæorum murmuri respondet se Filium Dei dicens, et illis in sua incredulitate relictis, Galilæam redit (Joan. V). Diversas parabolas turbis proponit, Mater ejus ad eum venit, lacum Gennesareth navigat et tempestatem sedat, in Gadarenorum partes venit, ubi dæmoniacum liberat; rediens hemorroisam sanat et filiam Jairi suscitat, Apostolos ad prædicandum mittit, post quorum reditum, in desertum pergit et panes primo multiplicat (Luc. VIII—IX, 17, quæ etiam Joan. habet, una cum sermone cui hæc panis multiplicatio occasionem præbuit, cap. VI). Proximum tum erat tertium pascha (Joan. VI, 4), tamen Christus non venit in Judæam, sed circa partes Cæsareæ et phoeniciorum perambulat; unde fit ut pharisæi quosdam ad eum mittant ut illum observent. Interea, occasione data ex fama Christi percrescente et ad Antipam veniente, narratur mors Joannis; postea ambulatio Christi supra mare; pharisæorum querelæ ob traditiones patrum a Christi discipulis neglectas, eorumque redargutio; mulieris syrophoenissæ filiæ, ac surdi et muti sanatio; septem panum multiplicatio (Mar. VI, 46—VIII, 9, quæ Lucas omittit).

Jesus discipulos interrogat super ipsius dignitate, et Petro primatum super Ecclesiam promittit; passionem prænunciat, transfiguratur, dæmoniacum liberat; Hierosolymam, ire statuit per Samariam, septuaginta duos discipulos ad prædicandum præmittit, de sua dignitate messianica et divina discipulos edocet eodem ac apud Joannem dicendi stylo (conf. Luc. X, 21...); parabola de vero proximo misericordiam faciente; in castellum Bethaniæ descendit (Luc. IX, 18—X). Hierosolymam, non cum suis fratribus, sed post eos ascendit ad festum tabernaculorum; in templo docet; mulier adultera; judæorum increpatio; coeci nati sanatio; parabola boni pastoris (Joan. VII—X, 21). Inter festum tabernaculorum et dedicationis (de quo Joan. X, 22) extra Jerusalem Christus prædicat; modum predicandi docet, signum Jonæ prophetæ proponit, incredulitatem judæorum notat, hypocrisim pharisæorum durius increpat, varias instructiones discipulis proponit, de persecutionibus admonet; parabola divitis, quis sit fidelis dispensator; poenitentia ab omnibus agenda, ficus infructuosa, mulier sabbato a fluxu sanguinis liberata, parabolæ grani sinapis et fermenti, porta angusta, Jerusalem evertenda (Luc. XI—XIII). Ingressus Jerusalem a judæis interrogatur num ipse sit Christus, cumque se æqualem Deo declarasset, ab ipsis lapidari periclitatur, propter quod ultra Jordanem secedit (Joan. X, 22-42). Hic collocari possunt, et partim forte in Jerusalem ante discessum, quæ Lucas pulcherrima tradit de invitatis ad coenam, de abnegatione, de eo qui vult turrim ædificare, de ove et drachma deperditis, de filio prodigo; villicus infidelis, duo domini non serviendi, matrimonium indissolubile, dives et Lazarus; de scandalo, de remissione injuriarum, de fidei efficatia; decem leprosorum mundatio in itinere per Samariam et Galilæam versus Hierosolymam, judicium postremum a Christo instituendum, parabolæ super orationis perseverantia, de pharisæo et publicano, pueri se ante illum sistunt, quid ad vitam consequendam servandum sit, quid vero ad majorem perfectionem (Luc. XIV—XVIII, 30). Lazarum suscitare venit Bethaniam, ob judæorum machinationes secedit in civitatem Ephrem, sed cum proximum esset quartum pascha iterum Hierosolymam venit (Joan. XI). Interea coecum sanat in itinere Jericho, et, civitatem ingressus, Zachæus eum ex-

cipit, Jesus parabolam de decem minis proponit (Luc. XVIII, 35—XIX, 28). Tunc demum Bethaniam venit, a Maria inter coenandum ungitur, Jerusalem triumfans ingreditur, cæteraque omnia locum habent, quæ circa Eucharistiæ institutionem, divinum prorsus sermonem Apostolis factum, passionem, mortem, resurrectionem variasque apparitiones ab omnibus evangelistis traduntur, præsertim Joanne et etiam Luca. Inter hæc præcipua facta dictaque Jesu cætera collocanda sunt, vel minoris momenti, vel quæ absque ordine prorsus chronologico interdum narrantur, præsertim a Matthæo; neglectis formulis illis: *tunc*, *post hæc*, *statim*, *in diebus illis*, quæ ordinem chronologicum non indicant, sed potius ordinem narrandi et historiæ transitiones minus accuratas, si cum classicis narrationibus comparentur; quod extra scopum Evangelistarum est. Igitur, si loca tantum indicare velimus, quorum ordinata series historiam evangeliam constituit hæc fere habebimus: Luc. I-II, 40; Matth. II; Luc. II, 41-IV, 13; Joan. I-IV; Luc. IV, 14-VII; Joan. V; Luc. VIII-IX, 17 una cum Joan. VI; Marc. VI, 46-VIII, 9; Luc. IX, 18-X; Joan. VII-X, 21; Luc. XI- XIII; Joan. X, 22-42; Luc. XIV-XVIII, 30; Joan. XI; Luc. XVIII, 35-XIX, 28; postea vero omnes Evangelistas, sed Joannem et Lucam præcipue.

Ordo probabilis rerum gestarum in postrema C-J hebdomada.

523. Ante sex dies paschæ venit Jesus Bethaniam ab Jericho, die nempe veneris circa occasum solis, nam hoc sabbatum erat dies sextus ante diem paschæ, nec probabile est Jesum sabbato tantum iter egisse, ac proinde illud servavit apud amicos Bethaniæ. Die post sabbatum prima, 5.ª ante pascha, fecerunt ei coenam in domo Simonis leprosi, a Christo forte mundati; Maria pedes et caput Jesu ungit, ex quo Judas occasionem accipit suæ defectionis. Hæc sabbato locum non habuere, nec judæi a Hierosolymis venire potuerunt Bethaniam, quindecim stadia distantem; ergo die 1.ª post sabbatum (Joan. XII, 1-9). Sequenti die, 4.ª ante pascham, principes sacerdotum Lazarum interficere cogitant, quoniam fama ejus resurrectionis multos moverat ad eum videndum, præsertim postquam cognoverant illuc Christum venisse: Jesus triumphans ingreditur Hierosolymam, turbas puerosque illum laudantes contra pharisæos defendit, templum ingreditur, profanatores secundo ejicit, multos sanat ægrotos, turbam ex gentibus sibi a Philippo oblatam

accipit, atque hac occasione plura docet (Joan. XII, 10-50, supplendus ex Luc. XIX, 29-48). Utrum hac ipsa die vel sequenti hæc omnia locum habuerint definire non audeo. Ad finem diei revertitur Christus Bethaniam, factoque mane rediens Hierosolymam, ficu infructuosæ meledicit, templum ingreditur, pluresque captiosas quæstiones solvit ab emisariis synedrii propositas; quod quidem mutuo omnium sectarum consensu id decreverat, ut pote quæ populum timebant, ac proinde cum Juda convenerat de traditione J-C occulto facienda. Postquam vero Christus pharisæis, saducæis ac herodianis responderat, ipse demum interrogat de persona Messiæ, aliquas parabolas proponit ut adversariorum duritiem ostenderet justamque futuram punitionem, ac denique vehementi accusatione increpat. Hierosolymis egrediens, templi ac civitatis excidium prædicit ac de judicii die sermonem facit (omnia fere apud Matth. a cap. XXI, 17 ad XXV, 46). Per hos dies in templo docebat, et noctem in olivarum monte transigebat (Luc. XXI, 37-38). Die tertia decima mensis Nisan (lato sensu ab evangelistis dicta *prima dies azymorum*, cum hæc dies vere inciperet a vesperis diei 14, sed vulgari usu totus hic dies azymorum diceretur, eo quod in illo fieret *fermenti expurgatio*, ac proinde vulgari usu dies azymorum a vesperis diei 13 inciperet) jubet Christus discipulos parare pascha, quod nocte illa celebravit, Eucharistiam instituit, discipulorum pedes lavit, humilitatem, charitatem, firmamque spem commendavit pluraque alia tenerrima locutus est, postquam Judas Ischariothes ad traditionem consumandam exierat. Quo præcise momento singula facta sint certo definire nequeo· probabile existimo prædictionem traditionis Judæ bis aut ter locum habuisse, tunc pedes discipulorum fuisse lotos, inter coenandum Judam abiisse, Eucharistiam tunc fuisse institutam, ac demum longam illam orationem ad discipulos et ad Patrem habuisse, etiam in itinere continuatam, una cum prædictione defectionis omnium Apostolorum, præsertim Petri, qui tamen convertendus erat cæterosque omnes confirmaturus (Luc. XXII, 7-18; Mat. XXVI, 29. 21-25; Joan. XIII, 1-XVIII, 1, omnia ordine suo, sed paucis in Joan. supplendis ex Luc. et Mat. præsertim Mat. XXVI, 26-28). Venit Jesus in hortum, ibi ter orat, agoniam patitur et ab Angelo confortatur; tunc Judas venit cum militibus sibi a sacerdotibus traditis, Jesumque deosculatur, cujus aspectu ac voce primum perterriti satellites in terram cadunt, demum post initium resistentiæ a Petro factæ et a Jesu impeditæ, eum apprehensum ac ligatum trahunt in domum Annæ, dum discipuli omnes, relicto eo, fugerunt. Inchoatur judicium, cumque Jesus graviter respondisset pontifici, a quodam ministro alapam accipit: hæc adhuc summo mane locum habent, sicut et indigna J-C a satellitibus

tractatio, quæ verosimilius post synedrii sententiam in domo Caiphæ facta est, dum Jesus e concilio inter deliberandum fuerat eductus. Interea Petrus Christum a longe sequutus, et a Joanne pontificis noto adjutus, in atrium Annæ penetraverat, ubi ter a pluribus, sed a quibusdam ancillis præcipue interrogatus num discipulus esset Jesu, illum ter negat, usque dum a gallo admonitus, et a Jesu aspectus, dum ad Caipham ferebatur, exiit foras et flevit amare (conf. ordine suo Luc. XXII, 40-48; Joan. XVIII, 4-27, paucis adjectis ex Matt. vel. Luc.). Collecto synedrio in domo Caiphæ, quæ forte contigua Annæ erat, Christus iterum interrogatur et damnatur; in prætorium adducitur, quo judæi nollunt intrare ne contaminarentur, propterea que Pilatus exiit ut eos audiret; tunc Christum ad Herodem mittit, qui iterum remittit ad Pilatum; demum post quædam tentamina ad Christum a morte liberandum, Pilatus *adjudicavit fieri petitionem eorum;* statimque Jesum ducunt ad calvariæ *locum,* eum crucifigunt circa meridiem, ibique demum circa mediam vesperam moritur et ante solis occasum e cruce tollitur ac perfunctorie sepelitur (Luc. XXII, 66-XXIV, 53 suplendus ex Joan. XVIII, 28-XIX, 42).

Circa mediam fere vesperam petierunt a Pilato judæi ut frangerentur crura crucifixorum, ne sabbato in crucibus corpora penderent; paulo vero post accessit Josephus ab Arimathæa, qui Jesum jam mortuum sciebat, et petiit ejus corpus, quod Pilatus de more concessit postquam a Centurione certus factus est de vera Jesu morte. Interea venerunt judæi, ac crurifractionem latronum præceperunt, non vero Jesu, ut pote jam defuncti; quem tamen unus militum lancea pectus et cor transverberavit (Joan. XIX 31..., Mat. XXVII, 57...). Sepulturam Jesu, quam diximus perfunctorie factam in horto *Josephi proprio,* viderunt mulieres quæ Jesum comitabantur ac de *facultatibus suis ministrabant* (Luc. XXIII, 55; Mar. XV, 47), ac deinde recedentes emerunt aromata, ut post sabbatum cadaver Jesu melius componerent; sed Mariam Magdalene credo diversorium habuisse cum Petro et Joanne, ac seorsum ab aliis mulieribus et Apostolis (Luc. XXIII, 56). Sabbato adhuc mane petierunt pontifices a Pilato ut sigillo et militum custodia muniretur sepulchrum, quod factum est (a). Dominica die cum

(a) Hoc Rénan gratis negat, sed mendacium esset in evangelio Matthæi, non enim hoc narratiunculæ legendariæ tribui postest; neque aliunde concipitur rumor sparsus, quem Rénan admittit, circa milites pecunia corruptos, eo magis vero similior, quod ii milites romani non fuerunt, sed ex custodibus templi, Mat. XXVII, 65-66, unde nihil mirum si non romanorum severitate consueta puniti sunt.

adhuc tenebræ essent venit Maria ad sepulchrum (probabiliter juxta conventionem cum reliquis feminis habitam, ut cadaver Jesu componerent; Joan. XX, 1), cumque sepulchrum vacuum vidisset, quoniam paulo antea Christus surrexerat (Mat. XXVIII, 2... ubi occasione adventus mulierum, quem promiscue narrat ex more, quod ante factum fuerat describit), domum cucurrit, ac eventum Petro et Joanni nunciavit, qui quidem festinantes venerunt ac verum esse nuntium didicerunt (Joan. XX, 2; Luc. XXIV, 12). Deinde in domum redeunt (Jo. XX, 10) atque reliquos discipulos adeuntes, quod factum fuerant nunciant. Paulo post redit Maria ad sepulchrum, Jesum vivum adorat et ad pedes ejus ruit (Jo. XX, 12-17 coll. Mar. XVI, 9, *apparuit primo*). Reliquæ feminæ interea summo mane ad sepulchrum properant, quo orto jam sole perveniunt, de remotione lapidis sollicitæ, non vero de sigillo et custodia, quam ignorabant: sepulchrum vacuum vident, Angelos resurrectionem nuntiantes, ac, dum redeunt, ipsum Jesum, quem adorant ac pedes deosculantur (Mat. XXVIII, 1, 5-9; Marc. XVI, 1-8; Luc. XXIV, 1-10). Maria Magdalena nuntiat jam discipulis ressurectionem (Joa. XX, 18), quam deinde reliquæ feminæ confirmant (Luc. XXIV, 10), quin fidem obtineant (Marc. XVI, 11; Luc. XXIV, 11). Ipsa die apparuit Jesus Petro (Luc. XXIV, 31), ac circa vesperam discipulis euntibus in castellum Emmaus, qui revertentes id Apostolis nuntiant, nec fides ipsis tribuitur (Mar. XVI, 12-13; Luc. XXIV, 13-33, 35). Nocte jam facta apparet Jesus domi decem Apostolis (Mar. XVI, 14; Luc. XXIV, 36-43; Joa. XX, 19-23), ac post octo dies ipsis cum Thoma, qui eum palpare invitatur (Joa. XX, 24-29). Postea venerunt in Galilæam, ad montem ubi constituerat illis Jesus (Mat. XXVIII, 16), ipsum vident in lacu Tiberiadis (Jo. XXI, 1-24), deinde in monte (incognito) ubi missionem accipiunt (Mat. XXVIII, 16-20. Denique, aliis aparitionibus ab evangeliis omissis (1 Cor. XV, 5...), alia fit Hierosolymis, ubi postquam cum discipulis manducavit et bibit, eos duxit contra Bethaniam, atque, datis quibusdam instructionibus ac præceptis, in coelum ascendit (Luc. XXIV, 44-53; Joa. XX, 30-31; XXI, 15; Act I, 3-12).

524. Ex quibus patet diversas evangelistarum narrationes pro singulorum scopo *diversas* non *contrarias* esse; ac facta præcipua: *mortem*, *resurrectionem*, *diversasque apparitiones* ab omnibus commemorari. Non quidem minutim hoc faciunt, neque alter ex altero narrationem sumit, aut componere intendit; sed sufficienter pro eorum scopo (cum omnia orali prædicatione fideles edocere possent), ac summa ingenuitate et animi candore. Certe, qui evangelia scripserunt, totaque discipulorum multitudo, resurrectionem et ascensionem plena

fide crediderunt; quæ si factæ non sunt, explicent adversarii illorum fidem et agendi rationem. Et imprimis, quid de corpore Christi factum est? Nempe in sepulchrum non fuisse depositum nemo est nunc qui defendat: ibi mansisse et putrefractum fuisse (licet non præcise in loco ab evangelistis designato) solus Strauss, contra omnium documentorum fidem defendit; qui tamen fatetur se coactum ad quamlibet *explicationem naturalem* christianismi inveniendam, ne igni tradere sua scripta universa cogatur (Leben Jesu &c. 1864). Renan vero nihil interesse quæstionem hanc asserens, quinque saltem hypotheses fingit, quarum cum nulla admissibilis sit, velo rem operire desiderat (tirons le voile sur ces mystères. *Les Apôtres*). Hypotheses vero sunt hæ: 1.ª aliqui discipuli cadaver adsportaverunt in Galilæam; 2.ª forte ipsi judæi ad vitandum tumultum; 3.ª dominus horti, ægre ferens ibi fuisse sepultum; 4.ª femina quædam, forte Maria soror Lazari; 5.ª denique *casus* (un petit hazar suffit pour élever l' édifice de la foi universelle!). Quæ omnia pugnant 1° cum fide discipulorum firmissima circa resurrectionem; 2.° cum militum custodia; 3° cum defectu temporis, cum solum sabbatum intercesserit, quo homines pii nec rem attentare, minusque perficere quiverunt; 4° cum utilitate et agendi rationi judæorum, statim enim rumor sparsus est resurrectionis, qui *error* ipsis erat *pejor priore* (Mat. XXVII, 64); 5ª cum discipulorum pussillanimitate et fidei defectu ante resurrectionem creditam; 6° cum multitudine eorum qui Jesum viderunt; 7° cum identitate modi quo multis simul apparuisse credebatur, quod in hallucinationibus mentalibus nusquam evenit; 8° multo minus hallucinati *eadem omnino verba et præcepta* a phantasmate audiunt, aut cum eo loquutur (conf. præcipue Luc. XXIV, 36-43; Jo. XX, 19-23; ib. 24-29; ib. XXI, 1-24; Mat. XXVIII, 16-20; Marc. XVI, 15-18; Act. I, 3-12, &c.); 9° nec hallucinationes locum habent nisi *juxta* statum animi, non vero *contra*; quod in casu nostro occurrit, cum et Maria Magdalena, et reliquæ feminæ, et Apostoli desperatum animum haberent, Jesumque ut amicum jam in perpetum amissum deflerent, quod fatetur Renan; 10° ut multa alia omittam, ex dicipulorum immutatione, Pauli conversione, Ecclesiæ fundatione, mundi civilizatione veraque redemptione, quæ omnia ex privatæ feminæ delirantis somnio procederent in hypothesi renanica. Igitur hæc, et materialiter impossibilis est, et invincibilibus difficultatibus premitur, et sensum hominum communem lædit, et proinde rem explicandam non explicat, ut nihil dicam de pugnis quas secum admittit.

CAPUT LVIII.

Scripta N. T. didactica: paulinarum epistolarum character et genuinitas: argumentum inde deductum pro axiopistia evangeliorum ac vera miraculorum existentia: persona Pauli: ordo epistolarum chronologicus.

525. Scripta didactica N. T. appellantur paulinæ epistolæ et catholicæ; id est, quatuordecim epistolæ Pauli, et septem aliæ a Petro, Joanne, Jacobo et Juda conscriptæ. Et ista quidem scripta in primis *epistolæ sunt*, nempe ab auctoribus suis ob peculiares circumstantias et ad scopum peculiarem obtinendum ad ecclesias vel personas particulares ut plurimum missæ; non autem ut doctrinales tractatus spectari possunt. Verum quidem est doctrinam religiosam in ipsis tradi magis minusve evolutam, sed ob causas illis temporibus, et ecclesiis, et personis convenientes; unde fit, ut plena et systematica doctrinæ religionis tractatio minime in illis sit quærenda. Quare illarum auctores, et Paulus præcipue, modo ecclesias a se fundatas et cognitas personas salutat, modo reprehendit, aut edocet, aut gratias agit, aut pro suis meritis gloriatur in Domino. Ecclesiarum vel personarum, ad quas scribit, peculiares circumstantias recenset, pericula removere studet, objectiones solvit, animos vacillantes roborat, conversionem commemorat, contra suos adversarios se præmunit, ad propriam personam, historiam, characterem, labores, zelum, conversionem, gratias acceptas, sæpissime alludit: uno verbo, sunt epistolæ istæ veræ epistolæ, et in hoc tantum discrepant a communibus, quod nempe a Spiritu divino inspiratæ fuerunt ad Ecclesiæ universæ instructionem, ædificationem, et doctrinam divina sapientia refertam perpetuo valituræ.

526. Ex hoc epistolarum, paulinarum præcipue, charactere accidit, ut Apostolus in illis optime depingatur, et primarum ecclesiarum res, et prædicationis evangelii difficultates et pugnæ, et plurimæ locorum, temporum et personarum circumstantiæ ingenuo et vivido et veritate pleno colore depictæ, ad nos usque fuerint transmissæ; non

quidem data opera, sed veluti per accidens, absque previâ intentione, pro necessitate aut commoditate occurrente. Unde fit, ut epistolarum paulinarum genuinitas se ipsam ostendat, nec argumentis externis indigeat; quibus tamen nullo modo caret, sed ita abundantiora sunt, ut ab audacissimis nostri temporis criticis agnoscatur et concedatur. Epistolæ paulinæ alluduntur in epistola Jacobi (vel e contra, passim), citantur a Petro (2 Pet. III, 15), sæpe a Clemente alex., Tertulliano et universis coætaneis et posterioribus Patribus. Aliqua argumenta mota quidem sunt et moventur circa quasdam earum, quæ suo loco refellemus, sed pleræque ab omnibus nunc criticis ut genuinæ habentur. Quæ quidem genuinitas maximi prætii habenda est; nam in illis plurimi referuntur aut pro veris supponuntur evangeliorum eventus, et quidem supernaturales; ac proinde narratio evangelica confirmationem recipit a teste omni exceptione majore, ut pote acerrimo primum hoste Apostolorum et christianorum, postea vero evidentiæ vi converso, cum Apostolis familiariter conversante, quique proinde factorum veritatem ab oculatis testibus plurimis edoceri potuit, ut de supernaturali ejus instructione taceamus. Plurima item sunt in iis epistolis ad historiam in Actibus Apostolorum narratam alludentia, et eo quidem modo, ut nusquam id data opera factum sit in alterutrius libri locis parallelis; sed casu, ut ab autoribus res synchronas referentibus, sed diverso modo et scopo, ac prorsus independenter, fieri solet. Unde argumentum invictum exurgit pro genuinitate et veracitate Actuum, ex qua genuinitas et veracitas evangelii Lucæ etiam demonstratur ab eodem auctore conscripti, ac demum hinc cætera evangelia plenam lucem et confirmationem accipiunt. Deinde Paulus sæpe alludit ad eventus supernaturales vel in se, ut apparitionem Christi in via Damasci, et extases, et doctrinam coelitus acceptam, vel in aliis, ut commemorationem donorum linguarum, prophetias, gratias curationum, vel demum a se patratos, ut dum Corinthiis, et Ephesiis, et Thesalonicensibus in memoriam revocat *signa* sui apostolatus: *in signis, et prodigiis, et virtutibus* (σημεῖα, τέρατα, δυναμεῖς), quæ sunt eadem verba quibus miracula in evangeliis designantur. (Conf, 1 Cor. XII, 1-10...; XIV, 22; IX, 1; XV, 8; Gal. I, 12....; 2. Cor. XII, 2.,.; 1 Thes. I, 5; Ephes. III, 7 &c). Quæ si conferantur

cum iis quæ narrantur in Actis (conf. e. g. XI, 28; XX, 23; XXI, 4, 10, 11...), præsertim de tempestate a Paulo prædicta, de liberatione omnium cum eo navigantium, ac de miraculis in insula Melita ab eo patratis et a Luca medico, ut talibus, relatis; vere ea omnia accidisse planum fiet, nisi utrosque ut impostores traducere velimus; quod omnes alicujus nominis christianismi hostes nunc temporis rejiciunt. Verbo: paulinæ epistolæ ita genuinitatis et veracitatis characteres secum portant, ut omnes demum criticos pro se habeant; ita cum Actis conveniunt, ut hunc librum plane historicum demonstrent et veracem; ita liber hic cum 3.° evangelio concordat, ut illi eamdem veracis historiæ proprietatem vindicet; ita cum cæteris, maxime duobus prioribus, connexum est evangelium hoc, ut, si vera narret, etiam cætera verum narrare necessario concludas; ita demum rerum supernaturalium et miraculorum in iis epistolis mentio fit ab ipso patratore, et ipsis pro quibus patrata sunt, ut nec mendacium hic locum habere possit, et solum incredulis restet Paulum Apostolum, lumen gentium, ut stupidum, aut visionarium, aut mente captum traducere; quod fidem omnem superat, majusque miraculum foret. Ergo ex epistolis paulinis recta ratiocinatione deducitur evangeliorum veracitas et historica fides, et miraculorum quæ christianæ religionis prædicationem comitata sunt, realis existentia. Atque hinc jam intelligitur Dei providentia, quæ in libro a Se inspirato ea esse voluit, quæ ad Ecclesiæ utilitatem nihil conferre primo videbantur, ut pote prorsus personalia vel localia: illis nempe veracitas et genuinitas historiæ evangelicæ mire confirmantur, etsi iis opus non fuisset.

527. Paulus, antea Saulus, Tarsi in Cilicia patre judæo natus, ipsaque nativitate civis romanus, primam educationem in sua patria recepit et scenofactoriæ artis peritus factus est. A patre pharisæo Jerosolymam ductus est, ut in Gamalielis schola plenius in lege educaretur. Tantum in sua secta profecit, ac ita factus est paternarum traditionum æmulator, ut christianismo recens nato infensum bellum adhuc juvenis inferret, et morti Stephani protomartyris adfuerit. Grandior effectus cum romani fere plenam auctoritatem in rebus religionis et inferioribus, ut Josephus testatur, judæis reliquissent; a sacerdotibus litteras accepit ad synagogam Damasci, ut si quos christianos invenisset, vinctos perduceret in Jerusalem. Jam prope Damascum Christus ei apparuit, et loquutus est, et convertit, et excæcavit; ast civitatem in-

gressus Saulus ab Anania mirabiliter visum recuperavit et baptizatus est. Quæ postea pro fide christiana fecit ex suis epistolis, præsertim ad Galatas, et Actis Apostolorum dignoscuntur (conf. n. 460). Ipsius vitæ et epistolarum chronologia ex sequenti synopsi magna probabilitate habetur.

	Anni æræ vulgaris.	Ordo epistolarum chronologicus.
528 Pauli conversio (Act. IX). .	35	
Ex Arabia per Damascum primo Jerusalem venit, et paulo post Tarsum (Gal. I, 17-18; Act. IX, 26-30.	38	
A Barnaba Tarso Antiochiam deducitur (ib. XI, 25).	41	
Cum collectis Anthiochia mittitur Hierosolymam (Act. XI, 30)	42	
Antiochia cum Barnaba primam suscipit missionem in Cyprum et inferiores partes Asiæ minoris (Act. XIII).	42	
Ad concilium hierosolymitanum Antiochia pergit (Act. XV).	52	
Antiochia 2.° ad gentes pergit, per Asiam minorem, Macedoniam et Achaiam (Act. XV, 36....).	52	
Corinthi commoratur per annum et 6 menses (Act. XVIII, 1).	53—54	1.ª et 2.ª ad Thessalon.
Hierosolymam (aut saltem Cæsaream) quarto venit per Ephesum (Act. XVIII, 18.....)	54	
Antiochia tertio proficiscitur, et Ephesum venit (ib. XIX). , ...	54	Ad Galatas.
Prædicatione Ephesi brevi interrupta venit Macedoniam.		1.ª ad Timotheum.
Et Cretam.	56	1.ª Corinth., ad Titum.
Et Ephesum redit.	57	
Inde circa festum Pentecostes per Macedoniam proficiscitur (Act. XX, 1).	57	2. Corinth.
Hieme Neapoli transacta, Corinthi		

	Anni æræ vulgaris.	Ordo epistolarum chronologicus.
per 3 menses commoratur (Act. XX, 3).	58	Ad Romanos.
Quinto venit Hierosolymam et in vincula conjectus Cæsaream ducitur (Act. XXI, 17....).	58	
Inde Romam mittitur autumno (Act. XXVII, 1—70)	60	
Romam advenit tempore verno. . . .	61 63	Ephes., Colos., Philem, et Philippenses.
Liberatur vere.	63	Ad Hebræos.
Altera vice captivus est Romæ. . . .	66?	2.ª ad Timotheum.
Ibi gladio interficitur.	67	

CAPUT XLIV.

Epistola ad Romanos: status ecclesiæ romanæ: scopus epistolæ: argumentum: præstantia.

529. Ecclesiam romanam a Petro fundatam et optime ordinatam fuisse ante Pauli Romam adventum, immo ante epistolæ hujus compositionem, evidentissime ex illa deducitur; talibus enim laudibus illam prosequitur, ita bene ordinatam et rectam supponit, ut nonnisi ab aliquo apostolo id factum fuisse demonstretur, qui solus Petrus juxta perpetuam traditionem fuit, et quidem ab anno 42, si fides Eusebio sit. Illa enim erat ampla (XVI, 3. .), ex judæis et ethnicis constabat (IV, 1...; VII, 1...; XI, 13) in quibus ethnici majorem partem constituebant (I, 5, 6, 13; XV, 15-16); accurate edocta erat novam salutis æconomiam, nam Apostolus eam videre cupiebat, non ut instrueret, sed ut simul consolaretur ob mutuam fidem, et hanc rursus in memoriam eorum revocaret (I, 11-12; XV, 14-15); præpositos et magistros idoneos habebat (XII, 6....); inimicitiis insuper judæorum exposita non erat, cum isti, post expulsionem utrorumque a Cajo imperatam, ab ea separati fuerint, ut colligitur ex verbis primorum judæorum Paulo factis (conf. cap. I cum Act. XXVIII, 22...); denique nec contentiones et rixæ erant inter judæochristianos et ethnicochristianos, ut ex XV, 8-16 constat.

Quare nullum in hac epistola nec in tota traditione vestigium adest illius contentionis, quæ a pluribus excogitata est ad rationem reddendam scopus et doctrinæ epistolæ ad Romanos, quæque proinde non optime ab ipsis perspecta est. Tota enim ratio ejus non in adjunctis romanorum, sed Pauli invenitur; in desiderio nempe a Paulo longe antea concepto Romam veniendi, ut muneri suo, tamquam gentium Apostolo, satisfaceret in occidentalibus partibus, post ecclesias jam ab ipso in tota Asia minori et Græcia fundatas. Hæc perspicue constant ex I, 10...; XV, 20.... (etiam I, 5, 6, 13), unde scimus (conf. præsertim XV, 23, 29, 32), omnia bene ordinata esse Romæ, nec Paulo mentem fuisse quidquam corrigere vel judæos aut ethnicos reprehendere de propriis meritis, quibus ad fidem, ut dici solet, vocati erant, gloriantes; sed potius ob suam fidem et virtutem consolari in Domino, et tanti boni aliquam sibi partem sumere; immo tantum abest ut necessarium duceret romanis scribere, ad lites nescio quas dirimendas, ut potius se excuset de epistola data et doctrinis per eam communicatis, ex eo quod, *ut Apostolus gentium*, illis etiam debitor esse sibi videretur (XV, 14, 15).

530. Hinc, ad romanos præparandos suo proximo ad eos adventui, epistolam scripsit, qua penitiorem cognitionem ipsis præbere vult magni illius boni, cum religione christiana suscepti. Itaque multis persequitur omnium hominum necessitatem ab infelici illo statu, in quem ante evangelium promulgatum inciderant, exurgendi, et impotentiam finis hujus assequendi alio quolibet medio, sive in mosaica lege, sive in humana philosophia: religionis christianæ scilicet necessitatem demonstrat, ut hominum genus salvus fieret. Cum autem in suis prædicationibus multas judæorum objectiones refellere coactus fuisset, eas hic negligere noluit; ideoque epistola nostra demonstratio evangelica est, cum polemica parte conjuncta; ac demum multa hortatoria et moralia habet romanæ ecclesiæ statui convenientia, prout ipse a cognatis suis et familiaribus, qui Roma venerant, fuerat edoctus. Itaque epistola ad Romanos nihil aliud est quam præparatio et demonstratio evangelica ad usum fidelium, qua christianæ religionis *necessitatem* et *præstantiam* demonstrare possent adversus infideles, sive ethnicos, sive judæos; ad quod accedit adhortatio romanis facta ad quasdam virtutes sectandas, quædam vitia fugienda, et ad eos præmuniendos contra «illos qui dissensiones et offendicula contra doctrinam *quam vos*

didicistis (bene ergo instituti erant a Petro) faciunt»; quod cum circa finem et inter salutationes varias (XVI, 17) legatur, numquam spectari jure potest ut finis epistolæ præcipuus. Hoc Paulus argumentum ita prosequitur, ut sæpe illud interrumpat ad objectiones solvendas, vel etiam ad salutaria monita danda, iterumque ad illud redit, quod difficultatem non minimam interpreti movet.

531. Præmissa salutatione, epistolæ thema proponit (I, 16-17) iis verbis: «Virtus enim Dei est (evangelium) in salutem omni credenti, judæo primum et græco. Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est: justus autem meus ex fide vivit.» Hoc primo evincit ex facto, miserrima nempe gentium degradatione circa fidem, religionem et mores; quin tamen judæi gloriari hinc possent et ethnicos judicare, cum ipsi etiam damnationem meruerint ob transgressiones legis scriptæ sicut gentes ob non servatam legem primævam, unde necessitatem omnium arguit salutis obtinendæ per fidem in Christum (cap. I—III). Deinde sequitur expositio doctrinæ evangelicæ de salute obtinenda per Christi merita *gratis* hominibus applicanda, mediante fide in Ipsum, ut subjectiva conditione; quod omnibus sive ethnicis sive judæis necessarium est. Hinc tamen nihil circumcisioni et veteri legi opponitur, cum ex V. T. constet justificationem non ex operibus legis concessam fuisse et justitiam, quod ps. XXXI, 1.. et Abrahæ exemplo evincit, qui fide justificatus est, non circumcisione, cum potius hanc acceperit *ut signaculum justitiæ fidei quæ est in præputio* (nempe adhuc in præputio jam crediderat). Fructus hujus per fidem in Christum acceptæ justificationis late dein persequitur (c. IV—V, 11). Comparationem instituit inter Adam et Christum, quorum primus damnationem uno peccato attulit hominibus, secundus justificationem multo abundantiorem; unde tamen eruere non licet in peccato perseverandum esse, ut gratia Christi abundet, cum inter peccatum et hominem Christo renatum oppositio maxima sit. Similiter peccatum dominium in homines amisit, qui non sub lege sunt, sed sub gratia; peccare tamen non licet, nam vita nostra servitium est, sive obedientiæ ad justitiam, sive peccati ad mortem (c. V, 11—VI). Homines sub gratia jam esse probat exemplo uxoris, quæ, viro demortuo, liberata est a lege viri.

Dein effectus legis proponit in homine naturaliter legi relicto, et in peccata ruente ob legem concupiscentiæ pugnatem contra legem mentis. Lex enim bona in se est, sed propter humanam concupiscentiam occasio potius peccandi. Novum igitur ethicæ vitæ principium, quod in christianis locum legis implet, est gratia promerita a J-C; cujus quidem effectus hic comparantur cum effectibus vitæ secundum carnem (c. VII—VIII). Ast ¿quomodo explicandum est partem longe maximam populi judaici, qui saluti primus erat desdinatus, in incredulitate relinqui, et gentes in ejus locum admitti? Objectionem istam sæpe Paulus audierat, eique responsum afferre desiderat. Hoc quidem magno animi sui dolore videbat, sed Dei justitia ob id non erat violata; nam promissiones Abrahæ factæ sunt et ejus semini spirituali, nempe per fidem, non carnali; et Deus misericordiam pro beneplacito largitur. Judæi ob indurationem relicti sunt et incredulitatem, etsi ipsius Moysis præcepta reduci possint ad *cordis fidem ad justitiam et oris confessionem ad salutem*. Ideo fides omnibus anuntiata est, ut omnes crederent, quod multi judæi recusarunt; sed eorum omnium lapsus irreparabilis non est, quia totus populus demum christianismum professurus est, secundum investigabiles vias Domini (c. IX—XI). Denique in parte parænetica plura dat salutis monita, ut puritatem servent, proximum diligant, orationi instent, potestatibus subditi sint, charitatem sectentur, firmiores infirmioribus tolerantes sint, aliaque salutaria valde tradit, multisque salutationibus epistolæ finem imponit.

Scripta fuit epistola ad romanos Corinthi, anno 58.° Hoc evidentissime patet ex historia Pauli (Act. XIX, 21; XX, 1-21; Rom. XV, 25-27; XVI, 23 (coll. 1. Cor. I, 14); XVI, 1 &c. simul collatis). Contrariæ objectiones facili negotio solvuntur. Genuinitas item indubia est semperque fuit, ut ex omnibus N. T. catalogis constat, ex Iren., Clem. alex., Tertul., Theoph. antioch., Polycar., Clem. rom., immo hæreticis Basilide, Valentino, Marcione. Capita vero XV et XVI a pluribus impugnata sunt, quia 1.° juxta Origenem in codice Marcionis non erant, 2.° diversi textus critici in collocanda doxologia (XVI, 25-27) variant, 3.° faustorum apprecatio ter occurrit (XV, 33; XVI, 20; XVI, 24), propter quod ter finita supponitur, quod ineptum est. Ast 1.um nihil movet, cum mos esset Marcionis libros sacros mutilare; 3.um non demonstrat ibi indicari epistolæ finem, sicut nec voce *amen* (c. XI) indi-

catur; 2.um demum optime explicatur ex hujus epistolæ usu liturgico, cui tot salutationes finales minus inserviebant, ac proinde omissæ sunt in publica lectione, et aliquibus exemplaribus huic lectioni inservientibus; unde doxologia ad finem capitis XVI posita, ad finem XIV in margine scripta fuit (cum caput XV jam suam haberet), indeque in textum facile irrepsit.

532. Inter paulinas epistolas facile eminet ad romanos scripta, gravitate et profunditate doctrinæ, ut ex dictis facile colligitur. In ea docet Apostolus imbecillitatem humanæ rationis et naturæ ad recte cognoscendum et agendum in negotio omnium maximo, vita scilicet hominis religiosa et morali; hujusque imbecillitatis causam aperit in concupiscentia repositam, contrarietate nempe humanorum affectuum ex primo Adami peccato derivata, in quo omnes moriuntur. Ita fænomenon explicat ab omnibus cognitum, a nemine explicatum; quamvis antiquis populorum traditionibus et institutis religiosis, præsertim sacrificiis, veluti delineatum jaceret. Simul normam exhibet religionis necessitatem et præstantiam optime demonstrandi, *ex factis* et historia, non ex hypothesibus vanis, aut ideis nescio quibus humanæ menti essentialibus et circa rerum essentias versantibus. Ast ipsa etiam doctrinæ profunditas et forma antithetica occasionem præbuit multis erroribus circa naturæ humanæ vires et gratiæ necessitatem, sicut et bonorum operum vim ad justificationem. Hinc contraria docuerunt valentiniani, prædestinatiani, pelagiani ac demum protestantes, qui postremi tandem ab immani majorum suorum dogmate de sola fide justificante pene omnes recesserunt.

CAPUT LX.

Epistola 1.ª ad Corinthios: occasio: paulina Corinthi prædicatio et status illius ecclesiæ: epistolæ argumentum: annus et locus inscriptionis: genuinitas: præstantia.

533. Corinthus Achaiæ caput, celeberrima et florentissima civitas ob commercium (cui duo portus Kenchrensis et Lechæus optime inserviebant), litterarum culturam, templum Veneris a plusquam mille hierodulis turpi admodum cultu honoratæ, post destructionem a Mummio factam anno 146 et reædificationem a Julio Cæsare anno 43, pris-

tinam opulentiam adepta erat, ut a Cicerone *lumen totius Græciæ* diceretur. Illuc Paulus venit in sæcundo itinere ac mansit in domo Aquilæ, judæi pontici Roma pulsi cum reliquis a Cajo, ibique manibus vitam sustinens in synagoga prædicabat in infirmitate et timore, post adventum vero Timothei et Silvani e Macedonia, majori vi et fiducia, ad quod etiam valde roboratus fuit divina revelatione. Paucis judæis conversis, in quibus Crispus, synagogæ primas, multi ex gentibus veram doctrinam receperunt, quam Paulus prædicabat in domo Simonis Justi, postquam ob judæorum duritiem synagogam deseruit. Illi autem coram Gallione, fratre Senecæ, Achaiæ proconsule, Paulum adducentes, ab eo missi sunt, quin eorum supplicationibus acquiesceret. Demum post octodecim menses Paulus Syriam ivit, paucis diebus Ephesi transactis.

Itaque ecclesia corinthiorum ethnicis ut plurimum collecta, mores præteritos et vitia non plane correxerat, ob idque satis afflictus Paulus fuit quando eam secundo invisit *in transitu* (conf. 1 Cor. XVI, 7; 2 Cor. II, 1; XII, 14, 21; XIII, 1, 2), et in altera epistola (deperdita) jam reprehenderat (1 Cor. V, 9 coll. V, 11). Emendatos vero eos non fuisse per domesticos Chloes intellexerat, sed potius improbanda plura didicerat. Illi enim philosophorum et rhetorum verbis et eloquentiæ assueti, Pauli pedestrem sermonem despiciebant quo ipse data opera usus fuerat (conf. I, 22—23; II, 2-4) ne humanæ eloquentiæ tribueretur evangelii triumphus, atque etiam ut corinthiorum carnalium et de rebus religionis parum curantium captui sese accommodaret; quæ quidem agendi ratio ipsis displicuit, præsertim post adventum Apollonis, viri eloquentis et potentis in Scripturis. Quare dissidia orta sunt, inter eos qui Paulum venerabantur et eos quibus magis Apollo placebat, quibus major perturbatio accessit ob judaizantes quosdam Hierosolymis venientes, qui ab Apostolo Petro se missos gloriabantur, et legem mosaicam observandam necessario esse effutiebant. Itaque alii dicebant *ego sum Pauli*, *ego Apollo*, *ego Cæphæ*, *ego autem Christi* (hoc postremum eos denotat quibus hæc dissidia displicebant), fere ut philosophiæ addicti de suis magistris gloriabantur, eorumque systemata inter se conferebant. Quæ schismata profundam excissionem nondum creaverant, sed simplicitati christianæ fidei, et morum sanctitati valde erant periculosa. Interea isti gloriosi infandum scelus in ecclesia tolerabant, hominem scilicet

uxori patris sui incestuose junctum. Inter eos etiam dubia quædam et lites exortæ erant, quorum solutionem a Paulo per epistolam rogaverant, de matrimonio nempe et virginitate, de idolothytis quibus alii communiter vescebantur, alii sese abstinebant, ut pote cibis idolis consecratis. Plures item abusus erant, in litibus etiam coram judice laico agitatis, in feminarum audacia, quæ libertate christiana male intellecta in omnibus se viris æquiparabant, in agapis, ubi nullus ordo servabatur et alii esuriebant dum alii ebrii essent, sicque ad Eucharistiam non digne accederent, in gratiarum, quas gratis datas dicunt, inordinato usu; demum quidam difficultates opponebant mortuorum resurrectionis christiano dogmati.

534. Docet itaque Apostolus, post corinthiorum objurgationem, quare ipse ad eos non venerit in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in *ostensione spiritus et virtutis*, ne christiana doctrina humanæ sapientiæ admixta appareret, quæ stultitia est apud Deum; ne ejus virtus evacuaretur, ne audientium captum superaret, quibus adhuc lac tamquam parvulis præbendum erat, sapientia vero solis perfectis; se autem et Apollo et reliquos evangelii ministros nihil nisi ministros Christi esse, qui super id quod ipsi plantant et rigant, incrementum dat. Eos reprehendit ob incestuosum illum quem tolerabant, quemque ipse ad tempus tradit satanæ, id est, excommunicatione plectit; in eorum lites insurgit, adeo nomini christiano probrosas, præsertim coram ethnicis magistratibus, ac vult ut ipsi judices arbitros eligant, qui suas quæstiones dirimant; impudicitiam gravius damnat in homine christiano, cujus corpus Domino est consecratum. Virginitatem præferendam nuptiis asserit, sed tantum iis quibus data est; matrimonio junctos a se invicem non discedere, nisi forte ex consensu ad tempus ut orationi vacent; in matrimoniis inter fidelem et infidelem, partem christianam hortatur ne alteram partem dimittat, si hæc habitare consentiat; quod si discesserit, discedat, hujus enim *servituti* pars christiana subjecta non est; unusquisque in eo statu permaneat, quo vocatus est, circumsionis sive præputii. Idolothytis vesci per se licitum est, propter conscientiam tamen fratrum non satis excultam ab eis abstinendum, dum scandalum ingerunt, quod proprio exemplo inculcat; salutarem ipsis metum in-

cutit ne et ipsi cadant, sicut israelitæ tot a Deo beneficiis cumulati; fugiendum igitur omne peccatum, eorum præsertim qui ethnicorum conviviis interesse audebant, quod christianæ disciplinæ maxime repugnabat. Qui in conventibus sacris abusus erant acerrime reprehendit; discussionem conscientiæ præcipit iis qui ad Eucharistiam accedunt, hujusque institutionem a Christo ex revelatione acceptam tradit: inter dona Scriptus Sancti tunc frequentiora ordinem docet, charitatem omnibus præferendam tradit; donum linguarum speciatim ut infidelibus utile *in signum* repræsentat, quo edocemur hujusmodi gratias vere supernaturales et miraculosas fuisse. Demum mortuorum resurrectionem certissime futuram prædicat, ac difficultati ea comprehendendi simili alia germinationis sementium occurrit; collectam fidelibus commendat pro pauperibus Palæstinæ, variisque salutationibus epistolam claudit.

535. Epistola hæc scripta fuit Ephesi (XVI, 8, 9, 19), non Philippis ut aliquæ subscriptiones portant; verbum autem διέρχομαι (XVI, 5) per futurum cum nostra vulgata vertendum est. Collatis XVI, 1-4; Act. XIX, 21...; 1 Cor. IV, 17; XVI, 10... quibus discimus tunc collectam fieri, Timotheum et Erastum in Macedoniam perrexisse, Paulum solum Ephesi manere, circa festum paschale epistolam missam esse per Stephanam ejusque socios (cui festo alluditur V, 7...); concludere licet anno 57.°, verno tempore, Ephesi scriptam fuisse.

536. Genuinam esse epistolam hanc nemo inficiari aussus est, et ab antiquissimis monumentis constat, ab ipso etiam Clemente romano, qui ea sæpe utitur. Etsi vero sub aspectu dogmatico epistolæ ad Romanos æquiparanda hæc non sit, maximam tamen gravitatem habet, præsertim pro ecclesiastica disciplina. Ex ipsa discimus oppositionem inter mundanam et divinam sapientiam, hæc enim sapientibus hujus mundi stultitia est, illa vero, divinæ adversa, etiam stultitia est coram Deo; discimus munus et relationem ministrorum evangelii coram Deo et populo, qui Dei et omnium fidelium servitores sunt, atque ab eis tantum quæritur ut fideles sese exhibeant: virginitatem matrimonio præstantiorem ex Christi instituto et doctrina esse edocemur: demum Ecclesiam organismum esse ad instar humani corporis a Spiritu Sancto animatum, quod etiam in epistola ad Ephesios iterum inculcat.

CAPUT LXI.

Epistola 2.ª ad Corinthios: occasio et scopus ejusdem: argumentum: dogmata quæ continet: Galatia: occasio et scopus epistolæ ad Galatas: doctrina contenta.

537. Cum Paulus Epheso pulsus iter in Macedoniam suscepisset cum proposito Corinthum etiam eundi, Titus, qui illuc missus fuerat ad ecclesiæ statum inspiciendum, ad eum venit et statum corinthiorum aperuit. Nempe salutarem effectum prima epistola egerat, multa correcta erant, incestuosus ecclesia pulsus, et maxima fidelium pars aflicta ob dolorem quem Apostolo paraverant sua agendi ratione, eique summam affectionem testabantur. Ast non omnino ordinata omnia fuerant; adversarii Pauli multa exprobrabant, eo quod propositum eos visendi (comp. 1 Cor. XVI, 5-6 cum 2 Cor. I, 15-16) deseruerat, aut saltem nimis dilatum colligebant, eumque inconstantem leviorisque ingenii traducebant; primam sui defensionem inani gloriæ tribuebant; per epistolas acrem, facie vero humilem et imbecillem eum dicebant; demum laudem a Paulo vindicatam, eo quod evangelium gratis ipsis prædicasset, infirmare calumniis conabantur, quasi nempe indirecte per collectas pecuniam extorqueret. Ob hanc relationem sibi a Tito factam judicavit Apostolus animos prius præparandos altera epistola, quam ipse Corinthum veniret, ad molestias tum adversariis, tum ecclesiis melius devitandas. Itaque hanc epistolam misit ad fideles sibi addictos confirmandos, adversarios redarguendos et forte convertendos, propriam denique agendi rationem tuendam; imminuta enim aut contempta sui existimatione et auctoritate, impos fuisset ad ecclesias a se fundatas regendas, fidelium saluti et gentium conversioni consulendum, divinamque gloriam procurandam. Scripta fuit in Macedonia anno 57.º, quin locus præcise determinari possit.

538. Incipit epistolam actione gratiarum ad Deum qui

eum a magnis periculis liberaverat, etiam propter corinthiorum orationes; rationem reddit cur nondum Corinthum venerit juxta promissa, nempe ut illos parcere posset, si antea in se reversi fuissent; ne suas laudes canere videatur lectores ipsos invitat ut ejus agendi rationem considerent, eamque ita defendit ac doctrinam laudat; inter calamitates plurimas se bono animo semper prædicare dicit spe remunerationis futuræ, magnitudinem beneficii salutis a Christo paratæ in memoriam revocat, lectoresque hortatur ut illius memores, dignos gratia se reddant; mutuum amorem erga eos exponit, monetque ut ab omni cum idololatria commercio immunes sint. Collectam iterum commendat (c. VIII, et IX) exemplo ecclesiarum Macedoniæ aliisque argumentis, et Titi duorumque sociorum qui eam erant asportaturi, fidelitatem laudat. Ad se rediens adversarios confutat, rogatque ne severitatem exercere, postquam venerit, eum cogant; se asserit non gloriari nisi de meritis veris, idque ob fidelium utilitatem ut a seductoribus caveant; ab omni lucri studio alienum se iterum prædicat; prærogativas quas habet cum adversariis communes aut etiam præstantiores recenset, revelationes et visiones; severiorem futurum se pollicetur nisi emendationem curent ante ejus adventum; ut se bene probent monet, ac demum brevi adhortatione et salutatione epistolam claudit.

Finem sibi propositum obtinuisse Paulum suadet longa ejus mansio Corinthi (Act. XX, 3), eleemosynarum collectio (Rom. XV, 26; XVI, 1), et veneratio hujus ecclesiæ erga eum, cujus testis est Clemens romanus ad eosdem scribens. Epistolæ ambæ ad Corinthios etiam ad omnes Achaiæ ecclesias directæ erant (2 Cor. I, 1), earumque genuinitas a nullo unquam in dubium vocata fuit; quod maxime interest ob facta evangelica et C-J resurrectionem hic commemoratam.

539. Licet ob hujus epistolæ scopum, pauca ibi dogmatica inveniantur; aliqua tamen sunt non levis momenti, quibus Apostolus suis argumentis vim conciliare nitebatur. Talia sunt N. Testamenti supra V. præstantia (III, 6...), mundi redemptio per mortem Christi (V, 14-21), corporum resurrectio extremumque judicium (IV, 16; V, 10), potestas ligandi atque solvendi etiam in foro externo, qua Apostoli, eorumque successores gaudent (II, 10; X, 4....). In ar-

gumentorum ordine et natura, atque compositionis arte longe præstans epistola hæc est, licet difficile sit absque profundiori lectione hæc animadvertere; ipsa etiam est quæ Pauli animam melius ostendit, ejusque penitiorem dilectionem erga Christum ostendit.

540. Epistola B. Pauli ad Galatas. Galatæ (Γαλαται forte Καλται, id est, Celtæ) populi erant in Asia minori circa fluvium Halyn degentes, eorumque civitates præcipuæ Ancyra, Tavium et Pessinus. A populis antiquis, quos romani vocarunt *Trocmos* et *Tolistobojos*, quibus accessit celtica tribus *Tectosagum* originem ducebant, qui in rudera macedonici imperii sæculo 3° ante C. incipiente impetum fecerunt, ac post varias vicissitudines terræ tractum admodum fertilem tenebant, qui Bityniæ, Phrygiæ, Cappadociæ, Ponto et Paphlagoniæ interjacet. Etsi romanis subjecti ab anno 188—C., sub propriis principibus vixerunt ad annum—26, quo provincia romana ab Augusto Galatia facta est. Judæi etiam, etsi non multi, in Galatia erant, ut ex Josepho constat et ipso hujus epistolæ argumento colligitur.

541. Paulus ecclesiam ibi fundaverat optimo successu, et neophytorum tenerrimum affectum obtinuerat (conf. Act. XVI, 6; Gal. IV, 14...) ibi ægrotaverat (Gal. IV, 13), et magnam illorum virtutem viderat (ib. III, 2-5). Sed quidam judæi e Palæstina venientes omnia pervertere conati sunt, prædicando necessitatem veteris legis servandæ, cujus rei gratia se a magnis Hierosolymorum Apostolis et Ecclesiæ columnis missos gloriabantur, Palumque ut intrusum traducebant; unde plures seducere valuerunt. Paulus in tertio suo itinere galatas invisit (Act. XVIII, 23) et contra hos seductores præmunivit, sed post ejus dicessum iterum illis obtemperarunt (Gal. IV, 9-10), non obstantibus demonstrationibus amoris et adhæsionis Paulo factis (Gal. IV, 18). Cum autem similes prædicationes ab hebræis non prorsus ad christianismum conversis passim fierent, maximasque perturbationes excitarent, in ecclesiis præsertim e gentilitate conversis, valde intererat eis obviam ire perspicua declaratione relationis inter utrumque Testamentum existentis, et virtutem redemptionis Christi et novæ religionis spiritum vere catholicum, seu universalem, in tuto ponere; quod maxima eloquentia et zelo, simul et sapientia et charitate in hac epistola Paulus effecit. Galatæ etiam vitiis quibusdam dediti erant, dissidiis præsertim et voluptatibus, ut in omnibus magnis et florentibus civitatibus romano imperio sub-

jectis passim commune erat. Atque hæc fuit hujus epistola occasio.

542. Itaque epistola ad Galatas classicum opus est quo Paulus suam sententiam de judaismo et christianismo edocet, opera scilicet Legis ad justificationem jam non esse necessaria. Unde 1° suum munus apostolicum et auctoritatem tuetur, levitatem galatarum arguit, pseudo-apostolorum mala consilia detegit, placita damnat, propriumque studium Deo placendi ostendit. 2° Suam doctrinam tuetur ob divinam sui vocationem, agendi ratiònem, concordiam cum cæteris Apostolis, et Petri objurgationem a se Antiochiæ factam. 3° Adversam sententiam refutat, eo quod Spiritum Sanctum ipsi galatæ receperant non ob legis observantiam, sed fide in Christum; item ex promissione Abrahæ facta, quam lex non irritam fecit; ex ipso legis scopo ejusque relatione ad Christum (conf. III, 19-IV, 20); denique factis V. T. typicis (ib. IV, 21-31). 4.° Eos revocare studet ad usum christianæ libertatis et ab abusu deterret. 5° Demum exprobrat infidelitatem, ignaviam, superbiam pseudoapostolorum, et brevi salutatione epistolam claudit.

543. Scripta hæc epistola fuit Ephesi, in quarto itinere Apostoli, anno 54; nam Paulus bis galatis prædicaverat (IV, 13-16, *jam pridem*, gr. το πρότερον), nempe in 2° et 3° itinere (Act. XVI, 6 et XVIII, 23), et paulo post hanc epistolam dedit (I, 6); hoc ergo factum est Ephesi, quo statim venit, ac diutius permansit. Epistolæ genuinitas ab omnibus fere semper suscepta est catholicis et hæreticis, præsertim marcionitis, qui in ea, sicut hodierni rationalistæ, basim proprii systematis constituebant, oppositionem nescio quam invenientes inter *Apostolos jerosolymitanos* et Paulum, ipsa epistola reclamante (c. II passim, præcipue v. 9), nec non Luca in Actis (XV, 28...). Quæ ex illa adversus narrationem Lucæ deducta sunt, nullius sunt roboris, ut plane demonstravit Freppel, et in commentariis passim videri potest.

CAPUT LXII.

Epistola ad Ephesios, encyclica: occasio et scopus illius: argumentum: locus et annus scriptionis: Epistola ad Philippenses: prædicatio Apostoli Philippis: occasio, scopus et argumentum: locus et annus compositionis.

544. Ephesus, Joniæ caput, templo Dianæ celeberrima, commercio florentissima, et speculationibus *gnosticis* valde, sicut et superstitionibus magicis, dedita, sæpissime nominatur in Actibus Apost., ut pote quæ prædicationem et opera Pauli multo tempore audierat. Ad ecclesiam ibi fundatam inscripta est epistola a Paulo, Romæ in prima captivitate degente, ac re ipsa illuc fuit missa, ut ex Ignatio M., Iren., Tertul., Epiphan. aliisque constat; non tamen æque certum est ad istam tantum ecclesiam vel potius ad plures alias, tamquam epistolam encyclicam scriptam fuisse. Nam Marcion eam ut ad laodicenses scriptam habebat; inscriptio *ad ephesios* in pluribus codicibus, S. Basilio testante, deerat; demum argumentum epistolæ non ad ephesios, vel potius non tantum ad ephesios directam fuisse suadet. Nam uni loco speciatim convenientia nulla hic leguntur; in fine desunt salutationes consuetæ nominales, sed tantum adest formula vaga; nemo comitum Pauli nominatur, ut in epistolis synchronis ad Colos. et Philem. fit; nullam mentionem facit eorum quæ sibi evenerant Ephesi aut ipse patrarat, sed potius plures lectores incognitos et ab alis conversos supponit (III, 1...; I, 15 coll. Colos. IV, 8; VI, 20, 21). Valde igitur probabile videtur epistolam encyclicam fuisse, ad plures vel omnes Asiæ minoris a Paulo fundatas ecclesias; quæ tamen ab antiquis nomine donata est Ephesi, quia erat totius Asiæ pro consularis metropolis, et etiam ex inscriptione «Epheso» in exemplare primævo existente. Ita omnia exposita bene explicantur, quin tamen Marcioni assentiamur, qui *tantum* ad laodicenses scriptam putabat, quæ *etiam* ad eos directa fuit; unde intelligitur locus (Colos. IV, 16), qui pluribus ansam dedit aliam epistolam *ad laodicenses* apocrypham admittendi.

545. Sollicitudo Pauli pro ecclesiis asianis, et timor ne falsi doctores judæi, *gnosi* servientes, et syncretismum religiosum prædicantes, neophytos perverterent, occasio fuit huic

epistolæ conscribendæ, ut ex ejus contextu colligere licet, epistolæ ad Colos. parallelo, et etiam epistolæ ad hebræos, nisi quod hæc christianis ex judaismo, illa vero ex gentilismo ortis scripta fuit. Itaque confirmare lectores intendit in religione suscepta, eos contra doctrinam speciosam quidem, et se *scientificam* dicentem præmuniens. Quod modo hortatorio peragit, ita tamen, ut profundiorem mysterii redemptionis et perfectæ salutis in christiana religione tantum obtinendæ tradat. Deinde ad moralia transit, multaque præclara de vita christiana docet, quæ ex epistola ad Colos. compleri debent.

546. Primo Deum laudat ob salutem evangelicam ab æterno paratam, nunc vero manifestam hominibus, ad majorem laudem et gloriam Dei; propter quod gratias agit Deumque precatur ut augeatur cognitio horum et scientia, præsertim magnitudinis gloriæ fidelibus reservatæ, et Christi excellentiæ, a Patre suscitati a mortuis et in coelum elevati (cap. I). In memoriam lectoribus revocat pristinum infelicem statum in quo degebant priusquam ad tantam felicitatem vocati essent, beneficiumque extollit ipsis collatum, non meritis propriis, sed gratia Dei; quod ethnicis præsertim majus erat, diruto muro ipsos a populo judaico segregante (c. II). Commemorat munus ipsi demandatum evangelium gentibus prædicandi; quare lectores hortatur ut in cognitione salutis per evangelium adeptæ et supereminentis charitatis Christi progrediantur (c. III). Ad moralia transit fundamentum vitæ christianæ in unitate fidei constituens, et unione cum Christo omnium capite, unde fluit per totum corpus (seu Ecclesiam organismo viventi hic comparatam) spiritus illud informans, et ad perfectionem usque ducens; unde sequitur necessitas vitæ præcedenti valedicendi, et vitiis et passionibus corpore mystico indignis, docetque doctrinam omnem huic contrariam esse rejiciendam (c. IV—V, 20). Officia tradit parentum, conjugum, liberorum, servorum et dominorum; ad vigilantiam omnes adhortatur, ad pugnam et orationem; ea vero quæ apud se sunt, per Tychichum epistolæ portatorem edocendos esse asserit, faustaque lectoribus apprecatur (c. V, 21-VI).

547. In captivitate romana et quidem mitiori, qualis in Act. Apost. depingitur, scriptam fuisse hanc epistolam una cum Colos. et Philem. constat ex III, 1-7; VI, 20; Colos. I, 24-27; IV, 3; per Tychichum missas fuisse ex VI, 21;

Colos. IV, 7, 8, 9: circa finem captivitatis ex Philem. 22; quæ omnia incidunt in annum æræ vulg. 63.

548. Epistola ad Philippenses. Philippi, urbs in prima Macedonia circa Strymonem fluvium sita, et jure italico ab Augusto donata, dicitur *prima civitas* Act. XVI, 12; quo non indicatur ipsam provinciæ caput fuisse, quod erat Amphipolis, sed tantum honorificum titulum, aliquando pluribus ejusdem provinciæ civitatibus concessum. In ea Paulus evangelium primo prædicavit postquam in secundo suo itinere in Europam venit. Licet satis florens divitiis et commercio esset, pauci tamen judæi illic degebant, qui non synagogam sed tantum *domum orationis* extra urbem habebant (Act. XVI, 13). Lydia quædam purpuraria primo conversa et baptizata est, quam multi sequuti sunt, donec Paulus et Silvanus, ejecto demonio a quadam puella quæ divinando magnum quæstum suis parabat, ab illis ob quæstus cessationem offensis in judicium vocati sunt, virgisque cæsi et in carcerem detrussi, a qua prodigio liberati et a magistratibus dimissi, illinc exierunt, relicto Luca (probabiliter) qui fundatam ecclesiam perficeret. (Conf. Act. XVI)

549. Philippenses magno amore Paulum prosequuti sunt, atque ut illi opem ferrent, bis collectam pecuniam miserunt Thessalonicam et Corinthum (IV, 16; 2 Cor. XI, 8, 9); cumque ejus captivitatem Romæ cognovissent, iterum pecuniam per Epaphroditum miserunt; unde teneri affectus Pauli erga florentem et virtutibus claram ecclesiam philippensem magis magisque creverunt. Quare, post periculosam Epaphroditi ægrotationem Romæ, eum Paulus remisit cum hac epistola, qua gratias agit philippensibus ob munus acceptum, gratulatur ob virtutes, patientiam præsertim in adversis ab ipsis toleratis (IV, 10-14) edocet quæ ad se suumque præsentem statum pertinebant, vota quibus eos prosequebatur ostendit, et ad pacem, charitatem, vitæ puritatem cæterasque virtutes colendas invitat. Blandior et jucundior hæc epistola est, in qua tenerrimum Pauli cor ostenditur, et eloquentiæ christianæ affectibus intimis plenæ præclara exempla leguntur. Doctrinam dogmaticam bis tantum pertractat (II, 5-11; III, 9-12), ut fundamentum et motivum moralis hortationis. Leves etiam discordias inter quosdam philippenses exortas componere tentat, ac contra pseudo-doctores præmunit, sed ita tamen, ut non remedium damno præsenti, sed futuro possibili afferre videatur.

550. Genuinitas hujus epistolæ, levibus omnino argumentis a Baur impugnata, tota traditione constat, optimeque congruit adjunctis temporis et personarum, ut ex aliis documentis et Actis Apost. discimus. Eam commemorant Irenæus, Clemens Alex., Tertullianus, etiam Polycarpus in epistola ad eosdem philippenses, et universi catalogi ac textus manuscripti et versiones antiquæ.

551. Scripta fuit Romæ, in prima Pauli captivitate, eo tempore quo ejus causa proximum exitum exspectabat (II-3...; I, 25; I, 20; II, 17; II, 23); quibus locis discimus incertum fuisse Apostolum de sua proxima sorte, quamvis prosperam sibi blandiebatur, ideoque post duos annos, de quibus Act. XXVIII, 30 sermo est, scripta hæc epistola videtur. Id confirmatur ex eo quod in ipso prætorio detentus Paulus apparet (I, 13) et intimiores relationes cum domo Cæsaris habuisse, in qua aliqui conversi ab eo fuerant (IV, 22). Hinc etiam ratio reddi potest antiquæ traditionis de epistolis inter Paulum et Senecam apocryphis, nam doctrinam Pauli aliquatenus a Seneca cognitam fuisse demostratur hac epistola, cum Burrus, præfectus prætorii, amicus esset Senecæ, et catenæ Pauli *manifestæ factæ essent in omni prætorio et in cæteris omnibus* (1, 13); quare nonnulla Senecæ dogmata, quæ a philosophis minime didicerat, immo doctrinæ suæ stoicæ repugnantia et christianæ proximiora, ex prædicatione Pauli orta fuisse optimo jure colligimus, ut nihil de præcendenti ecclesiæ romanæ fundatione a Petro facta dicamus.

CAPUT LXIII.

Epistola ad Colossenses: locus compositionis, argumentum: Epistolæ ad Thessalonicenses 1ª et 2ª; occasio et scopus: argumentum: adnotatio de opinione circa diem judicii jamjam imminentem.

552. Colossæ (in multis mss. Colassæ) urbs erat Phrygiæ, una cum Laodicea et Hierapoli eminens olim, sed ævo apostolico valde imminuta. Licet S. Paulus per Phrygiam iter secundum et 3ᵘᵐ fecisset, ibi tamen non prædicavit, aut saltem ecclesias illas non ille fundavit, etsi quidam ibi essent in 3ᵒ itinere discipuli, qui alibi forte ab ipso conversi sunt (Act. XVIII, 23). Id eruitur ex II, 1 ubi ait: «volo enim vos scire qualem sollicitudinem habeam pro vobis et pro iis qui sunt Laodociæ [*et quicumque non viderunt faciem meam in carne.* Ipsos docet sibi gentium curam esse demandatam, proptereaque pro

illis esse sollicitum (I, 23, 25 coll. Ephes. III, 1-11). Demum non monet ut doctrinam teneant a se traditam, ut solet (Gal. IV, 11...; Philip. II, 12, 16), sed Epaphram nominat, per quem Colossenses evangelium audierant (I, 7, 8) et christiani facti fuerant. Quapropter, cum idem huic ecclesiæ, quod ephesinæ, periculum immineret, colossenses ac simul hieropolitanos et laodicenses monet Apostolus ne a falsis doctoribus a germana Christi doctrina abducerentur; atque ita commendat prædicationem Epaphræ colossensis, discipuli sui, sicut etiam Philemonis, ejusdem civitatis, ut videtur (Colos. IV, 12; Philem. 2).

553. Argumentum simile prorsus est ac epistolæ ad Ephesios, habetque partem dogmaticam et paræneticam. In 1.ª doctrinam repetit de Christi persona, redemptione et salute ab Eo peracta, doctrinasque judaizantium contrarias refellit. In altera a morte et resurrectione fidelium spirituali gradum facit ad vitæ christianæ præcepta tradenda, diversis personarum conditionibus respondentia. Quoniam periculum deceptionis fidelium in ecclesiis asianis et vicinis, præsertim quas Apostolus non ipse per se fundaverat, maximum erat ex parte illorum judæorum, qui V. T. cum N. et græca philosophia miscebant, et gnosticismi rudimenta ponebant, ideo Paulus magna vi et eloquentia dogma redemptionis explicat et tuetur, ejusque consectaria in ordine morum tradit in iis duobus epistolis Laodiceæ etiam destinatis (IV, 16), ubi pseudo-apostolos majori exitu adlaborasse videtur. Illorum vero systemata in explicatione originis mundi præcipue insistebant per seriem emanationum angelorum diversi nominis et officii, quod multiplicibus adinventionibus postea evolutum fuit, et Joanni occasionem dedit identicam doctrinam, quam Paulus, postea tradendi (conf. II, 8, 18, 19, 23; 1 Tim. IV, 7; Tit. I, 14; item Colos. I, 14-23).

554. Contra hujus epistolæ authentiam levia admodum objiciuntur, quæ discussione non indigent. Tempus et locus, quo scripta est, cum præcedenti ad Ephesios congruit. Quæ contra *gnosim* disputat Apostolus, nostri ætati plus quam æquum foret convenit, et a viris catholicis præ oculis habenda valde sunt, ut firmiter teneant in Christo esse *omnes thesauros sapientiæ et scientiæ absconditos* (II, 3: ἐν ᾧ (Χριστῷ) εἰσὶν πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως ἀπόκρυφοι); ideoque non esse extra doctrinam Christi aliam so-

φίαν, quæ proinde frustra quæritur per *philo-sophiam*.

555. Epistola ad Thessalonicenses 1.ª et 2.ª Thessalonica, olim Thermæ, nunc Salonica dicta, romani præsidis sedes erat, ut pote 2.æ Macedoniæ caput. Civitatem valde florentem commercioque aptam judæi non pauci incolebant, synagogamque habebant, sicut in omnibus coloniis romanorum imperio subjectis consueverant. Illuc venit Paulus postquam Philippis pulsus fuit, docuit in synagoga, et paucos judæorum, ethnicorum multos et mulierum convertit. Ob id a judæis incredulis tumultus multi sunt excitati, quibus post tres tantum hebdomadas Paulum exire coëgerunt. Idem fere accidit in civitate Beroea, ubi multi conversi sunt; sed judæi Thessalonica venientes magnas turbas excitarunt, ita ut Paulus navem ascendere statim cogeretur, relictis ibi Timotheo et Syla, quibus præcepit ut Athenas ad se venirent quantocius. Ob precarium ecclesiæ thessalonicensis statum non satis instructæ, et judæorum persequutiones sustinentis, Pauli cor angustiis quatiebatur Athenis; unde statim ac Timotheus venit, vel potius ante ejus adventum, a Paulo missionem accepit ecclesiæ thessalonicensis fideles invisendi ac roborandi; qui quidem, iis expletis, ad Palum cum Sila Corinthum venit. (Conf. 1 Thessal. III, 1-2 cum Act. XVII, 15 et Act. XVII, 1-XVIII, 6). Ita hæc loca conciliantur.

556. Itaque Timotheus ei narravit thessalonicensium perseverantiam in fide, in laboribus sustinendis, et teneram affectionem erga ipsum: item obscuriores ideas eorum circa regnum Christi, quod, ob sufficientis instructionis defectum et rei ipsius obscuritatem, fortasse jam tunc expectabant illis adhuc viventibus; ideoque defunctorum fratrum sorte cruciabantur, qui juxta illos non plenam in illo regno redintegrationem accepturi erant (hæc satis obscura nobis sunt, qui illius ecclessiæ statum non plene novimus): demum abusus nonnullorum, qui laboris obliviscebantur agapis et eleemosynis contenti, quo cæteris oneri erant, ipsique vagantes et otiosi perturbationem inducebant. Hæc fuit occasio Paulo ad Thessalonicenses scribendi primam epistolam, qua eos laudat et ad perseverantiam hortatur (c. I); ad id suam agendi rationem apud eos, sinceritatem, zelum, proprii commodi oblivionem, in memoriam revocat (c. II); exponit quomodo, hoc erga eos amore motus, Timotheum miserat, atque ob faustam relationem ipsi ab eo factam gratias Deo agit (III); ad castitatem hortatur, fugam otii, laborem et sedulitatem, et resurrectionem futuram esse evincit, unde non lugendos fratres defunctos asserit, sicut facere solent

qui spem non habent (IV); demum diem hunc adventus Christi ignotum hominibus dicit, illum tamen improviso venturum, unde eos hortatur ut bonis operibus sint parati, atque aliis admonitionibus epistolam concludit.

Quæ de resurrectionis tempore hic leguntur obscuriora esse constat ex ipsa doctorum discrepantia in earum expositione. Sane, eo ipso quod tempus judicii incertum omnino sit, quia non fuit revelatum, fieri poterat ut viventibus Apostolo et thessalonicensibus accideret; ideoque optime potuit scribere: «deinde nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini...» (IV, 14), quasi diceret; *deinde viventes, illi nempe qui remanserint tempore adventus Domini...* Instituit enim antithesim inter eos qui mortui fuerint ante tempus illud et viventes, ut ostendat non esse pejorem illorum conditionem; nam *primum* (sic in græco pro *primi*) mortui in Christo resurgent, deinde nos qui vivimus (si forte nobis viventibus occurrat), seu, viventes, simul rapiemur in aëra.....

557. Scripta fuit epistola 1ª ad thessalonicenses Corinthi, paulo post Timothei adventum (Act. XVIII, 5), ut innuitur (II, 17—III, 16) ubi non multo post discessionem Pauli ab urbe Thessalonica scriptam epistolam apparet, et etiam colligi potest ex dictis circa statum hujus ecclesiæ, qui promptum Apostoli adventum, aut saltem scriptam instructionem exposcebat; ideoque fere certo conscripta est anno 53. Ejus genuinitas a nemine unquam in dubium vocata fuit, et plurimis argumentis demonstrari posset, tum ex intimo epistolæ nexu cum Pauli prædicatione inter thessalonicenses et illorum adjunctis, tum ex multiplicibus PP. citationibus.

558. Secunda epistola ad thessalonicenses paulo post primam scripta est, etiam Corinthi anno 53, ut ex ejus contextu patet, et quoniam nomine etiam Silvani data est, qui postquam Paulus Corintho discessit, non eum comitabatur. Per illam voluit Apostolus desideratam suam præsentiam (1 Thess. II, 17, 18; III, 10) apud thessalonicenses supplere, ad eos consolandos, roborandos, instruendos et aliquo modo corrigendos. Quæ enim primam epistolam postulabant, eadem fere huic secundæ causam dederunt, ac simul quædam commotio in thessalonicensium animis exorta metu extremi judicii jam imminentis. Quæ enim in 1ª epistola legerant (IV, 14, 16), non bene intellexerant; et simul a

nonnullis ut jam instans adventus Domini prædicabatur, aut falsis revelationibus, aut Pauli dictis, vel etiam scriptis falso allegatis (II, 2). Quod igitur hujus epistolæ proprium est in hujus opinionis rectificatione consistit, qua iterum ignota asserit tempora novissima, ac signa dat quæ ea præcedere debent, ut generalis apostasia a fide (II, 3 coll. Luc. XVIII, 8) (a). Simul iterum corrigit otiosos et inquietos nondum emendatos, ac demum signum dat, quo suæ epistolæ a falsis discernerentur.

559. Nec hujus epistolæ genuinitas impugnata fuit, nunc vero eam inficiatur Schmidt sequentibus argumentis: 1.° in hac epistola prima non laudatur; 2.° potius ut apocrypha habetur (II, 2); 3.° non poterant Paulo epistolæ falso adscribi, qui ut epistolographus non adhuc cognitus esse poterat; 4.° signum de quo in fine sermo est, ab impostere est positum fidei conciliandæ gratia; 5.° Paulus valde proximum semper credidit finem mundi; 6.° nusquam in eo inveniuntur phantasiæ de antichristo, quæ leguntur duodecim primis versibus capitis 2i; ac proinde 7.° ii saltem versiculi rejiciendi sunt.

Ad quæ respondemus: 1.° nihil exigit in secunda epistola mentionem primæ, immo hæc alluditur (2 Thess. II, 14); 2.° non 1.ª, sed subreptitia epistola impugnatur (II, 2), aut si 1.ª, non ut apocrypha, sed ut non bene interpretata, quod nonnullis placet; 3.° et 4.° nihil in iis argumentis roboris esse quisque videt; 5.° falsum hic asseritur, ut ex dictis jam indicatum fuit, nec aliquo argumento nititur accusatio, 6.° istæ *phantasiæ* etiam perspicue apparent in evangeliis, apocalypsi, et a Paulo indicantur (1 Cor. XV, 24-26); 7.° ex falsis præmisis deductam consequentiam facile respuimus.

(a) Quæ quidem diuturnius potius tempus poscebat ad sufficientem evangelii prædicationem et acceptationem, ac ab eodem defectionem subsequentem.

CAPUT LXIV.

Timotheus: scopus et argumentum epistolæ 1.æ ad Timotheum: tempus et locus scriptionis: genuinitas: epistolæ 2.æ occasio et argumentum, tempus et locus.

560. Timotheus, patre gentili, matre Eunice et avia Loide christianis ex judaismo (2 Tim. I, 5 et Act. XVI, 1), Lystris in Lycaonia natus est (Act. XVI, 1 coll. XX, 4). A Paulo conversus, magnam sibi extimationem ob suam virtutem et Scripturarum studium conciliaverat; quare Apostolus eum sibi comitem in 2.° suo itinere suscepit, propter hebræos circumcidit, et paulo post ei, etsi adhuc juveni, graviora negotia commisit (conf. 1 Thes. III, 2; 1 Cor. IV, 17; Phil. II, 19; Hebr. XIII, 23), et ephesinæ ecclesiæ præposuit, ac mutua semper et tenerrima charitas et affectio utrumque conjunxit.

561. Gravitas muneris Timotheo demandati inter ephesinos fideles (a), Paulo occasionem præbuit hanc ei epistolam scribendi, ut *sciret quomodo oporteret se in Ecclesia Dei ambulare.* Est itaque veluti manuale canonicum cui episcopus in regenda ecclesia sese accommodare debebat, ob idque una cum 2.ª ad eumdem et epistola ad Titum, dicitur *pastoralis*, et fundamentum est juris canonici. Hortatur itaque Paulus Timotheum ut resistat tradentibus inutiles fabulas et genealogias (a), quæ lites et pugnas verborum generant; ut doceat quæ ad pietatem spectant, charitatem, et bonos mores; Deo gratias agit qui etiam magnos peccatores, ut ipse fuerat, recipit. Docet esse preces faciendas pro omnibus hominibus (eo quod Deus omnes vult salvos facere et omnium mediator et redemptor Christus est), in omni loco, puris manibus; non tamen publice a mulieribus, quæ domesticis virtutibus et theologicis salvabuntur.

(a) Ubi jam erant judæi *gnosi* addicti, qui christianismum non plane et sincere susceperant, sed sua scientia complere et perfectiorem reddere conabantur, reipsa foedabant et corrumpebant.

(a) Probabiliter de origine angelorum et mundi, quæ plurium nosticarum sectarum doctrina postea evoluta fuit.

Modum tradit in ordinatione clericorum et viduarum, quas diaconisas dicimus, servandum; et Timotheum excitat ad regendam ecclesiam secundum instructiones verbo traditas. Hæreses brevi orituras et matrimonium damnantes prædicit, et salubria consilia Timotheo dat, ut omnibus exemplar sit, ut nemo suam adolescentiam contemnat, ut lectioni Scripturarum vacet, ut gratiam ordinationis non negligat. Agendi rationem cum singulis hominum classibus edocet, ut nemini cito manum imponat, ut propter debilem stomachum modico vino utatur. Denique docet quomodo instituendi sunt servi; omnes ut, paucis contenti, avaritiam fugiant hortatur; Timotheo fortitudinem commendat in certamine fidei, in ejus deposito integro servando, in dogmatibus novis et falsæ philosophiæ placitis repellendis.

562. Scripta hæc epistola fuit cum Apostolus, Timotheo relicto Ephesi, in Macedoniam iret (I, 3), eo tempore quo longam prædicationem trium annorum Ephesi suscepit, quam brevi excursione per Macedoniam et Cretam interrupit. Hæc est sententia probabilior, modo iter hoc Pauli, quod in Actis non legitur, admittamus. Illud autem suadet 1.° ipsa antilogia inter Act. XIX, 10 et XX, 31, qua docemur tempus, quod Apostolus Ephesi transegit, biennium et triennium designari, quod optime intelligitur, si triennales labores brevi itinere interrupit ad invisendas vicinas ecclesias, et prima fidei rudimenta in Creta insula collocanda: 2.° 1 Cor. XVI, 7 ait se nolle eos *modo* in transitu videre, quod altera vice id accidisse supponit; 3.° 2 Cor. II, 1 legimus: «ne iterum in tristitia veniam ad vos», semel igitur venerat *in tristitia*; 4.° ib. XII, 14 coll. XIII, 1 perspicue sermo est de tertio itinere Pauli Corinthum, et non tantum de voluntate et conatu illuc eundi, non enim conatum, sed verum iter significant hæc verba: «ecce tertio hoc venio ad vos. In ore duorum vel trium stabit omne verbum». In tertio Pauli itinere apostolico (Act. XIX et XX, 1) circa festum Pentecostes hæc epistola scribi non potuit, nam voluntatem in ea Paulus testatur cito veniendi Ephesum, quod contrarium est proposito ipsius, in hoc tertio itinere ante discessum Epheso concepto, per Macedoniam et Achaiam veniendi Hierosolymas ac postea in occidentem, ut pote qui suam apostolicam missionem in oriente expleverat. (Conf. et comp. 1 Tim. III, 14-15; IV, 13, cum Act. XIX, 21; 1 Cor. XVI, 4...; Act. XX, 2-3; Rom. XV, 23). Multorum opinio est inter primam et alteram Pauli captivitatem, anno 64 scriptam fuisse, quod ex 1 Tim. I, 3 coll. Act. XX, 17... minime, ut ipsi volunt, probari potest, et vix conciliatur cum juvenili

ætate Timothei Ephesi relicti; nam, si supponamus 25.um annum jam attigisse, dum Paulo comes adscriptus est anno 52, jam anno 64 trigesimum septimum complesset, quod cum verbis illis «nemo adolescentiam tuam contemnat» ægre conciliatur. Timotheum vero non prius assumptum fuisse satis habemus ex ejus gestis, et muneribus ei demandatis in ipso itinere 2.°, quibus ita præclarus in ecclesiis illis esse debuit circa primam Pauli captivitatem, ut vix timendus foret erga eum cujusdam contemptus. Quando vero præcise scripta fuerit asserere difficile possumus, sed ex 2 Cor. IX, 2 colligi posse videtur anno præterito, id est, 56 Paulum in Achaia fuisse, nam ipse sciebat collectam ibi paratam esse *ab anno præterito*, verosimile ergo est ipsum ibi fuisse et promptitudinem illam, de qua loquitur, excitasse. Concludimus igitur anno 56 in Macedonia vel Achaia epistolam hanc Paulum Timotheo misisse ut eum instrueret, ne forte iter susceptum longius fieret proposito, ut dicitur III, 15.

563. Genuinitas hujus epistolæ a pluribus hæreticis repudiatæ ut Marcione, Tatiano et aliis, in dubium revocatur nunc a quibusdam liberioribus criticis, aliis reclamantibus, præter catholicos et protestantes supernaturalistas. Cum autem testimonia veterum PP. Irenæi, Theophili antiocheni, epistolæ ad Diognetem, et ipsius Polycarpi, perspicua sint; ad rationes intrinsecas confugiunt adversarii. Atque istæ fere sunt: 1.° multa hic inveniri semel dicta (ἅπαξ λεγόμενα); 2.° Alexandrum conjungi Himenæo, cum tamen 2 Tim. non iste, sed Philetus conjungatur, et Alexander ut ærarius faber exhibeatur; 3.° demum *in novissimis temporibus* futuros esse falsos prædicatores hic asseri, contra Act. XX, 29-30, ubi apostolus hos statim apparituros prædixit. Ast 1.um mirum non est, ut per se patet: et quidem in epistola ad Philipp. leguntur 54 *apaxlegómena*, Gal. 57, Ephes. et Colos. 145, 2 Tim. 63, immo Philem. 6, ex iis quæ invenit Planck. 2.° Himenæo jungi potuit uterque, Alexander et Philetus, atque ob ignotam nobis causam, non ambo in ambobus locis nominati sunt. Quod si Alexander faber ærarius erat, etiam falsi doctoris addictus fanaticus esse optime potuit. 3.° In oratione Pauli habita Mileti de præsentibus falsis doctoribus sermo est, qui illo præsente tacere cogebantur, et in hac epistola sæpe alluduntur, præter eos qui venturi erant in novissimis temporibus (1 Tim. IV, 1), seu multo post.

564. Epistola 2.ª ad Timotheum. Cum Paulus proxi-

mum suum finem prævideret (IV, 6), maximo tenebatur desiderio discipulos suos, et Timotheum præsertim, hortandi ad perseverantiam, fortitudinem et prudentiam in munere apostolico; ne tot labores, in evangelii prædicatione suscepti, periculum incurrerent, ingruentibus falsis prædicatoribus, et apostolicis viris deficientibus. Hæc causa fuit hujus 2æ epistolæ ad Timotheum missæ, qua eum hortatur ut, omnibus neglectis, muneri suo episcopali tantum incumbat, hæreticos devitet, præcipue Himenæum at Philetum (forte idem qui Alexander 1 Tim. I, 20), et desideria juvenilia fugiat (I-II). Hæreticorum mores pessimos describit, et Timotheum ad constantiam in doctrina tradita, et lectione scripturarum invitat (III); eidem denique præcipit ut evangelium prædicet, et cito ad se veniat, paucisque de se additis notitiis et salutatione, epistolam claudit.

565. Ex pluribus epistolæ locis (I, 8, 12, 16-18; II, 9; IV, 17; IV, 5-8;) constat Paulum in vinculis fuisse, et non mitioribus quidem, quales describuntur Act. XXVIII, 16-31 et in epistolis ad Eph., Coloss., Philem. et Philip., sed gravioribus valde et faustum exitum non promittentibus; unde vel Cæsareæ, vel Romæ circa finem captivitatis (si hæc una tantum fuit, qua demum martyrium subiit) vel denique in secunda captivitate hanc epistolam conscripsit. Ex iis tribus sententiis communior et valde probabilior postrema videtur. Prima quidem explicat quomodo potuit Erastus manere Corinthi (IV, 20) et injunctionen Timotheo factam ut penulam et libros Troade relictos ad se perduceret, quod brevius temporis spatium postulare videtur; sed incomposibilis est cum cap. IV, v. 20, ubi Trophimus Mileti relictus dicitur ægrotans, qui tamen (Act XX, 4) Paulum comitatus est, et Hierosolymas venit (ib. XXI, 19); quod postremum explicari nequit ab iis qui loco «*Mileti*» legunt «*Melitæ*» (quod etiam Act. XXVII, 2 contradicit), vel loco «*reliqui*» legunt «*reliquerunt*». Secundæ sententiæ eadem adversantur, cum Paulus per Miletum Romam advectus non fuisset; insuper prædicta loca (IV, 20; IV, 13) ægre admodum explicat, sicut et IV, 9 coll. Philem. 22-24, et omissionem mentionis de Aristarcho, qui cum Paulo Romam ivit (Act. XXVII, 2 coll. Philem. 24). Tertia demum opinio omnia hæc conciliat, supposito quodam Pauli itinere per Græciam, valde probabili et a plurimis Patribus admisso; speciatim etiam traditioni conformis est duas Pauli romanas captivitates asserenti; et optime explicat cap. I, 16-17, sicut et (IV, 17) verba illa «*liberatus sum de ore leonis*», de Nerone communiter interpretata, (item IV, 8); denique

talis est opinio Eusebii, Hieronymi, Theodoreti et plurium codicum subscriptione nititur. Igitur Romæ circa annum 66um, scriptam fuisse credimus.

Quæ contra ejus genuinitatem objiciuntur a quibusdam, eadem fere sunt quæ primæ ad Tim. et ad Titum, eademque facilitate solvuntur, cum nullius ponderis sint ad universalem traditionem, omniaque antiquitatis ecclesiasticæ monumenta infirmanda. Soli marcionitæ epistolas pastorales repulerunt, graviter reclamantibus Ecclesiæ patribus, ut apud Tertullianum videre est.

CAPUT LXV.

Epistola ad Titum: tempus, occasio et locus compositionis: argumentum: Epistolæ ad Philemonem occasio, locus, tempus, argumentum, genuinitas.

566. In Actis Apostolorum nulla fit mentio de Tito, sed tantum in paulinis epistolis sparsim. Videtur Antiochiæ ortum fuisse, illinc namque primo apparet cum Paulo veniens Jerusalem ad concilium (Gal. II, 1-3); scimus etiam ex gentili patre natum fuisse, quin tamen circumcisionem accipere coactus fuerit ab Apostolis. In secundo itinere Pauli non apparet, in tertio vero galatis notus supponitur, unde verosimile est ipsum Paulo adjunctum fuisse Antiochiæ, loco Silvani, qui ibi remansit. Dum Paulus Ephesi per triennium prædicavit, ut dictum est, celeri itinere venit in Cretam insulam (Candía) ibi evangelii fundamenta jecit pluribus in locis, Titumque reliquit loco sui, ut quæ ad plenius constituendas regendasque novas illas ecclesias necessaria erant, ipse perageret. Tunc Ephesum rediit, ubi epistolam scripsit (anno 57) ut recte munere sibi commisso Titus fungeretur. Simillima igitur est illæ quam ad Timotheum direxit, occasione, scopo et doctrina (conf. I, 5). Rationes hoc tempus assignandi hujus epistolæ compositioni supra, cum de Timotheo ageretur, adductæ sunt, ac simul cæteras opiniones deserendi. Quibus addi potest (III, 13) commendatio Tito facta de Apollo, qui circa pascha anni 57i Ephesi erat (1 Cor. XVI, 12); injunctio ut Titus veniat (postquam Demas aut Tychicus apud illum fuerint) Nicopolim, ubi Paulus hiemare constituerat, quæ civitas in Græcia erat, ubi Paulus ait (1 Cor. XVI, 6) se hiemem transigere velle «*forsitan*» Corinthi;

demum post 1am ad Cor. scriptam fuisse constat ex eo quod Apollo voluntatem Epheso migrandi non habebat cum hæc scriberetur (1 Cor. XVI, 12), quando vero epistola ad Titum scripta fuit, jam proficiscens sistitur, Tito commendatur, ipsique litteras affert. Quod si Titus postea aliis in locis invenitur, ut in Dalmatia (2 Tim. IV, 10), et paulo postquam in Creta relictus est, varias missiones suscepit (2 Cor. II, 12, 13; VIII, 16...), id tantum evincit non ibi mansisse tamquam in dioecesi proprie dicta, et saltem brevia itinera pro utilitate Ecclesiæ suscepisse, prout fecit Timotheus similiter Ephesi relictus.

567. Argumentum idem fere est quod epistolæ 1æ ad Timotheum; ut nempe ad opus ministerii se dedat, presbyteros eligat iis dotibus ornatos morum, scientiæ et sanæ doctrinæ, quæ ad recte regendam ac instituendam ecclesiam maxime præstant; quæ officia uniuscujusque status et conditionis sint, docenda cum omni imperio et auctoritate; obsequia magistratibus præstanda, mansuetudinem erga omnes servandam, stultas quæstiones fugiendas, et hæreticum hominem post unam alteramve monitionem vitandum docet. Quæ contra hujus epistolæ genuinitatem opponuntur, minoris momenti adhuc sunt quam epistolæ ad Timotheum, facillimamque habent solutionem.

568. Epistola ad Philemonem. Philemon, vir christianus, apostolico ministerio mancipatus, ut ex v. 1.° colligitur *[ajutori nostro]*, colossensis erat (nam illius civitatis erat Onesimus, Colos. IV, 19), una cum Appia (forte conjuge sua) et Archippo, ecclesiæ illius antistite. Iis parvulam epistolam scripsit Paulus Romæ, misitque per Tychichum et Onesimum simul cum epistolis ad Ephes. et Colossenses. Onesimus hic servus erat Philemonis fugitivus post furtum commissum; qui Romam veniens, a Paulo conversus fuerat, et in proprium servitium aliquandiu adscitus. Nunc vero Paulus eum hero suo mittit cum litteris commendatitiis, ut veniam, immo et emancipationem obtineat, prout reipsa factum fuisse verosimile est ex traditione, qua discimus ipsum Romæ martyrium passum fuisse. Hæc epistola commendatitia in canone librorum N. T. numquam non adnumerata fuit, ut ex versione *peschito*, fragmento Muratori, Tertulliano, Origene &c. constat, et ipse Marcion eam servavit, nec ab aliquibus repudiata est quasi genuina non esset, sed quia rem domesticam pertractat. Ast ex illa discimus charitatis christianæ efficaciam ad offensas tole-

randas, et incommoda et injurias sufferendas, motivaque præstantissima pro fraterna dilectione omnium, etiam si conditionis longe infelicioris; ac denique influxum, quem christiana religio suaviter exercebat jam ab initio pro servitute mitiganda, usque dum tempus adveniret, quo sine injuria et violentia, sine commotionibus societatis, hæc a tam miserabili plaga liberari posset. Est etiam hæc epistola mira arte composita, quam docuit non rethorica institutio, sed sola charitas.

CAPUT LXVI.

Epistola ad Hebræos: ad hierosolymitanos scripta fuit: occasio et argumentum: authentia: peculiares characteres eorumque causa probabilis.

569. Inscriptio «*ad hæbreos*», quam semper præsens epistola portavit, non omnes hebræos designat, sed ad christianismum conversos, et quidem *unius loci* (XIII, 23). Qui autem eset hic locus plurimum disputatum est; verosimilior autem longe videtur Palæstinam fuisse, ipsamque Hierosolymam. Nam epistola supponit lectores majestate cultus mosaci circumfulsos, judaismo addictos (VIII, 4; IX, 6..; X, 1..), ritus legales ad peccatorum expiationem necessarios judicantes (X, 1...; IX, 9–10), satis erga christianam religionem indifferentes et sacros conventus non frequentantes (X, 25): quæ statui judæo-christianorum palæstinensium satis quadrant (conf. Act. XV, 5; XXI, 20). Insuper nullum occurrit indicium discordiæ, in ecclesiis ex hebræis et paganis coalescentibus, consuetæ; pauci igitur aut nulli erant pagani conversi. Item a longo tempore christiani facti erant hujus epistolæ lectores (V, 12), ob idque magnas calamitates et opprobria passi erant, carceres, bonorum rapinas (X, 32–34), aliqui etiam ex eorum præpositis ipsam mortem. Hæc vero omnia optime conveniunt ecclesiis palæstinensibus (conf. Act. VIII, 1; XXVI, 10, 11; item cap. VII; VIII); minus autem exteris, licet enim varias molestias judæi conversi in iis passi essent (1 Thess. II, 14–15; 1 Pet. V, 9), non tamen adeo graves, ut hæc epistola supponit. Huc accedit lingua aramaica, qua scripta est, saltem ex antiquorum PP. sententia; unde ipsi etiam existimarunt ad hebræos palæstinenses fuisse directam. Denique stylus hortatorius et deprecatorius, nusquam autem imperativus aut doctoris juribus ac-

commodatus (quo in cæteris epistolis utitur Paulus), eos lectores immediatos exigit, quibus Paulus non optime constitutam auctoritatem, non magnam existimationem obtinebat, quales fuerunt sane hebræi palæstinenses, antiquæ legi nimis addicti, ob idque Paulo aliquantulum invisi. Non tamen erat tanta animositas, ut Paulum prorsus rejicerent, præsertim post tot eleemosynas ab eo collectas et pauperibus ecclesiarum palæstinensium missas.

570. Christiani palæstinenses adhuc templum frequentabant, ritusque legales et festa servabant, prudenti Apostolorum et Christi ipsius agendi ratione freti, qui infirmitati humanæ parcentes, eadem peregerant. Ast illi *æmulatores legis* facti (Act. XXI, 20), ad salutem necessarium judicabant, scandalumque non modicum patiebantur ob relictum mosaismum ab iis fratribus qui extra Palæstinam a Paulo aliisque conversi erant. Ad hæc accessit persequutio ex parte suorum, odiumque quo ipsos prosequebantur increduli judæi, licet inter se dissentientes. Hinc valde refrigescerat pristinus eorum fervor, minus frequenter sacris christianorum conventibus aderant, unde non satis instructi (ob inopiam magistrorum, qui martyrium passi erant, velut uterque Jacobus) et persequutionem nimium reformidantes, in occasione proxima relabendi erant, fidei christianæ valedicendi, antiquamque religionem iterum profitendi. Iis rerum adjunctis pernecessarium erat illos adjuvare fervida oratione, qua ad constantiam in fide et bonorum operum exercitium excitarentur; et ita quidem, ut intellectus eorum simul illustraretur circa V. et N. T. relationem, sufficientiam et efficaciam. Atque talis fuit occasio, talis scopus Paulo hujus epistolæ conscribendæ. In ea Paulus christianæ religionis demonstrationem dat judæo-christianis accommodatam, qua infinitam N. T. supra V. præstantiam ostendit, ad virtutes passim hortatur, ad patientiam et constantiam erigit et firmam spem, simulque gravissimis verbis eos ob apostasia et relapsu deterret. Ipse Paulus vocat epistolam *Verbum solatii* (XIII, 22), quod cum argumento maxime concordat.

571. Probat itaque Paulus in hoc suo sermone (potius quam epistola) summam religionis christianæ præstantiam supra mosaicam legem: 1° ex summa dignitate et majestate Auctoris illius et ejusdem sacerdotio; Christus namque excelsior est omnibus prophetis et Angelis, per quos antiqua

religio tradita est, quique numquam *filii Dei* dicuntur, et potius Christum adorare jubentur, suum et hominum caput; qui, si parvo temporis spatio minoratus est, et morti traditus, ob humani generis salutem id fieri oportebat (I-II). 2° Est etiam Christus Moysi superior; uterque enim fidelis fuit, sed Moyses famulus, Christus *filius in domo sua*. Hic adest vehemens adhortatio ad salutem accipiendam ps. XXXIV, 6-11 innixa, ne illis accideret quod parentibus incredulis, qui prostrati sunt in deserto (III-IV, 13). 3° Christo competit sacerdotium omnesque qualitates ejus, nempe humana natura, labores passi, *ut condolere possit iis qui ignorant et errant*, vocatio divina; quam etiam evincit ex eo quod Messias dictus fuisset *sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, sed ob debitæ præparationis in lectoribus defectum, hanc analogiam non fusius explicat. Istud vero sacerdotium secundum ordinem Melchisedech sacerdotio aaronico præstantius est, siquidem Abraham ipse, pater Levi, Melchisedecho primitias et decimas obtulit et ab eo benedictionem accepit. Per hoc sacerdotium abrogata est lex antiqua, nam *translato sacerdotio necesse est ut legis translatio fiat*; et id quidem, quoniam nihil ad perfectionem perducere potuit lex mosaica, christiana vero introducta est, quia ad salutem efficiendam potentissima, cum Christus sacerdotium habeat jurejurando *in æternum* confirmatum, et, undequaque perfectus, non habet necessitatem prius pro suis, deinde pro populi peccatis orandi (IV, 14-VII). 4° Christus excellentissimum sacerdotium ideo potissimum possidet, quia ad dexteram Dei sedet, quotidie interpellans pro nobis; ejus ministerium præstantius, quia melioris testamenti et bonorum mediator invenitur, ut Jeremias jam prædixerat; quia tabernaculum melius ingreditur, nempe coelum, et quidem *semel*, dum ministerium aaronicum hostias pluries offerebat, *quæ non poterant juxta conscientiam perfectum facere servientem*, sed justitiam legalem tantum dabant, *sanguis vero Christi emundat conscientias nostras ad serviendum Deo viventi*. Unde etiam mediator factus est Christus N. T. per sanguinis effusionem, sine qua non fit remissio (VIII-IX). Veterum sacrificiorum impotentiam, et novi efficaciam probat et necessitatem, duce ipsa Scriptura; lectoresque deterret a deserenda salutis via (X). Fides, fundamentum rerum sperandarum, argumentum vel ratio earum

quæ non videntur, præstans in multis patribus fuit, qui tamen mercedem promissam nonnisi spe consequuti sunt, ut non sine nobis consummarentur; ac deinde transiit ad Christum auctorem et consummatorem fidei, qui post passiones sponte toleratas, nunc in gloria sedet; unde gradum facit Apostolus ad ostendendum fructum tentationum, et ad fervidam orationem pro diligentia, sanctitate, obedientia christiana, charitate, hospitalitate, benevolentia, avaritiæ fuga aliisque; ac, paucis de se et Timotheo dictis, parva apprecatione et salutatione epistolam claudit (XI-XIII). Itaque epistola ad hebræos ea, quæ in epist. ad galatas, ephes., et coloss. disputantur, complet et explicat, et cum illis completam N. T. apologiam exhibet, et V. sustitutionem docet; simulque methodum exegeticam præstantissimam offert prophetias, typos et historica simul ac symbolica facta, in V. T. ocurrentia, novæ ac prorsus perfectæ et ultimæ religioni accommodandi.

572. Cum epistolæ huic multa sint peculiaria, quæ in reliquis paulinis non occurrunt, in forma, stylo, dictione, aliquibusque sententiis; jam ab antiquissima ætate, vel horum ratio ab auctoribus ecclesiasticis quæsita est, vel etiam Paulo fuit abjudicata. Hæc tamen argumenta minoris sunt ponderis, ut Barnabæ, vel Apolloni, aut Clementi rom. vel Lucæ tribuatur; ut a diversis factum est, reclamante tota traditione. Nam defectus nominis Pauli nusquam in ea scripti, nihil pro vel contra genuinitatem epistolæ demonstrat; et probabilis causa afferri potest cur illud non ibi legatur, vel quia judæo-christianis primo mittenda erat adversus Paulum aliquantum præoccupatis, vel ex forma scripti homiliatica, vel demum ex libera epistolæ hebraicæ versione ad ecclesiarum græcarum usum, qua specialis directio ad hebræos excidit. Hæc ultima ratio diversitatem etiam styli et dictionis satis explicat, ut postea dicitur. Quæ vero ex II, 3; VI, 4-6; IX, 1-4 objiciuntur, quasi Paulo adscribi non possint, facili negotio solvuntur. Non enim ait (II, 3) ab Apostolis ipsum doctrinam fidei *accepisse*, sed *in nos* (nempe in lectores et scriptorem, forma oratoribus consueta) *confirmata* fuit; quod optime congruit Paulo, immediate ab J-C edocto. Capite VI, 4-6 non docetur peccata quædam esse prorsus irremissibilia, sed valde difficilius (more oratorio), et similes sententiæ etiam inveniuntur Mat. XII, 31...; 2 Pet.

II, 20; 1. Joan. V, 16, &c. Quod demum IX, 1-4 difficultatem movet, est omissio altaris incensi inter ea quæ in *Sancto* tabernaculi inveniebantur, et mentio thuribuli in loco *Sanctissimo*; verum hic tantum indicatur incensi odor altaris suffitus sancta sanctorum penetrans in sacrificio matutino et vespertino, quique symbolum erat jugium orationum in coelum ascendentium.

573. Contra has difficultates validissima sunt argumenta intima et externa genuinam epistolæ originem paulinam demonstrantia. Sic plurima sunt hic Paulo plene convenientia *in locutionibus* (conf. VIII, 5; X, 1 cum Coloss. II, 17), *typicis interpretationibus* (conf. cap. VII et IX, 24, cum 1 Cor. X, 1-5; Rom. V, 14), *originis legis designatione* (II, 2 coll. Gal. III, 19), *omnium dependentia a Deo* (II, 10 coll. Rom. XI, 35), *spiritu servitutis legis* (II, 15 coll. Rom. VIII, 15; confer etiam XI, 19 cum Rom. IV, 17; X, 13 cum 1 Cor. XV, 25), *imaginibus et expressionibus* (conf. IV, 12 coll. Eph. VI, 17; V, 13 coll. 1 Cor. III, 2; V, 13-14 coll. 1 Cor. XIV, 20, &c). Argumenta vero externa rem prorsus conficiunt. In ecclesia alexandrina testes sunt Pantenus, Clemens, Origenes, omnesque PP. posteriores; in Syria Ephrem, Jacobus nisibeus, Methodius, synodus antiochena anni 264, et versio *peschito*; in Græcia ab omnibus prorsus admittitur, quamvis latinorum repugnans consuetudo ipsis innotesceret (Euseb. H. E. III, 38); adeo ut jure S. Hieronymus diceret ab omnibus prorsus orientalibus et græcis in ecclesiis ut canonicam admitti. In occidentali ecclesia dubium est an Irenæus eam admiserit, qui saltem eam allegavit in opere deperdito (Διαλεξεων διαφορων) juxta Eusebium (H. E. V, 26); Tertullianus plurimum auctoritatistribuit, licet Barnabæ adjudicet; ac demum præcipui PP. sæculi 4i et in posterum omnes eam receperunt. Ast Clemens rom. pluries ea usus fuerat, et ideo ipsi a multis compositio, ab omnibus fere interpretatio tributa fuit. In can. Muratori deest, presbyter Cajus cum aliis eam rejecit; sed omnes hæretici præter arianos admiserunt, ut novatiani ea abutentes, sicut et montanistæ, melchisedechiani, luciferiani &c. Quare dubitationes super canonica hujus epistolæ auctoritate in latina ecclesia a 2° ad 4um sæculum perdurarunt, donec bene cognita fuit orientalium constans et universalis traditio, qua in iis rebus ecclesiæ et Patres ut proximo criterio utebantur, ut in re

nostra speciatim de S. Hieronymo constat dicente (epist. ad Dardan. VI) «illud nostris dicendum est, hanc epistolam quæ inscribitur *ad Hebræos*, non solum *ab ecclesiis orientis, sed ab omnibus retro ecclesiasticis græci sermonis scriptoribus quasi Pauli apostoli suscipi*, licet eam plerique vel Barnabæ, vel Clementis arbitrentur, et nihil interesse cujus sit, cum ecclesiastici viri sit, et *quotidie ecclesiarum lectione celebretur*. Quod si eam latinorum consuetudo non recipit inter scripturas canonicas, nec græcorum quidem ecclesiæ Apocalypsim Joannis eadem libertate suscipiunt, et tamen *nos utraque suscipimus, nequaquam hujus temporis consuetudinem sed* VETERUM SCRIPTORUM AUCTORITATEM SEQUENTES, qui plerumque utriusque abutuntur testimoniis, non ut interdum de apocryphis facere solent....., sed quasi canonicis.» Difficultates itaque et diffidentiæ in ea recipienda temporales fuerunt ac locales, eo innixæ, quod non esset *certum* ab Apostolo scriptam fuisse, licet ita inscriberetur; cum autem id *plene* constavit, illico ab omnibus suscepta fuit. Qua ecclesiarum et episcoporum agendi ratione, non parum firmitatis accipiunt cæteri libri sacri, ab iis Patribus et ecclesiis ut tales venerati. Denique textus manuscripti præstantissimi, ut vaticanus, alexandrinus et sinaiticus illam complectuntur, unde a protestantibus fere omnibus suscipitur, sicut in editionibus criticis.

574. Speciales hujus epistolæ characteres, qui, una cum abusu hæreticorum, causæ occidentalibus fuere eam ut falsam vel suspectam habendi, orientales scriptores moverunt, præsertim alexandrinos, ad illorum rationem inveniendam. Sic Pantenus omissionem dedicationis consuetæ ex relationibus Pauli et judæo-christianorum palæstinensium explicavit; Clemens diversitatem styli ex hebraica conscriptione et græca Lucæ interpretatione; Origenes censuit sententias Pauli esse, formam vero et dictionem alterius; Tertullianus Barnabæ adscripsit, Lutherus postea cum aliquibus protestantibus hodiernis Apollo. Quæ duæ postremæ sententiæ, cum omni traditionali monumento careant, merito passim respuuntur. Probabilior sententia, antiquior et communior, jam ab Origene commemorata, et ab Eusebio, Euthalio alexandrino, Theodoreto, Philastrio et Hieronymo suscepta, ipsaque ipistolæ analogia cum 1.ª Clementis (a) confirmata, docet a Paulo scriptam hebrai-

(a) In forma hortatoria, locis pluribus communibus, etiam absque ulla citatione, stylo, dictione, modo alegandi interpretandique Vetus Testamentum.

ce fuisse, et non multo post a Clemente rom. libero stylo in græcum idioma versam, ita ut, præter res dicendas, omnia ex suo adhiberet. Ita facile omnia solvuntur: defectus inscriptionis, quia græca versio nulli determinatæ ecclesiæ directa fuit; stili et dictionis præstantia, ex Clementis liberrima interpretatione; difficultates ejus receptionis in ecclesiis occidentalibus, ex eo quod epistola originaria hebraica ad judæo-christianos missa fuit, qui soli hoc idiomate utebantur, græca vero interprætatio Clementis item ad græcas ecclesias missa statim fuit, quin exemplar Romæ maneret (nisi forte in Græcia facta est), nec ideo in sacris conventibus legeretur. Cum autem venit iterum Romam, cum ab ipso Clemente canoni adjecta non fuisset, suspicionem falsitatis movit, quæ pravo hæreticorum usu nimium postea crevit. Nihil igitur est quod hanc veterem communemque sententiam non suadeat, quæ aliunde ita a S. Hieronymo exponitur (de viris illust. 5): «Scripsent (Paulus) ut hebræus hebræis hebraice, id est, suo eloquio dissertissime, ut ea, quæ eloquenter scripta fuerant in hebræo, eloquentius verterentur in græcum», et simul adnotat: «quem (Clementem) aiunt ipsi adjunctum *sententias Pauli proprio ordinasse et ornasse sermone*» Quod, præter alia indicia plura, sufficit ad rem præsentem.

Collatis indiciis passim in ea occurrentibus, Romæ scripta videtur circa annum 63.m

CAPUT LXVII.

Epistolæ catholicæ vel canonicæ: Jacobus, frater Domini, idem est qui Jacobus Alphæi et 1æ epistolæ catholicæ auctor: genuinitas, tempus, locus, scopus, argumentum; concordia doctrinalis cum d. Paulo.

575. Septem epistolæ que post paulinas inveniuntur in vulgata editione, in canone vero alexandrino et syro, et nunc in editione critica D. Tischendorf, immediate ante, *catholicæ* vulgo appellatæ sunt; vel quia doctrinam catholicam continebant, vel quia ab omnibus ecclesiis admittebantur, vel quia collectio erat omnium scriptorum apostolicorum præter evangelia et paulinas epistolas, vel demum, quæ est sententia communior et vera, quia nulli ecclesiæ particulari primo directæ erant; quod si de duabus posterioribus Joannis dici nequeat, op-

time convenit cæteris, unde a potiori denominatio facta est. Canonicæ etiam dictæ sunt, ut ab iis distinguerentur, quæ in canone recipi non poterant, ut pote apochryphæ, vel ab auctoribus non inspiratis conscriptæ. Ordo etiam, quo ponuntur in bibliis, diversus fuit diversis locis et temporibus. In omnibus demum adest quædam sat notabilis analogia contextus, cum omnes hortatoriæ sint, ad virtutes christianas inducentes, et ad fideles a falsis doctoribus et doctrinis arcendos..

576. Epistolæ Jacobi inscriptio non ita clara est, ut quo præcise Jacobo tribuenda sit doceat (*Jacobus servus Dei et D. N. J. C. duodecim tribubus quæ sunt in dispersione salutem»*). Nam in evangelio sermo est de Jacobo filio Zebedæi, et de Jacobo Alphæi, præter Jacobum *fratrem Domini*, qui jure creditur idem filius Alphæi, seu Jacobus minor (Mar. XV, 40). Qui *fratres Domini* dicuntur in evangelio (Mat. XII, 55; Mar VI, 3), filii Josephi a pluribus olim habiti sunt, ex alia uxore ante Mariam Virginem suscepti, ut ab Origene, Eusebio et Epiphanio (potius apochryphis evangeliis Petri et Jacobi, quam veris innixis). Ast (coll. Mat. XXVII, 56; Mar. XV, 40; Joan. XIX, 25) Jacobus et Joseph, qui inter *fratres* Domini numerantur, filii erant Mariæ, *sororis* Matris Jesu, et uxoris Kleopæ seu Alphæi (Αλφαιος=Κλεοπας=Κλωπας=חלפי diverse pronuntiatum); erant igitur fratres Jesu lato sensu, nempe patrueles, nec nisi vim evangelio facientes possunt admitere Christum veros fratres habuisse; idque non solum ex eadem matre, verum etiam ex Josepho, patre existimato. Nam, si fides Hegesippo sit, historiam facienti ecclesiæ hierosolymitanæ (circa annum 150) post mortem Jacobi *fratris Domini*, et illius ecclesiæ episcopi, in ejus locum suffectus est Simeon filius Cleophæ, eo quod esset secundus Christi patruelis, et Cleopham ipsum vocat *fratrem Josephi*; erat ergo Maria Cleophæ *soror* matris Jesu mediante conjuge suo Cleopha, fratre Josephi, conjugis Mariæ virginis. Si igitur duæ Mariæ non *sorores* erant, quia iisdem parentibus natæ; saltem quia conjuges fuerunt duorum fratrum germanorum, et, hoc admisso, non nisi existimati fratres, seu patrueles Jesu erant Jacobus, et Joseph, et Simeon et Judas (Mat. XIII, 55). Adde Simeonem, de quo Hegesippus, filium fuisse Cleophæ, ideoque fratrem Jacobi et Joseph, patruelium Jesu, eo quod eorum mater *soror* erat matris Jesu (Joan XIX, 25); ergo inter *fratres Domini*, tres homonymi inveniebantur, si illi de quibus Mat. XIII, 55, filii fuissent Josephi fratris Cleophæ; quod improbabile prorsus est, præsertim cum Matthæus unam inter Marias distinguat tantum ut matrem Jacobi et Joseph; duo ergo Jacobi in evangelio leguntur, major et minor, seu frater Domini. Cum vero Jacobo Zebedæi nulla probabili ratione tribui

possit epistola (non quia martyrium subiit anno 42.°, sed quia multo melius, antiquius et communius altero tribuitur), restat ut Jacobus minor, Jacobus Alphæi seu Cleophæ, Jacobus *frater Domini*, illius auctor sit. (Conf. pro iis denominationibus loca cit. et simul Gal. I, 19; II, 9; Act. I, 13 coll. XII, 2; XII, 17 coll. XV, 13; XXI, 18; quibus in locis uterque Jacobus nomine patris distinguitur ante martyrium Jacobi majoris, non vero postea). Demum universa fere traditio in id ipsum conspirat.—Jacobus numquam Hierosolymis exivit, sed illius ecclesiæ episcopus, mira prudentia quæstiones de observantiis legalibus dirimere conatus est (Act. XV et XXI 18...), vitæ sanctitate et legis observantia maximam existimationem nactus apud judæos omnes, qui eum *justum* dicebant, demum a summo sacerdote Anano abjurationem christianismi poscente tumultuarie judicatus et a plebe occisus fuit anno 62.°, ut tradunt Hegesippus et Josephus Flavius.

577. Authentia hujus epistolæ ex omnimoda convenientia cum adjunctis Jacobi eruitur ita, ut si non ille, nullus alius designari possit auctor, vel unquam designatus fuerit; perpetua item et constanti ecclesiæ alexandrinæ et antiochenæ traditio idem docet; usus illius ab. Irenæo, Tertulliano, immo et Clemente romano confirmat (licet non inveniatur in fragmento Muratori nec absque controversia acciperetur in latina ecclesia ante initium sæculi quarti); denique in codicibus præcipuis legitur, ob idque ab hodiernis protestantibus fere omnibus admittitur, in hoc Luthero suo superioribus.

578. Quando autem scripta fuerit, quibusve lectoribus destinata non pariter constat. Ex inscriptione (*tribubus quæ sunt in dispersione*, ἐν τῇ διασπορᾷ), et locis parallelis cum epistolis Pauli, passim colligitur post fundatas ecclesias græcas et asiaticas scriptam fuisse, epistolasque paulinas aliquando descripsisse Jacobum; sed hæ rationes non nimium urgent, cum loci paralleli vel casu, vel a Paulo desumpti in utriusque epistolis inveniantur; inscriptio vero non demonstrat ad judæos per imperium romanum dispersos et jam evangelio credentes (quod epistola necessario supponit) directam fuisse, sed ad judæo-christianos per Galilæam et Syriam dispersos mitti valuit, ut ex Act. VIII, 1 probari potest, ubi post necem Stephani omnes Christi fideles per Judæam et Samariam dispersos fuisse legitur (eodem vocabulo quo utitur Jacobus, πάντες δὲ διασπάρησαν), multoque melius dici potuit post persequutionem Agrippæ, necemque Jacobi majoris, furoresque Sauli. Fateor quidem communiorem et magna existimatione dignam sententiam esse, quæ inter annos 50 et 62, ad judæos christianos per

orbem dispersos scriptam esse docet; verum forte melius epistola explicabitur, si prius et ad solos judæo-christianos Palæstinæ et Syriæ scriptam admittamus. Nam eorum conventus adhuc synagoga dicitur (II, 2), nusquam de ethnicis conversis sermo est, altum silentium de lite in omnibus fere ecclesiis agitata super circumcisione et ceremoniis legalibus, quæ majorem curam postulabat, quam multa alia quæ hic admonentur; si ergo ad ecclesias græcas scribit Jacobus, vix intelligitur hac de re silentium. E contra plurima inveniuntur christianis palæstinensibus convenientia. Eos pauperes esse passim supponitur, et a divitibus concivibus injustitias passos (conf. Hebr. X, 34), ad judicia inique perductos, ob Christi nomen vilipendio traditos; quæ omnia temporibus illis frequentioris anarchiæ et dominationis summorum sacerdotum sæpe acciderunt, præsertim quando procuratores romani sibi invicem succedebant, et sub Agrippa rege, fanatici populi assentatore. Dum Jacobus divites hujus mundi et fratrum persequutores depingit, vel vindictam a Christo venturo sumendam minatur, ad summos illos sacerdotes saducæos eorumque asseclas, et ad Christi prophetias super Jerusalem perspicue satis alludit (II, 6-7; V, 1...).

579. Huc accedit *scopus Jacobi, qui totus in eo est ut ad constantiam in fide, non obstantibus tot adversis* (a) *fideles hortetur, et ad fugam defectuum moralium pharisæismi et saducæismi.* Primum passim occurrit (conf. I, 2-4; I, 12; II, 6-7; V, 1.....); alterum constat ex vitiis reprehensis, quo videtur judæos, non multo ante conversos, et suorum popularium moribus assuetos, ad perfectiorem vitam perducere velle. Vult Jacobus ut fideles veri israelitæ sint, legemque in omnibus adimpleant (pro illius temporis, loci et adjunctorum necessitate, prout ipse fecit); ut amarum zelum (velut pharisæorum) fugiant, ut in eum errorem suis familiarem (sterili ortodoxia contentis et de electione stirpis Abrahami gloriantibus) non incidant, secundum quem cognitio legis theorica ad salutem sufficiebat, absque practica præceptorum adimpletione (conf. I, 22...; II, 14....); ut personarum acceptores non sint (II, 2...), quod pharisæis et legis doctoribus quadrare passim ex evangelio discimus; ut legis explicandæ munus non ambiant (III, 1), desideriumque nimis loquendi fugiant, detractiones, malaque lingua (ib. 2.....); ut de hujus sæculi divitiis non sint solliciti,

(a) Quod extra palæstinenses ecclesias vix locum habuerunt usque ad Domitiani tempora; conf. dicta de ep. ad Hebræos.

maxime quæ concupiscentia, litibus, bellis privatis quæruntur, aliaque hujusmodi passim inculcat, quæ thesim nostram confirmant, ac judæo-christianis extra Palæstinam degentibus communia fuisse nemo jure affirmabit. Quæ enim a Paulo sæpe contra petulantiores judæos non plene conversos objiciuntur, iis similia prorsus non sunt, et circa legalium observantiam, aut etiam circa gnosticas lucubrationes versantur. (Conf. loca in contrarium allegata a Reithmayr: Tit. I, 10; 1 Tim. I, 4-6; VI, 3-10).

Omnibus igitur perpensis, probabiliu s judicamus scopum et verum epistolæ sensum illud esse, quod nunc exposuimus; ad judæo-christianos palæstinenses epistolam primo fuisse scriptam; primum denique, aut unum ex prioribus N. T. scriptis esse, licet accuratissime ætatem determinare non possimus, sed post Sauli vel Agrippæ persequutionem locum id habuisse censemus.

580. Doctrinam ejus doctrinæ Pauli oppositam circa fidei sufficientiam aut bonorum operum necessitatem aliqui censuerunt; non advertentes utriusque scopum diversum fuisse, Paulumque de ea fide loquutum *quæ per charitatem operatur*. (Conf. Gal. V, 6; 1 Cor. XIII, 1-2; 1 Tim. VI, 11; 2 Tim. II, 22 &c.). Doctrinam de confessione peccatorum hic contineri immerito a pluribus negatur (V, 16) ob vocabulum «*alterutrum*», quasi de quolibet fidele intelligi debeat; sacramentum denique extremæ unctionis clare docetur (V, 14, 15). Ratio disserendi, doctrinaque hujus epistolæ similis dici potest, servatis servandis, sermoni Christi in monte habiti; ac sicut hic inter doctrinam evangelicam, ita Jacobi epistola inter cæteras conspicuum occupat locum.

CAPUT LXVIII.

Petri persona: ejusdem Epistolæ 1æ destinatio, locus et tempus: argumentum: genuinitas: authentia Epistolæ 2æ: destinatio, argumentum, locus et tempus.

581. Petrus, Jonæ filius, Bethsaidæ natus, Capharnaumi uxore ducta habitavit, piscatoris officium exercens. Primo Joannem Baptistam audivit, deinde Christum cum fratre Andrea. Imposito ei nomi-

ne Κηφᾶς (*Petra*, unde Petrus) loco Simonis, Christus sibi illum adjunxit, valde dilexit maximisque honoribus cumulavit, supra cæteros Apostolos universamque Ecclesiam caput eum constituens. Amor et pietas erga Christum tenerrimi in eo fuerunt, ingeniumque nobilissimum, miro candore, ingenuitate, vivacitate, quæ quovis eventu graviori vehementer commovebatur; quod optime ea omnia explicat, quæ de ipso in Evangeliis et Actis leguntur, quæque adeo sibi connexa et harmonica sunt, licet in diversorum scriptis, ut ineluctabilem veracis narrationis characterem ostendant. Hæc enim omnia, aut ex ipsa natura desumuntur, aut nonnisi ab eminentissimo ingenio, qualis Homeri fuit, inventa esse possunt. (Conf. Luc. V, 1-8: Mat. XV, 15; XVI, 16; XIX, 27; XIV, 28; Jo. XIII, 6-9; VI, 68; Mat. XXVI, 33; Luc. XXII, 33; Jo. XIII, 37; XVIII, 10; XVIII, 16-27 cum locis parall.; Luc. XXII, 62; quibus locis inter se comparatis assertio nostra penitus evincitur, ut de iis taceamus quæ in Act. multa leguntur.)

Post Spir. Sancti influxum in festo Pentecostes, primus ad populum sermonem fecit, multaque passus est, et pro evangelio propagando in Palæstina laboravit; adeo ut certissimum ejus iter Romam versus, nonnisi post annum 42 evenire potuerit (conf. Act. VIII, 14; IX, 32; X; Gal. I, 19 coll. Act. IX, 26; Act. XII). Postquam carcere liberatus est, nulla illius mentio occurrit usque ad annum 52, quo concilio hierosolymitano præsens fuit, primasque partes egit, quo temporis spatio Romæ evangelium prædicavit (conf. quæ diximus n. 229). Inde Antiochiam venit (Gal. II, 11), jamque nihil de ipso in Actis occurrit. Sed post Claudii mortem, qui judæos et christianos Roma expulerat, valde probabile est illuc ipsum perrexisse circa annum 54. Quæ inde itinera apostolica susceperit non plane constat: traditio est in Hispaniam venisse, et maxime quidem fundata opinio, vel tunc temporis, vel antea, cum in occidentales partes veniret, Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam et Bithyniam peragrasse, ibique ecclesias fundasse vel in fide confirmavisse. Nempe, ut summus Apostolus, non solum fidei fundamenta jacere, sed et ecclesias ordinare et confirmare ipsi competebat. Hinc est, quod antiochensis ecclesia a Barnaba et Paulo potissimum fundata, Petrum tamen ut primum episcopum semper venerata sit; quod fecit et alexandrina a Marco, Petri discipulo, fundata. Demum Romam rediens circa annum 66.um ibi cum Paulo martyrium passus est sub Nerone die 29ª Junii anni 67i. (a). Quæ de

(a) Dr. P. Gams, benedictinus monachiensis, opinatur solum Paulum hoc anno et die martyrium passum fuisse; Petrum vero biennio antea, circa finem scilicet anni 24 sui pontificatus; ideoque asserit Pium VI longiori quam Petrus tempore Ecclesiam rexisse.

ejus doctrina nimis judaica et Paulo contraria dici solent, solido fundamento carent; immo ipse primus fuit qui ethnicum Cornelium in Ecclesiam recepit, absque cæremoniis prævis veteris legis, sententiam concilii probavit, et Paulo dextram dedit, ut in gentes ille potissimum iret, ipse vero in circumcisionem; quod modo exclusivo intelligi nullo modo debet, repugnantibus Actis apost. et utriusque apostoli epistolis.

582. Epistola ejus prima ad ecclesias Ponti et vicinas Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ et Bithyniæ inscribitur; nec ad solos judæo nec ad solos ethnico-christianos, sed ad omnes, ut ex ejus contextu apparet, sed præcipue postremos (conf. I, 18: II, 10; IV, 3; cum I, 10, 11; II, 6, 7, 22, 24; III, 5, 6, 10-12). Hinc vox *advenis dispersionis* non aliud significat, quam omnes christianos, ut pote regni coelesti cives, hospites et advenas in terris esse. Babylon de qua cap. V, 13 sermo est, nec Seleucia vel Ctesiphon intelligi debet, quæ nusquam Babylon simpliciter dicuntur, nec statio quædam militaris in Ægypto, quo Petrum nusquam traditur pervenisse, nec vera Babylonia, cum nonnisi obscurior traditio doceat ibi prædicasse, et quidem prius quam hæc epistola scripta fuerit. Intelligi ergo debet Roma, mystice a christianis Babylon appellari solita, ut ex Apocalypsi discimus; hocque antiquissima fideque digna traditio docet. Cum in epistola continuus respectus ad persequutiones christianorum fiat et calamitates, nondum quidem in Asia minori præsentibus, sed probabiliter imminentibus (I, 6; III, 14, 17; V, 9), et quidem ab ethnicis (II, 12; IV, 4) et magistratibus, qui christianos ut homicidas, fures &c. haberent (III, 16; IV, 14-16, 19); cumque hoc nonnisi circa Neronis tempora contigisset, unde ipse ansam arripuit christianos accusandi ut incensæ urbis et enormium flagitiorum reos, quæ quidem accusationes vulgi pagani (ex ipso vitæ christianorum genere, a suo prorsus alieno, ortæ) postea semper creverint et per provincias imperii propagarentur; jure colligitur post inceptam neronianam Romæ persequutionem, quam ad provincias extendi posse timendum valde erat, epistolam nostram scriptam fuisse, ut ecclesias illas ad tempestatem pararet, eumque vivendi et agendi modum inculcaret, qui formidandæ persequutioni prætextum nullum præbere posset; ideoque inter annos 65 et 67 id Petrum curasse censemus epistolamque istam exarasse.

583. Præmissa itaque salutatione, Deo gratias agit, qui nos vocavit in spem vivam per resurrectionem Christi, in hæreditatem incorruptibilem; cujus obtinendæ gratia omnia nunc adversa patienter toleranda sunt, et virtuti pro viribus incumbendum, non jam ambulantes in prioris ignorantiæ tenebris, sed in Dei imitatione, *qui Sanctus est*; eo magis, quod redempti simus, non corruptibilibus auri vel argenti, sed prætioso sanguine Christi (cap. I). Unde sicut modo nati infantes, omni malitia deposita, quæ rationabilia sunt quærere nos oportet lapides vivos, sicut Christus, ædificii illius magni, cujus ipse caput est. Quapropter omnes se ut peregrinos et hospites super terram considerare debent, et singuli propriis officiis obtemperare, ut gentes nihil, quod reprehendant, inveniant. Regibus et magistratibus obediendum, ut si ab eis aliquid pati necesse sit, non id jure, sed propter Christum fiat, qui prius pro nobis passus est, et peccata nostra pertulit, et quum malediceretur, non maledicebat (cap. II). Mulieres subditæ sint, modestia et virtutibus domesticis conspicuæ; omnes sint unanimes, fraternitatis amatores, non reddentes malum pro malo, Christum in se sanctificantes, parati ad satisfactionem reddendam omni poscenti rationem de propria spe; ut ita, si pati aliquid oporteat, non malefacientes sed benefacientes id sustineant, sicut Christus, qui passus est pro injustis et mortificatus carne fuit, sed vivificatus spiritu, in quo veniens prædicavit iis spiritibus, qui temporibus Noe increduli fuerant, quando fabricabatur arca, in qua pauci salvi facti sunt a diluvio, sicut nunc nos salvos facit baptisma (cap. III). Fugienda vitia præteritæ conversationis, virtutibus potioribus incumbendum, non fugiendæ passiones Christi, sed iis communicandum; idque gloriosum est, quoniam tempus retributionis accedit (IV). Seniores gregem Dei pascant benevolentia et charitate, subditi seniores obediant et revereantur, omnes adversus diaboli insidias numquam cessantes vigilent et resistant, ut Deus qui vocavit eos in gloriam, modicum passos perficiat, confirmet, solidetque (V).

584. Hujus epistolæ genuinitas ex omnibus primitivæ Ecclesiæ sacror. libr. catalogis constat, excepto cat. Muratori, non integro; laudatur insuper aut in usum adsciscitur a Papia, Polycarpo, Irenæo, Clemente alex., Tertulliano, Ephremo, et in omnibus antiquis versionibus adest. Ipsa etiam

optime Petro convenit (conf. præsertim V, 2, 3), hortationemque egregiam et primo Ecclesiæ capite prorsus dignam, adjunctisque illorum temporum accommodatam continet. Demum ab hodiernis protestantibus et rationalistis admittitur. Notatu digna sunt plura illius loca ad litteram locis epistolarum Pauli convenientia, unde recte deducitur has Petrum cognovisse et probasse, ut in 2ª epistola expresse dicitur (2 Petr. III, 15-16). (Conf. e.g. 1 Pet. III, 18; et IV, 1 cum Rom. VI, 3-14; I Pet. II, 13 cum Rom. XIII, 1-7, 1 Pet. III, 22 cum Ephes. I, 19, 28 &c. Item 1 Pet. V, 5, 6 cum Jacobi IV, 6, 7, 10).

585. Epistola Petri secunda. Authentia secundæ epistolæ Petri pluribus gravioribusque argumentis premitur; ast quæ pro ea militant multo majora sunt remque totam conficiunt, accedente jam a sæculo 5 totius Ecclesiæ consensu, immo et protestantium et plurium rationalistarum, quos inter Ewald goetingensis. Argumenta contraria hæc sunt: a patribus apostolicis non citatur, non erat in versione peschito, Origenes et Eusebius dubia commemorant circa ejus canonicam auctoritatem, stylus longe discrepat a 1ª, ipse demum auctor non apostolus fuisse videtur ex III, 2.

Verum mirum non est parvam epistolam ab aliquibus scriptoribus ecclesiasticis non allegari, ob non datam forte occasionem, aut etiam quia eam, in Asiam minorem primum missam, non omnes cognoverunt; postea vero, cum nec Petrus jam esset, nec eam a Patribus commemoratam viderent, diversumque stylum animadverterent, PP. et ecclesiæ renuerunt eam in canonem recipere; non enim ii erant qui quælibet pia reciperent, sed quæ certa traditione ab Apostolis habebant. Postea vero quam hæc traditio satis innotuit, ab omnibus ecclesiis admissa est, et in catalogis saeculi 4ⁱ labentis, et in omnibus fere saeculi 5ⁱ Patribus habetur. Stili diversitas in primis tanta non est, ut diversum postulet auctorem; deinde stilus Petri ex una tantum epistola plene cognosci nequit; accedit diversitatem hanc procedere posse ex eo quod Petrus vel unam tantum, vel nullam ipse per se scripsit, sed interprete diverso adhibito, diversus hujus stylus apparere debuit; demum ipsum argumentum sufficientissima hujus diversitatis causa esse potuit, cum prima tota esset parænetica et horta-

toria, altera vero polemica, acrius invehitur adversus illius temporis hæreticos nicolaitas: certe nullus est qui eodem stilo et ratione consilia det ad virtutes christianas et patientiam sectandam, et veritatem tuea tur, vel propriam causam contra malevolos adversarios defendat. Quæ demum ex cap. III, 2 objiciuntur, nulla sunt, quia non dicitur illic: *memores estote... apostolorum nostrorum*, sed cum optimis manuscriptis et edit. critica tischendorfiana: *apostolorum vestrorum*, ut in vulgata latina.

Interea pro ea sunt testimonia Clementis alex. qui ejus expositionem texuit (Euseb. H. E. VI, 14), Origenes qui sæpe ea utitur, licet lectoribus libertatem relinquat rejiciendæ, ut pote non firma adhuc traditione suffultæ, Firmilianus cappadox, Origenis discipulus, sicut et Didymus in hujus epistolæ commentario (cui tamen locus additus est eam *falsatam*, νοθευεται dicens), Cyrillus hierosol., Gregorius Nacian., canones apostolici, concilium laodicenum, Ephrem syrus, valde probabilius canon muratorianus, certoque Tertullianus (qui ait Petrum et Paulum in *suis epistolis hæreticos execratos fuisse*, quod nonnisi de 2ª Petri verum est. Int. opp. Cipr. ep. 70), etiam Hyppolitus, Irenæi discipulus (*de Antichristo* cap. 2) et Methodius (apud Epiph. *hæres.* LXIV, 31). Argumenta interna eamdem rem demonstrant. Nam auctor se Petrum Apostolum dicit (I, 1, 18; III, 1, 2, 15...); ipse igitur aut falsarius est inverecundus. Cum autem nulla sint quæ falsarii opus sapiant, non hæresis, non doctrina aut lingua peregrina, non scissio contra legitimos pastores, cumque longe verosimilius sit hanc epistolam simili epistolæ Judæ præcessisse et materiam ministrasse, cum demum Ecclesia non eam rejecerit, prout cum falsis scriptis facere consuevit; jure concludimus genuinum Petri Apostoli fetus esse.

586. Epistola hæc ad eosdem lectores quos prima scripta fuit (III, 1), ob audaciam hæreticorum illorum de quibus jam in epistolis Pauli fit mentio (conf. Timot.), et ut tenentes doctrinam Balaam, vel in viam Balaam ivisse dicuntur, et a Juda et a Joanne (in Apoc. sub nomine græco *nicolaitarum*) acerrime perstringuntur. Illorum dogmata ex hac et Judæ epistola facile cognosci possunt; inter quæ eminebat doctrina, nescio quæ, angelorum hunc mundum regentium, a quibus solam *gnosim* eripere homines posse effu-

tiebant, mores turpissimos habebant, adventum J-C ridebant, Pauli epistolas falso interpretabantur, apochryphis historiis nixi, quibus omnibus maximo offendiculo fidelibus erant.

Adversus hos pseudo-doctores epistola nostra insurgit, ad bonos mores et christianas virtutes fideles invitat (cap. I), hæreticos graphice describit pluraque dogmata eorum docet (cap. II), et varia argumenta refellit (præsertim de adventu Domini qui ob electos differtur, eo magis quod mille anni apud Deum sicut dies unus sint), scriptaque Pauli laudat (cap. III).

587. Ex I, 14 discimus jam tunc mortem Petri imminere, ideoque anno 66 vel 67 scripta Romæ fuit. Hoc asserit occasione accepta ex argumento quod sibi a lectoribus objectum fingit (I, 12), nempe nimium in iisdem admonitionibus insistere. Quare ait: utique insistam quandiu in hac vita fuero, quam brevem futuram esse scio ex revelatione (forte ea qua Christus ei apparens cum Roma exiret, proximum martyrium denunciavit, ut antiqua gravisque traditio fert); proinde dum vivus sum, omnem dabo operam ut semper in posterum horum, quæ vobis præcipio, memores sitis. Non enim de intercessione post mortem hic agi, ut pluribus placuit, ex contextu planum esse videtur.

CAPUT LXIX.

Epistola 1ª Joannis: scopus, occasio et destinatio: argumentum: integritas: Epistolarum 2æ et 3æ genuinitas, inscriptio, scopus et argumentum: Epistola Judæ.

588. Ex dictis super evangelio Joannis, eadem, immo potiori ratione constat hujus epistolæ genuinitas; quæ etiam in omnibus libr. sacror. catalogis invenitur, nec repugnant adversarii rationalistæ, nisi pauci minusque conspicui. Communis etiam opinio est epistolam istam una cum evangelio ita Ecclesiæ traditam fuisse, ut genuinitatis et scopus illius argumentum esset, quod ex iis potissimum probabile fit: α) initio

et fine caret epistolæ proprio, non enim legitur designatio auctoris consueta, nec lectorum ad quos mittitur, nec salutatio finalis; β) in fragmento Muratori, post animadversionem factam convenientiæ 4 evangeliorum, ita locus hujus epistolæ allegatur, veluti si quarti evangelii confirmativa esset; γ) initium epistolæ promittere videtur narrationem eorum quæ solum in evangelio sunt, licet enim aliqua circa personam Christi epistola contineat, ast non tanta quanta ex cap. I, v. 1, 2, 3 exspectanda erant; δ) versiculi 12-14 cap. II nonnisi ad ea quæ in evangelio sunt (cap. XX, v. 30, 31) referri commode possunt; ε) nuspiam in ea leguntur testimonia quæ data ab auctore dicuntur cap. V, 9...; ζ) cap. II, 21-26 asserit auctor nova non esse lectoribus ea quæ *scripta sunt*, nihil vero antea legitur pro confirmatione illius dogmatis, de quo v. 22, et circa quod periculum aderat seductionis, a qua lectores removere conatur. Verisimillimum igitur est epistolam nostram, velut encyclicam et evangelii Joannis dedicatoriam spectari debere; ideoque scriptam fuisse eo loco et tempore quo ipsum evangelium, nempe Ephesi circa annum 96-98, ut communior sententia fert, vel inter 70-80, ut nobis magis arridet.

589. Jam ex his constat epistolæ scopus et occasio, sicut et lectores quibus primum destinata fuit, ecclesiis scilet Asiæ, ubi profundiores radices emiserant gnosticæ sectæ, quibus debellandis evangelium Joannis scriptum fuit. Nec obest inscriptio «*ad parthos*» quorumdam manuscriptorum, qua etiam a nonnullis patribus designatur; hæc enim inscriptio orta videtur ex breviata locutione græca παρθους vel πρθους pro παρθένους, hoc est, *ad virgines*, vel sumpta denominatione ex 2ª epistola (quæ ita dicitur a Clemente alex.), vel potius ad designandas *ecclesias* nomine mystico *virginum*; nullum est enim vestigium ad parthos epistolam missam fuisse.

590. Quæ in ea continentur ad hæc fere reduci possunt: 1.° narrationes de vita et doctrina J-C in evangelio a Joanne conscripto veræ prorsus sunt, confirmanturque a fratribus illis qui simul cum Joanne testimonium perhibent (conf. n. 463); 2.° præcipua indicantur capita, quorum rectæ intelligentiæ et confirmationi evangelium conscriptum fuerat, ut veritas incarnationis, mors Christi expiatoria, remissio peccatorum et vita æterna per fidem obtinenda (quæ

magis minusve inficiabantur scholæ gnosticæ); 3.° plena declaratio necessitatis legis divinæ adimplendæ ad perfectam communionem cum Christo, *quæ præcipue in charitate consistit.* Ita confirmatur præcedens prædicatio Petri et Pauli, hujusque doctrina explicatur circa necessitatem et vim fidei, *quæ per charitatem operatur.*

591. Circa integritatem hujus epistolæ, seu genuinitatem celeberrimæ illius pericopes (V, 7) *tres sunt qui testimonium dant...* eadem semper existit quæstio (conf. Perrone). Germani scriptores rationalistæ et protestantes omnes pericopen rejiciunt, ut rem jam judicatam; catholici aut prorsus tacent, ut Reithmayr, et Güntner, aut non *genuinam* declarant, sed *canonicam* quatenus ab Ecclesia approbatam, quæ est opinio D. Haneberg, cohærenter ad suam de inspiratione doctrinam, de qua suo loco. In editione critica D. Tischendorf ita locus disponitur: (v. 7) ὅτι τρεῖς εἰσὶν οἱ μαρτυροῦντες, (v. 8) τὸ πνεῦμα καὶ τὸ ὕδωρ καὶ τὸ αἷμα, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν. (v. 9) &c., nempe: (v. 7) *quoniam tres sunt qui testimonium dant*, (v. 8) *spiritus et aqua et sanguis, et ii tres in unum sunt.* Manent itaque etiam hac dispositione verborum argumenta, quibus catholici integritatem totius loci vindicant (vide ea apud Perrone): ex necessitate contextus, ex convenientia cum doctrina a Joanne sæpe tradita, et ex testimoniis extrinsecis, quorum præcipua sunt Patrum africanorum, præsertim Cypriani, Tertulliani, Fulgentii, Augustini in Speculo (opere ex testimoniis S. S. edit. italicæ absque ullo commentario consarcinato; conf. ed. Mai, et *Annal.* t. 48), ac quadringentorum episcoporum sub rege Hunerico, anno 484 hoc testimonio utentium pro doctrina Trinitatis *luce clarius*, ut ipsi dicunt, demonstranda; item plurium manuscriptorum pericopen habentium; aliorum etiam quæ vel obelum, vel quodlibet aliud signum, vel το *in terra* legunt, unde antiqua loci præsentia, saltem ut dubiæ genuinitatis demonstratur, probabilisque fit opinio asserentium casu omissum fuisse in codice antiquissimo, unde in cæteros transiit defectus. Quare maxima pars codicum græcorum hac pericope careat facile explicatur, quia scilicet Eusebius a Constantino munus accepit 50 exemplaria Sacr. Bibliorum transcribendi, ac mittendi ad præcipuas ecclesias; quod ut nova bibliorum editio spectari potest, in qua nostra pericope deest opera ejusdem Euse-

bii, circa doctrinam Trinitatis non prorsus ortodoxi, quique proinde levi quorumdam exemplarium auctoritate ductus, locum hunc omittere satius duxit.

592. SECUNDA ET TERTIA B. JOANNIS EPISTOLA. Brevissimarum epistolarum Joannis 2ae et 3ae genuinitas pluribus dubia fuit, nec in canone ecclesiæ antiochenæ, nec in versione *peschito* continebantur, serius autem etiam ibi receptæ sunt, ut de S. Ephrem syro constat. Contra, ecclesia alexandrina eas semper admisit, ut ex Clemente, Dionysio (qui contra Apocalypsim hinc argumenta sumebat), Alexandro, Athanasio &c. discimus. In occidentalibus partibus pro illarum canonica auctoritate pugnat catalogus muratorianus, Irenæus, et cartaginensis synodus a S. Cypriano celebrata (apud Socratem I, 6). Ipsæ etiam epistolæ ut opus Joannis se produnt, vocabulorum illius familiarum usu (conf. 2am, v. 5-7, 4, 9... et 3am, v. 3, 4, 11): immo ipsa auctoris designatione sola voca *Presbyteri*, qua impossibile erat ut lectores earum primi, et omnes ecclesiæ postea, simplicem sacerdotem ephesinum dignoscerent; nec ratio reddi posset cur demum Joanni Apostolo adscriptæ sint, nisi vera esset traditio juxta quam hoc epitheto designabatur; quidquid de ea opinione sit quæ duos Ephesi Joannes distinguit, ex male intellecto forte loco Papiæ apud Eusebium; quem quidem locum jam transcripsimus agentes de origine evangeliorum (conf. n. 477). Cum vero ad personas privatas missæ fuerint, cumque, ob earum brevitatem, ad lectionem et enarrationem in sacris christianorum conventibus consuetam minus accommodatæ essent, factum est, ut ecclesiæ aliquæ, et scriptores ecclesiastici non eas initio cognoverint vel in usum adhibuerint; unde posterius orta dubia sunt, nec facile admissæ fuerunt, nisi postquam illarum genuinitas satis constavit.

593. Prior earum *Electæ dominæ* in vulgata lectione adscribitur, verosimilius autem *electæ Dominæ* legi deberet ut v. 13 suadet, quo eam salutat nomine sororis suæ *Electæ*, item v. 5, ubi eam nomine proprio compellare videtur. Et hoc quidem si de femina quadam sermo est, et non potius de aliqua ecclesia; quod pluribus ex veteribus et neotericis non injuria arrisit. Dominam istam (Κυρία ut nomen proprium adhiberi solitum erat) laudat ejusque filios (forte ecclesiæ fideles), eo quod *ambulent in veritate*

sicut mandatum accepimus, hortatur ad mutuam charitatem, deterretque ab apostasia et falsa doctrina; præcipiens ut iis, qui eam prædicant, nec hospitium domi concedatur, nec *ave* dicatur.

594. Tertia epistola Caio vel Gaio charissimo dirigitur, qui quis fuerit non constat. Illum laudat ob hospitalitatem in fratres exercitam, et simul conqueritur de Diotrephe, ecclesiæ præposito, qui auctorem et fratres ab eo missos non recipiebat, et verbis malignis in eum garriebat. Salutatione sua et amicorum epistolam claudit. Sunt itaque istæ duæ epistolæ fere familiares, sed de rebus ad religionem pertinentibus agentes, et divino spiritu ortæ; ex quibus pauca quidem, sed aliqua tamen ad agendi modum christianorum pertinentia eruuntur, præcipue *intolerantia religiosa* optimo sensu intellecta; unde nata est illa priorum Ecclesiæ præpositorum oppositio ad recipienda scripta et dogmata aliena, ab ipsis Apostolis non descendentia, quod, ut suo loco vidimus, non parum confert ad rem nostram pro genuinitate, puritate, auctoritate sacrorum librorum.

595. Epistola Judæ. Judas, epistolæ canonicæ auctor, fratrem Jacobi se nominat (1), unde certum est Judam Apostolum fuisse (conf. Joan. XIV, 22; Luc. VI, 16; Act. I, 13), cognominatum Taddæum (Mat. X, 3; Mar. III, 18), solus enim Jacobus Apostolus, Solymorum episcopus et frater Domini, eam celebritatem obtinebat, qua Judas cognosci ab omnibus posset hoc unico cognomine: Judas J. Christi servus, *frater autem Jacobi* (1; conf. quæ diximus in epist. Jac.). Post pauca quæ de ipso in evangeliis leguntur, nulla alia certa traditione cognovimus, cum Taddæus ille qui inter syros Edessæ evangelium prædicavit, non Apostolus, sed unus e 70 discipulis probabilius fuerit. Nihil tamen impedit quominus cum multis antiquitatis monumentis statuamus illum primo in Palæstina, deinde cum Thoma in Syria, Mesopotamia, Assyria et Persia evangelium prædicasse, martyriumque in urbe Beryto subiisse.

596. Canonica epistolæ auctoritas solidissima traditione fulcitur; in omnibus namque est sacror. libr. antiquis catalogis (præter syrum, sed ab Ephremo jam admissa erat), laudatur a Clem. alex. et Origene, nullamque aliam rationem dubitandi aliquibus scriptoribus ecclesiasticis adfuisse cognovimus, præter allegationes librorum apocryphorum *Ascensionis Moysis* et *Enoch* (6 et 14). Id tamen nihil demonstrat contra auctoritatem epistolæ, ut jam S. Hiero-

nymus adnotavit: «Judas, frater Jacobi, parvam quidem quæ de septem catholicis est, epistolam reliquit. Et quia de Enocho, qui apochryphus est, in ea assumit testimonium, a plerisque rejicitur: tamen auctoritatem *vetustate jam et usu meruit et inter sacras Scripturas computatur*». (*De viris illust.* c. 4). Præterea Paulus etiam allegavit dictum Epimenides (Tit. I, 12), Arati (Act. XVII, 28), Menandri vel Euripides (1 Cor. XV, 33), librum Jamnes et Mambres (2 Tim. III, 8), quin iis auctoribus vel scriptis auctoritatem aliquam tribuat, sed solum ornatus causa, vel argumentationis *ad hominem*; nihil ergo ex allusionibus Judæ ad libros apochryphos (si tamen veræ allusiones sint, et non potius traditionem vel divinam inspirationem auctor respiciebat, quod plerique ex veteribus censuerunt) contra ejus epistolæ genuinitatem, aut etiam veracitatem eruitur; satis est enim ad auctoris scopum ut facta, quorum mentionem facit, vera essent, vel etiam pro veris haberentur a falsis illis prædicatoribus contra quos invehitur; hoc autem optime consistere potest, etiam si ex libris apochryphis desumerentur, neque enim omnia quæ in falsis libris habentur, falsa sunt, sed longa traditione plura desumpta. Ex intima analogia hujus epistolæ cum 2ª Petri cap. 2, patet ad eosdem lectores et contra eosdem hæreticos scriptam fuisse, quos eodem modo depingit et iisdem punitionibus minatur. (Comp. v. 6 cum 2 Pet. II, 4; 11 cum 2 Pet. II, 15; 12 cum 2 Pet. II, 17; 18 cum 2 Pet. III, 3; IV, 8 et 12 cum 2 Pet. II, 1-3 et III, 3; 9 cum 2 Pet. II, 11). Quibus locis præterea discimus epistolam Judæ posteriorem fuisse epistola Petri; in hac enim ut futuri depinguntur hæretici illi qui in epistola Judæ semper ut præsentes sistuntur. Verum est etiam Petrum de præsentibus sermonem facere, sed ita tamen ut jam tunc pericula falsorum doctorum incepta videantur, quæ in futurum majora esse deberent; Judas autem ut gravissima ostendit quæ suo tempore exsistebant (v. 3). Item obscurius Petri dictum (2 Pet. II, 11) clarius evadit apud Judam, per allusionem ad librum *De assumptione Moysis* (v. 9); illud vero quod legitur 2 Pet. II, 15, amplificatur a Juda v. 11. Judas igitur, ob præsentem hæreticorum audaciam et periculum perversionis fidelium, eos voluit præmunire, cæterorum Apostolorum doctrinam et prædictionem in memoriam revocando. Locus scriptionis

determinari nequit; tempus vero, ex dictis, post annum 66 vel 67.

CAPUT LXX.

Apocalypsis, ejusque authentia: causæ ob quas in dubium revocata fuit: locus et tempus compositionis: argumentum: adnotationes pro ejusdem exegesi.

597. *Apocalypsis* græca vox est, revelationem seu manifestationem significans; non hoc tantum sensu quod *apparitio corporalis* alicujus, præsertim Christi, denotetur, sed declaratio rei arcanæ, quæcumque demum sit (1 Cor. XIV, 26). Non igitur hoc sensu tantum accipitur hæc vox, quum liber Joannis designatur, quasi scopus ejus præcipuus sit adventus secundus C-J in carne, sed eo etiam, immo præcipue, quod rerum absconditarum descriptionem et prædictionem contineat. Contraria sententia gratis confecta est, ad irridendam priorum christianorum, Apostolorum, et Christi ipsius prætensam spem statim post (vel ante) mortem veniendi in nubibus coeli, ad munus messianicum satis judaice intellectum exercendum. Quod si aliæ apocalypses apocryphæ scriptæ hoc sensu fuerunt sive a catholicis, ut apoc. Petri, sive a sectariis, ut apoc. Pauli et Tomæ, hoc nil nostra interest.

598. Hujus libri authentia argumentis solidissimis fulcitur internis et externis, quamvis nonnullis difficultatibus subjiciatur. In primis auctor ipse se satis designat proprio nomine Joannis, absque alia nota; quod Joanni Apostolo tantum convenire poterat. Deinde se in insulam Patmos relegatum dicit, atque septem ecclesiis imperio et auctoritate solius Apostoli propria loquitur; scopus ergo auctoris erat se ut Apostolum Joannem exhibere, ac proinde, vel ipse revera est, vel falsarius, qui tamen ecclesiis fucum facere nequivisset ante nec post obitum Joannis, in Asia proconsulari notissimi. Denique plura sunt vocabula Joanni Apostolo consueta (μαρτυρία et μαρτυρεῖν, testimonia, testimonium perhibere; νικᾶν, vincere, respectu ethico; τηρεῖν τὰς

ἐντολάς, τὸν λόγον, custodire mandata, verbum; δοῦναι εἰς τὰς καρδίας, dare in corda aliquorum; ζωῆς πηγαὶ ὑδάτων, ποταμὸς ὕδατος ζωῆς, vitæ fontes aquarum, fluvium aquæ vitæ; λόγον τοῦ θεοῦ et ἀρνίον, verbum Dei, agnus, ad dessignandum Christum &c. conf. formulam *post hæc* IV, 1; VII, 1-9; item II, 13; III, 8; VII, 1, 9; II, 2-6, 8; IX, 21 quasdam sententias, phrases et parallelismos Joannis peculiares). Argumenta extrinseca validissima suppeditat universalis traditio priorum saeculorum; nam, excepta ecclesia syriaca, in qua tamen Theophilum antiochenum et Ephrem librum hunc, ut auctoritatem divinam habentem, sæpe allegasse constat, cæteræ omnes ecclesiæ in canone librorum sacrorum Apocalypsim receperunt. Immo patres apostolici et alii antiquissimi argumenta suppeditant pro re nostra, nempe, in ecclesia alex. Clemens, Origenes, Methodius; in exarcatu ephesino Papias (apud Andream cappad.), Melito, sardensis episcopus (cui ecclesiæ Apocalypsis primum destinata est) et Appollonius; in Africa Tertullianus et Cyprianus; Romæ canon muratorianus; in Gallia Irenæus et Hyppolitus ejus discipulus, ipseque Justinus qui commentarium hujus libri edidit, ut nihil dicam de Hieronymo, Augustino &c.

599. Quoniam vero obscurior liber lectionibus publicis et homiliis minus aptus erat, et sectarii eo abuti coeperunt, millenarii, cerinthiani, montanistæ et nepotiani; auctoritas ejus partim infirmata est, alogi eum rejecerunt, Dionisius alex. Joanni presbytero tribuit, aliique patres et concilia ut dubium habebant, vel inter libros canonicos non numerabant. Nullus tamen opinionem alogorum secutus est, sed librum ut canonicum admiserunt, etsi Joanni Apostolo abjudicaverint, ut Dionisius alex.; vel de eo dubitantes ob allatas rationes, minus eo utebantur etiam inter latinos, præcipue quia enarrationibus in liturgia faciendis minus aptus erat propter ejus obscuritatem; quare toletanum concilium anni 633 sub anathematis poena sancivit ut omnes eum admitterent, et in ecclesiis legerent a paschate usque ad pentecostem, nec nisi post Joannem Damascenum omnis dubitatio sublata est. Syri nondum receperunt, et protestantes, post diversas mutationes, demum omnes fere recipiunt, ut etiam rationalistæ, ad rem suam Joanni Apostolo eum tribuentes, tamquam ante destructionem Jerusalem scriptum. Atque ita argumentis respondetur ex agen-

di ratione nonnullorum Patrum, conciliorum et ecclesiarum petitis. Interna vero argumenta levia sunt; nam libri obscuritas, diversus ab evangelio Joannis stylus, et multiplex repetitio nominis auctoris, ex argumento et genere dicendi prophetico repeti debent, quo Joannes veterum prophetarum imagines, vividasque descriptiones et figuras imitatus est.

600. In insula Patmos scriptam fuisse apocalypsim communiter eruitur ex cap. I, 9; ast ibi tantum locus indicatur ubi revelatio facta est, non ubi scripta; recte ergo quisque Ephesi scriptam fuisse diceret, si vel hoc solide constaret. Nec etiam tempus constat, quo edita est, saltem ex libri contextu; nam hoc tantum legimus, Joannem in Patmos fuisse relegatum, non tamen quando vel a quo relegatum fuerit. Mentio item quinque Cæsarum, qua aliqui concludunt tempore Neronis vel Galbæ scriptam fuisse, multo obscurior est, quam ut ex ea quidquam certe erui possit, ut ex diversorum commentariis constat. Patrum auctoritas nos ducit in persecutionem Domitiani, qua Joannes passus est Romæ, ac in Patmos relegatus, ubi apocalypsim vidit anno 96. Ita Irenæus ait (adv. hær. XXX, 3): «Si oporteret manifeste præconari nomen ejus (bestiæ, de qua Apoc. XIII), per ipsum utique editum fuisset qui et Apocalypsim viderat. Neque enim ante multum temporis visum est, sed pene *sub nostro sæculo, ad finem Domitiani imperii*». Fortasse hæc sunt vero similiora circa Joannis persecutionem: Neronis tempore in dolium ferventis olei missus est *ante portam latinam*; suplicii enim babaries neronianam crudelitatem redolet. Inde tamen cum vivus servatus fuisset, in Asiam perrexit, ibique omnium fere ecclesiarum illius regionis inspector extitit et evangelium edidit. Domitiano vero persecutionem movente, a quodam ejusdem regionis præfecto *propter testimonium J-C* in proximam insulam Patmos relegatus, Apocalypsim vidit, ibique, vel Ephesi demum sub imperio Nervæ, litteris tradidit; qua sententia facilius conciliantur veterum Patrum dicta, non satis sibi convenientia. Cæterum sententia Irenæi communior est; S. Epiphanius hunc Joannis exilium errore lapsus Claudio tribuit; recentiores autem, qui sub Nerone scriptam Apocalypsim docent, ambiguo Tertulliani loco nituntur aliis clarioribus contrario, et tali Hierosolymorum et templi pictura, quæ ambo existere tempore scriptionis indicare videtur; sed id poëtico et prophetico dicendi generi tribui debet. Qui hanc postremam sententiam tuentur, ob opinionem adventus Christi jam tunc imminentis ad restaurandam Israel gloriam, quam quidem opinionem Apostolis gratis tribuunt etiam post *fœnomenon diei Pentecostes*, eamque spem

ab ipsorum animis ablatam dictitant post civitatis et templi exscidium; ii quidem coeca incredulitate ducti, *nesciunt quid loquuntur, neque de quibus affirmant*. Neque enim hæc sententia cum Apostolorum factis et dictis conciliatur, neque cum superna illustratione etiam ab incredulis aliquo saltem modo admittenda, neque cum ineluctabili Apostolorum et discipulorum fide et constantia usque ad mortem, quæ prorsus evanuisset fanatico errore detecto, neque cum traditione jam allegata, neque demum cum regni millenarii somniis, ab Ecclesia constanter repudiatis; quamvis nonnulli Patres ob Apocalypsim non bene intellectam, in ea incidissent. Irenæi sententia confirmatur ex ipso libri contextu; nam α) duæ ex septem ecclesiis commemoratis non nominantur in Actis neque in Pauli epistolis; cum tamen in Apocalypsi non recens fundatæ appareant, concluditur librum hunc serius scriptum fuisse; β) tunc temporis fiebat universalis persecutio (XIII, 7, 8), quæ neroniana non fuit, bene vero domitianea; γ) bestia coccinea plena nominibus blasphemiæ, et mulier ebria de sanguine sanctorum (cap. XIII et XVII), Domitianum indicare videntur, affectatæ divinitatis reum et crudeli sanguinis effusione notissimum.

601. Post brevem exordium exhibetur Joannes videns in insula Patmos in dominica die Jesum ambulantem inter septem candelabra aurea, tenentem manu septem stellas, et ore gladium utraque partem acutum; qui ei loquitur, et jubet ut scribat septem ecclesiis Asiæ per septem candelabra significatis, et eorum episcopis sive *angelis*, quos septem stellæ designabant; nempe, episcopo Ephesi, Smirnæ, Pergami, Thyatiræ, Sardis, Philadelphiæ et Laodiciæ, quibus salutaria monita dat ad vitæ reformationem vel ecclesiarum regimen (cap. I-III). Post hæc thronum Dei videt viginti quatuor senioribus et quatuor animalibus circumdatum, a quibus perpetuam laudem Sedens accipit. Tunc librum videt septem sigillis obsignatum, quem nemo præter Agnum aperire potest; postquam autem ab eo aperitur omnes Agnum glorificant (IV-V). Aperto primo sigillo exiit homo super equum album, ut triumphator; post secundum sigillum, alius exit sedens super equum rufum ut sumat pacem de terra; post tertium alius exiit super equum nigrum in manu stateram habens, qua plagam famis designat; quarto sigillo aperto, exiit mors super equum pallidum, quem sequitur infernus, quæ omnia magnam hominum stragem significant; post quintum sigillum animæ martyrum vindictam a Deo orant, et jubentur sperare quoadusque nu-

merus eorum impleatur; aperto sexto, magna et terrorifica naturæ universæ quassatio fit, dum stellæ de coelo cadunt, sicut ficus emittit grossos suos quum a vento magno movetur; nempe præparatio et veluti exordium est calamitatum quæ postea depingendæ sunt (cap. VI). Ante aperitionem septimi sigilli signantur electi ex singulis tribubus Israel, id est, 12000 pro qualibet tribu, excepta tribu Dan (a), et omnium populorum turba magna est in conspectu throni (cap. VII). Aperto demum septimo sigillo, septem Angelis dantur tubæ, quibus succesive canentes, magnas calamitates terræ afferunt usque ad tubam sextam, quæ sicut sextus sigillus, præparationem majorum malorum indicat. Tunc solvuntur quatuor Angeli, qui exercitu maximo stipati, variis plagis tertiam hominum partem interimunt (cap. VIII-IX). Angelus fortis apparet, qui uno pede super terram, altero supra mare posito, elevat manus suas ad coelum et jurat per viventem in sæcula sæculorum, quia tempus non erit amplius, sed postquam septimus Angelus tuba cecinerit, mysterium Dei fore consummandum; postea librum dat Joanni ut illum devoret (cap. X). Jubetur Joannes templum dimetiri, et duo illi prophetæ nunciantur, qui prædicabunt quadraginta duorum mensium spatio, postea occidentur a bestia, jacebuntque per tres dies et dimidium in plateis Sodomæ et Ægypti spiritaliter, id est, Jerusalem, post quos resurgent, in coelumque ascendent. Tunc septimus Angelus tuba canit, et omnium gentium judicium prenunciatur, fit regnum Christi, beati illum laudant, gentes ira replentur, apparet templum Dei in coelo, et arca testamenti, fiuntque fulgura, et voces, et terræmotus et grando magna (cap. XI). Mulier gravida apparet in coelo, quam persequitur draco ut semen ejus devoret, cogitque in solitudinem secedere, postquam ipse in coelo devictus fuerat et pulsus, secum trahens tertiam partem stellarum (cap. XII). Bestia de mare ascendit habens septem capita et decem cornua, sanctosque debellat; alia bestia de terra sur-

(a) Quæ forsitan erat in autographo pro tribu Manasses, quæ videtur inclusa in tribu Joseph; alioquin hæc solum designaret tribum Ephraim, vel Manasses bis numeraretur, quod incongruum est, et scopo auctoris contrarium, qui numerum 12 quadratum exprimere vult, nempe 144,000.

gens et duo cornua habens, omnes cogit adorare bestiam primam: hæc secunda nomine symbolico designatur per numerum 666, qui *numerus hominis est*, sed a nemine adhuc certo interpretatus (cap. XIII). Angelus super montem Sion apparet cum 144000 signatis Deum laudantibus, alius volat per medium coelum, secum ferens evangelium æternum, omnesque docens ut Deum timeant, quia venit dies judicii; tertius sequitur dicens: *cecidit, cecidit Babylon itla magna, quæ a vino fornicationis suæ potavit omnes gentes*; justorum beata mors prædicatur; Filius hominis jubet terram dimetiri et vindemiari (cap. XIV). Qui bestiam vicerant Deum laudant; septem Angeli de coelo exeunt cum phialis plagarum plenis, ut eas super terram effundant, quo facto, plagæ maximæ veniunt, et homines Deum blasphemant ob postremam plagam grandinis (cap. XV-XVI). Mulier fornicaria sive Babylon, ebria martyrum sanguine describitur, nempe Roma, ejusque lapsus, judicium, plagæ et ultiones (cap. XVII-XVIII). Tunc parantur nuptiæ Agni: Verbum Dei cum ingentibus exercitibus veniens, pugnat adversum bestiam et reges terræ, eosque devincit: draco alligatur per mille annos, postea solvitur et gentes congregat, Gog et Magog; sed ignis de coelo eos devorat, diabolus qui eos ducebat in stagnum ignis mittitur, mortui judicantur, et qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis (cap. XIX-XX). Coelum novum, et terra nova, et civitas Jerusalem coelestis describuntur, ubi felicitas perpetua est; verba prophetiæ hujus vera sunt; beatus qui ea credit et servat; nihil eis addendum, neque signari debent, quia tempus prope est. Sequitur salutatio (cap. XXI).

602. Scopus Apocalypsis totus in eo est ut animos fidelium, omnis generis calamitatibus pressos, erigat certitudine victoriæ quam Ecclesia Christi de omnibus adversariis obtinebit, et spe hæreditatis beatæ, quæ in coelo fidelibus reposita est, timidis vero et perfidis occlusa, dum pseudo-prophetis et omnibus eorum asseclis ignis æternus paratus est. Circa ejus vero explicationem hæc tenenda: α) liber certo propheticus est, non mera poëtica descriptio ruinæ judaismi, de qua nullum est verbum, vel paganismi (conf. I, 3; XXI, 10); β) hæc prophetia nec solos eventus proxime futuros, nec solos postremos et tempora Antichris-

ti respicit, sed utrosque; γ) tria priora capita circumstantias septem ecclesiarum et episcoporum proprias respiciunt, non obstante numero *septem* symbolico et saepius postea occurrenti; δ) capita XVII-XVIII certo de urbe Roma, ut paganismi et idololatriæ sede christianam religionem odientis, loquuntur; ε) necessarium non est ut singulæ visiones singulares eventus designent, sed possunt esse poëticæ descriptiones repetitæ eorumdem eventuum; neque etiam quælibet visionum circumstantia suum significatum necessario postulat, sed ornatus poëticus esse potest, more prophetarum consueto, quos B. Joannes imitatur, præsertim Ezechielem, Danielem et Zachariam, quosque ad Apocalypsim melius intelligendam consulere opus est; ϛ) numeri, epochæ, aliaque ejusmodi, ut plurimum symbolicam significationem habent, nec proinde suo valore arithmetico necessario accipienda sunt, nisi ipse contextus postulet; ζ) nullo modo simile vero est eventus politico-religiosos præcipuos futuræ humanitatis graphice et chronologice fere in Apocalypsi designari, quod nonullis visum est, infirma analogia vel similitudine ductis; unde factum est, ut vix quidquam magni evenerit, a temporibus Christi ad nostra, quod in Apocalypsi prædictum non fuerit, juxta nimios hos investigatores; atque ita vix liber sanctus ludibrio non traditur, dum v. g. philosophia materialistica sæculi XVIII, rebelles motus Galliæ, persecutio napoleonica, in Apocalypsi inveniuntur. Hoc quidem ingeniosum esse potest, absolute non repugnat; sed nulla probabili ratione fulcitur; η) Idem dicas de calculis circa finem mundi, qui semper imminet, si fides sit signa coeli observantibus, et mille annos numerantibus, sed non prudenter Scripturam interpretantibus, juxta quam: «non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate—De die illo vel hora nemo scit—Ecce sto ad ostium et pulso; si quis audierit vocem meam et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et coenabo cum illo et ipse mecum.—Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici et sedeo cum Patre meo in throno ejus—Si non vigilaveris, veniam ad te tamquam fur, et nescies qua hora veniam ad te». (Act. I, 7; Marc. XIII, 31; Apoc. III, 20, 21 cum locis parall.); ϰ) respectus habeatur ad stylum poëticum atque propheticum, tropis et figuris abundantem, quæ sensu trans-

lato accipi debent; λ) quæcumque demum sententia probetur, fiat id prudenter, absque cæterarum contumelia, nisi ab Ecclesia proscriptæ sint: velut illa pseudi Aben-Ezra hispani (a), non obstante mira eruditione et innumerabilium Scripturæ textuum felici (saltem prima fronte) collatione; ¿quis enim tot inter sententias diversas et contrarias, propriam ut veram vel catholicam nisi stolide tuebitur?

(a) Nempe, La Cunza: *La venida del Mesías en gloria y Majestad*, opus prohibitum, ut aliud ex illo fere desumptum: *Daniel* &c.

SECTIO IV.

DE S. SCRIPTURÆ THEOPNEUSTIA.

CAPUT I.

Pondus et status quæstionis de divina Bibliorum auctoritate: quid sentiant protestantes supernaturalistæ: origo protestantica et philosophica rationalismi.

603. Gravissimam hanc cum incredulis omnibus inimus controversiam circa omnium V. et N. T. librorum divinam auctoritatem, qua fit ut doctrinam contineant a Deo hominibus traditam scriptorum hagiographorum ministerio, ac proinde ut, quæ in iis libris traduntur, sive historica, sive didactica aut prophetica, vera prorsus sint, et ea quæ iis aliquo modo adversantur, falsa prorsus in quocumque rerum ordine pronuntiari debeant. Atque hanc controversiam huic loco reservavimus, quia semel demonstrata sacrorum librorum auctoritate historica, genuinitate nempe, veracitate et integritate, præsertim Pentateuchi, Prophetarum, Evangeliorum et Epist. paulin.; jam facili negotio auctoritas eorumdem divina demonstrari potest. Et quidem, cum ex sæpe jam a nobis adnotatis, omnia rationalistarum argumenta adversus Sacra Biblia ex summo horrore et animadversione procedant, qua ipsi ordinem supernaturalem, miracula, vaticinia proprie dicta, revelationem externam a Deo factam prosequuntur; possemus ab hac quæstione breviter nos expedire, postquam fidem Jesu-Christi, Apostolorum et Ecclesiæ universæ in hoc præcipuo dogmate in luce collocemus, illam relinquentes apologetis Religionis Christianæ, ut eam late enucleare pergant in tractatibus, qui *Demonstrationes*

evangelicæ vel *christianæ*, aut, *De vera religione* inscribi solent. Ast ob rei gravitatem, ac præsertim quoniam plurima sunt, quæ adversus Sacra Biblia, tamquam a Deo inspirata objiciuntur, sive ex physicis disciplinis, sive ex philosophicis, historicis, chronologicis, philologicis, ethicis, aliisque, ad incredulitatem omnia pervadentem et in dies validiorem cohonestandam; ideo argumentum hoc latius prosequi statuimus, ut denique pateat, non scientias physicas, historicas, philosophicas aliasque; sed illarum minorem aut pravam intelligentiam, atque audaciores hypotheses minime demonstratas, ac proinde scientifico honore minime decorandas, Sacros Libros impugnare tamquam a veritate sæpe distantes, aut irridere tamquam fabulosos, aut detestari tamquam pravorum dogmatum ac præceptorum domicilia, aut contorqueri tamquam mythicos. Mirum sane spectaculum! Sacri Libri ætatibus remotissimis, et a diversissimis auctoribus exarati, atque longa sæculorum serie ab innumeris adversariis oppugnati omni molimine ac plurima scientia, nec inter se discordes, nec contra sanam philosophiam peccantes, aut germanas scientificas lucubrationes, et earum in postremis sæculis admirandum progressum, demonstrari potuerunt! Numquid post factum hoc alio apud cordatos homines divina Bibliorum origo indiget argumento? Sed quid facias? Multa illi continent supernaturalia, ipsaque divina inspiratio extra naturalium virium ordinem posita est, quod rationalistarum rationi super omnia displicet. Igitur ad rem naturali modo explicandam confugiunt hypothesibus aut criticis jam a nobis repudiatis, aut exegeticis in 5ª sect. repudiandis; atque interea falsa et absurda in iis Libris contineri demonstrandum est! Alacri ergo animo ad gravissimun hoc argumentum pertractandum accedamus, ea licet brevitate et concisione servata, quæ doctrinali nostro compendio lex esse debet.

604. Antea tamen circa protestantes supernaturalistas, quos vocant, qui nobiscum divinam Sacrorum Bibliorum originem admittunt, quidquam adnotare opportunum est. Plurimo labore divinam Bibliorum inspirationem ipsi propugnant, eorumque vigiliæ nostra existimatione dignæ quidem sunt; sed, cum ipsi Traditionis et Ecclesiæ auctoritatem rejiciant, rem prorsus minime conficiunt. Ipsi enim nonnullorum librorum divinam originem certo demonstrant, aut ex divina missione v. g. Moysis ac Prophetarum, aut ex veracitate Evangeliorum, e quibus divinitas etiam Jesu-Christi constat, qui tamquam divinitus inspiratas generatim accepit Scripturas V. T., atque divina Apostolorum missio, qui aut evangelia et epistolas ediderunt, aut Pauli epistolas probaverunt. Ast nullum ex iis argumentis rem conficit circa omnes et singulos S. Scripturæ libros; eo magis, quod,

qui hujusmodi sint, *gravioribus* quidem rationibus ostendere possunt protestantes, sed minime *certis*, prout in re tanti momenti necessarium omnino est. Atque ob hanc causam rejiciunt libros V. T. deuterocanonicos nonnullasque partes librorum N. T. rationibus tantum criticis ducti, atque non paucis ex illis reclamantibus. Idem fere dicas de modo quo Libri Sacri divinitus inspirati dicendi sunt; quod ex principio protestantismi fundamentali independentiæ rationis individuæ, periculosum nimis erat. Atque re ipsa paulatim inter ipsos fides in divinam Bibliorum inspirationem imminuta est, a Semlero et Toelnero, ad hodiernos rationalistas, qui non aliam agnoscunt inspirationem, quam pium animi motum interiorem, qualem e. g. sensit auctor libri *Imitationis Christi*, et singularem Dei providentiam (si tamen Deum admittant), qui non superato naturæ ordine, viros præclaros suscitavit, ut præclaras etiam veritates religiosas homines edocerent, quas ipsi *mira naturæ spontaneitate et ingenii acie* perspexerunt; quin hoc tamen obstaret quominus in gravissimos errores pro temporum illorum conditione laberentur.

605. Independentia rationis individuæ ab auctoritate Ecclesiæ, independentiam peperit in recensendis et interpretandis Scripturis, deinde in ipsa natura seu auctoritate Scripturarum dijudicanda, præsertim postquam e philosophia cartesiana paulatim prodiit absolutus rationalismus, seu ille mentis habitus, quo quisque nullam veritatem admittere se dicit, nisi *evidenter* eam ipse sibi demonstret, nullamque legem, nisi quam ipse sibi imponat, aut saltem *in evidentibus rationis principiis evidenter perspiciat*. Quo mentis habitu difficilius admittendus erat ordo supernaturalis, cui ipsa ratio humana se subjicere debet omni tempore, seu minime exspectata evidentia motivorum, quæ vocant, credibilitatis. Ad hanc vero inveniendam cum illo mentis habitu miraculum fere necessarium esset; cum difficulter omnino ea studia adhibeat, ea principia admittat, iis libris et ratiociniis delectetur, eam docilem animi præparationem homo præseferat, quæ ad evidentiam istam adipiscendam necessaria sunt. ¿Quis ignorat quam difficulter homo credat iis, quæ ipsi displicent? Et en veram hodierni rationalismi causam et genesim, paucis licet adumbratam. Cum autem ipsa rerum philosophicarum principia et systemata, nec omnibus, nec sive magna difficultate *evidentia* appareant, maxima jam est hominum pars, qui *evidentiæ sensuum* tantum credentes, nonnisi scientias physicas adamant, cetera parvipendunt aut plane rejiciunt; unde hodiernorum rationalistarum duo præcipuæ classes sunt: materialistica et naturalistica, quæ ut plurimum pantheistica etiam est. Sed quid agas? Philosophiæ pugnæ perpetuæ, innumeræ sectæ,

abstrusæ nimium et aëreæ theoriæ, abstractionis sempiternus abusus, aliæquæ proprietates, sive naturales, sive adscriptitiæ, stomachum movent eorum, qui mathematicis et naturalibus scientiis dediti sunt, ac proinde religionem cum philosophia rejiciunt, cum in philosophia ipsam fundatam existiment, atque soliditate idirco destitutam. Aliunde philosophia se ipsam prædicat tamquam *Sapientiæ scientiam*, quæ nempe *prima principia rationesque ultimas, et absolute ultimas*, ut ait quidam, tradit circa res omnes, Deum, hominem, naturam universam, idque *sola ratione duce*. Sensus igitur communis docet, atque necessitas logica impellit ad philosophiam supra scientias omnes collocandam, ad reliquas ipsi subordinandas, ad hominum notiones, officia, relationes, vitam universam juxta philosophiæ placita dirigendam. Quid autem aliud est rationalismus? Si ergo notio philosophiæ communiter recepta (etiam inter christianos et supernaturalistas) vera est, nihil homo rationabiliter, *sapienter*, seu *philosophice*, credit aut agit ante adeptam philosophiam; nemo jus habet ad aliquam veritatem credendam, vel aliquod officium adimplendum homini *nondum philosopho* imponendum. Cum igitur philosophia primum locum obtinere debeat, atque sola *evidentia* ab ipsa producta reliquæ disciplinæ nitantur, ut valorem habeant; sequitur necessario ille mentis habitus supra descriptus, et ad rationalismum ferenecessario inclinans.

606. Ast hæc omnia philosophorum sunt, non hominum; nam hi sponte et naturaliter hominibus et historiæ credunt, et officia admittunt et veritates sibi edoctas, *donec evidenter contraria ipsi demonstrent*. Philosophia ipsa super hanc naturalem hominum conditionem et elementarias notiones e materno magisterio omnibus prorsus hominibus edoctas fundatur, nihilque contrarium suo fundamento tradere potest, quin se ipsam jugulet atque inanem reddat. Igitur obsequium erga traditionem universalem, qualis certo fuit fides in Deum atque supernaturalem ordinem, erga notiones communes in ipso idiomate contentas, erga testimonium hominum et historiæ, ipsi naturæ humanæ fundatur, ipsam philosophiam præcedit, ipsi legem imponit: quæ proinde, cum rationalistica fit, contra hominum naturam peccat. Unum illi restat: notiones communes apprime distinguere et explicare, non contorquere aut inficiari; naturales hominum facultates recte applicare juxta peculiaria adjuncta; ac demum tunc tantum testimonium hominum, historiam, traditiones universales rejicere, cum falsa in illis inveniri *demonstret*. Quod utrum in re nostra hucusque peregerit, tempus est, ut post longam hanc introductionem videamus, enucleata prius atque in tuto posita doctrina catholica circa Sacrorum Librorum V. et N. T. inspirationem.

CAPUT II.

Doctrina catholica de inspiratione Bibliorum: controversiæ domesticæ: præcipuæ sententiæ rejiciendæ.

607. Itaque doctrina catholica docet *unum Deum esse utriusque Testamenti librorum auctorem*. Sic a Conc. Tridentino exposita fuit, dum relictis in sua probabilitate theologorum sententiis circa inspirationis naturam, de omnibus libris tam V. quam N. Testamenti dixit ses. 4.ª «*quum utriusque unus Deus sit auctor*»—et Ses. 5.ª c. de ref. «*coelestis* ille ss. librorum thesaurus, quem *Sp. Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit.*» Idque dictum fuit cohærenter ad fidem in Ecclesia servatam, juxta quam in episcopi inauguratione interrogatur consecrandus: «*Credis etiam V. et N. Testamenti, hoc est, Legis, Prophetarum et Evangelii, unum atque eumdem esse auctorem Deum ac Dominum omnipotentem?* Respondet episcopus consecrandus: *Credo*. Definire itaque possemus divinam Bibliorum inspirationem: *supernaturalem Dei in auctores hagiographos influxum, qui sufficiat ut ipse Deus vere dici possit auctor ss. librorum principalis.*

608. Quousque tamen hic influxus sese extendat, non uno modo intelligunt doctores, etiam rejectis rationalistarum notionibus, qui divinam inspirationem vere tollunt, etiamsi verbis ambiguis servare videantur. Jam vero distinguenda hic sunt plura, ne oriatur confusio, atque simul discrepantia diversarum sententiarum melius percipiatur. Itaque *assistentiam Dei negativam* scriptori hagiographo dixerunt illam Dei providentiam, quæ scriptorem in errorem labi non permitteret, ut de generalibus conciliis rem dogmaticam definientibus tenet Ecclesia catholica. *Assistentia positiva* diversa complecti potest ex sequentibus. *Revelatio* ex actus quo Deus rem scriptori hagiographo ignotam patefacit. *Impulsus ad scribendum* internum vel externum mandatum Dei est, quo electum hominem ad librum sacrum scribendum movebat, atque ad determinatam rem et non aliam scribendam. Hæc rerum electio extendi potest ad solam rei substantiam, non autem ad scribendi modum; aut etiam stylum

comprehendere potest, periodos, earumque nexus, imo verba ipsa apicesque. Denique non est permiscenda quæstio de iis quæ requiruntur ad libri alicujus inspirationem, atque ut nobis hæc ipsa inspiratio constet certa fide.

609. Itaque nonnulli docuerunt, supposita revelatione eorum quæ scriptor agiographus ignorabat, nihil præter *assistentiam negativam* requiri ad divinam libri inspirationem; hoc autem cum conciliorum dogmaticis definitionibus conveniat, quæ a nemine dicuntur *inspiratæ*, cumque ex communi loquendi modo non sufficiat, ut Deus verus auctor principalis libri dicatur, cum doctrina tridentina non congruit, atque est rejiciendum. Idque multo magis valet, si cum Erasmo aliisque restringeretur hæc negativa assistentia ad res substantiales, relictis minoribus adjunctis in quibus errores esse possent (a). Cum enim Libri Sacri a *Deo auctore sint*, nullusque nec minimus error Deo tribui possit; patet sententiam hanc statim esse repudiandam. Ob eamdem rationem repudiari etiam debet illorum sententia, qui inspirationem, quæcumque illa sit, Sacrorum Librorum ad res dogmaticas et morales restringunt, de narrationibus historicis, atque opinionibus auctoris secundarii minime curantes. Cum vero huic sententiæ calculum adjecerit celeberrimus homo Guizot in suis *Super Religionis essentia Meditationibus*, paulo latius ea discutienda est. Nempe isti hanc sententiam præcipue tenent, oppositionem inter Biblia et profanas historias, chronologias, naturales scientias nimium formidantes, ac timuerunt proinde ubi non erat timor; alia demum argumenta adjiciunt infra refellenda n. 613...

610. Repudiari etiam debet celeberrima opinio Lessii et Duhamelii, qui ad libri alicujus inspirationem tantum exigebant posteriorem Sp. Sancti declarationem nullum in eo libro errorem inveniri, etiamsi humana tantum industria fuisset exaratus. Non solum enim cum formula tridentina juxta communem loquendi modum minime

(a) Inspirationem V. T. antiquitus inficiati sunt Marcion et Manichæi, Prophetarum Dosithæus; Aetius et anomæi docuerunt scriptores hagiographos in multis ut homines fuisse locutos, quod alii pariter receperunt, ac posteriori ætate Erasmus; Grotius et Spinosa librorum historicorum inspirationem repudiarunt; sociniani fere omnes omnem inspirationem; Clericus et hodie Cellerier humano modo scriptos fuisse libros omnes asserunt, quamvis eorum auctores multa Dei afflatu didicerint; post Semlerum denique et Toelnerum (1771-1773) passim inspiratio inter protestantes rejicitur, atque duplex sententia nata est: rationalistarum, et supernaturalistarum, qui adhuc ordinem supernaturalem cum inspiratione retinent.

convenit, sed pugnantia loquitur, cum inspiratio libri aliquem Dei influxum in ejus compositione supponat, fierique posset ut liber de mathesi aut physica absque ullo errore scriberetur, qui proinde tamquam ab errore immunis a Sp. Sancto declarari poterat: ¿num propterea inspiratus, et divinus et a Deo auctore procedens dici posset? Similem sententiam protulit nuper Dr. Haneberg, qui ad libri inspirationem tantum postulat ejus receptionem inter libros canonicos ab Ecclesia factam. Ast summus vir absque dubio lapsus est, et ea quæ requiruntur ut liber inspiratus vere sit, confundit cum iis quæ requiruntur ut nobis hæc inspiratio constet. Ecquidem data Ecclesiæ fide circa divinitatem Sacrorum Bibliorum, jam cujuslibet libri divinitas nobis certo constat statim ac in censu librorum canonicorum ab Ecclesia receptus fuit. Sed ipsa Ecclesia minime eum recipit in canonem, quin antea sciat ex doctrina Christi et Apostolorum librum illum Deo afflante scriptum fuisse: nempe, nullus liber divinus est quia recipitur in canonem, sed recipitur in canonem quia divinus est, et ut talis ab Ecclesia agnitus. Hinc factum est ut passim hæc sententia refellatur a reliquis catholicis, Danko, Reusch, Lamy, prout sententia Lessii et Hamelii ab omnibus fere fuit repudiata, nec nisi Janssens, qui omnia hic permiscet, eam tribuere potuit tot summis viris ab ea longe distantibus.

CAPUT III.

Res tantum et sententiæ, non ipsa Scripturæ verba inspirata sunt: quo sensu Deus sit sacrorum librorum auctor.

611. Igitur inspiratio, ut ipsa vox indicat, aliquem influxum Dei positivum postulat in ipsa libri exaratione, nec datur *inspiratio consequens*, quam dixit Bonfrerius, quæque contraditoria est, optime vero *inspiratio antecedens* et *concomitans*. Utrum vero hæc non solum res et sententias, sed et periodorum delectum, ipsaque verba et apices complectatur, antea non minima contentione disputabatur, quique id propugnabant, *inspirationis rigidæ* patroni audiebant. Nunc vero sententia opposita ita communis inter theologos, ac præsertim inter scripturarios est, ut contra actualem scientiæ biblicæ statum prorsus peccare, illumve ignorare dicas paucos illos, qui inspirationem rigidiorem tuentur, ut fere gratis omnino faciunt PP. Puig et Xarrié barcinonen-

sis *Cursus theologici* auctores, imo, si quid sapio, prorsus imprudenter. Præter quam enim quod laboris singulorum hagiographorum sunt indicia manifesta, ut statim videbimus, imprudenter obtruditur major difficultas divinam inspirationem admitendi; nempe, homeopatico more, illis, qui vix, aut ne vix quidem divinam Bibliorum inspirationem admittunt quoad res et sententias, quoniam vestigia humana tantum in illis perspicere asserunt, alia difficilior inspiratio credenda proponitur, qua auctores hagiographi absque propria ulla conscientia et proprio labore, ut mera instrumenta inanimata omnia digesserint, quamvis ipsi contrarium affirment, et ubique argumenta præbeant.

Sane Deus sapienter et secundum rerum naturam illis utitur; natura autem hominis intelligentis et liberi postulabat ut cum conscientia facti et libertate minister Dei esset in libris sacris conscribendis. Divina nempe actio quod in hagiographis deerat supplebat, adque id præstabat, quod necessarium est ut auctoritatem divinam haberent libri conscribendi, ac juxta vulgatam sententiam, nec abundat in superfluis, nec deest in necessariis. Deinde in singulis libris invenitur proprius scriptoris stylus, peculiaria verba, dicendi modus ac locutionis ornatus; quæ gratis prorsus affirmares a Sp. Sancto procedere, illa verba et orationes dictante, quæ auctor solus scripsisset; ideoque Sp. Sanctum auctoris theopneusti pedisequum haberes. Accedit labor, quem auctor 2 Mach. II, 27 fatetur se in narratione exornanda, in eligendo stylo, &c. probasse; qui, quomodo cum sententia opposita congruat, penitus ignoro. Alii etiam scriptores sacri alios imitantur, libere allegant, quod in N. T. sæpe fit, et quidem juxta versionem alexandrinam (conf. hermen. 693 et 728), rem eamdem diversis verbis narrant, diversa item verba a Jesu prolata referunt, etiam in rebus maximi momenti, qualis est consecratio panis et vini in ultima coena (conf. Matth. XXVI, 26—28 cum ll. parallelis); quæ omnia demonstrant ipsos setentiarum sollicitos fuisse, minime vero vocabulorum, nec ulla ratio percipitur, qua hanc agendi rationem Sp. Sancto tribuamus. Denique Deus optime noverat non ipum textum originalem, sed versiones potius ab Ecclesia adhibendas fore, præsertim circa V. Testamentum, ipsumque textum originalem incorrectionibus, amanuensium lapsibus, ac lectionibus variantibus fore subjiciendum, ita ut nullus hodie plena certitudine docere possit, quam lectionem ex multis controversis et

variantibus esse legitimam. Si ergo vocabula ipsa inspirata a Deo sunt, ¿quare passus est talem textus jacturam, in rebus, quæ juxta hanc sententiam, minime parvi aut nullius momenti esse possent, ut pote quæ a Deo ipso inspiratæ fuerunt? Cur Scripturam dictavit, ea lingua, quæ in aliam converti indigebat, ut ab hominibus longe plerisque intelligeretur? Si vero, ut Scriptura divina sit, necessariam dicas etiam vocabulorum inspirationem; ergo Ecclesia minime Scriptura divina usa est, præsertim medio ævo, quum pauci omnino doctores hebraicam linguam callebant. Opinio autem illa extrema quæ versionem alexandrinam, ac vulgatam latinam a Deo inspiratas fuisse tenebat, nunc prorsus evanuit ac merito contemnitur. Igitur absque ullo emolumento, et cum periculo non levi admitteretur adhuc sententia de inspiratione Bibliorum etiam quoad ipsa earum vocabula. Nihil dicam de illis qui ipsa orthographica signa inspirata dixerunt; ignorabant namque nulla primitus hujusmodi signa in Bibliis exstitisse. Quod si Patres hanc sententiam defendere aliquando visi sunt; id stylo oratorio et hyperbolico ab ipsis dictum fuit, ut profunditatem S. Scripturæ ac maximam, quam meretur, religiosam venerationem ostenderent; præsertim cum de vulgatis versionibus græca aut latina ipsi loquerentur, quas nemo nunc inspiratas dicit, et etiam alibi contrariam sententiam tenerent, ut nominatim S. Agustinus et Hieronymus, qui ab adversariis allegantur. Ille enim ait (de cons. evang. II, 12) «*ut enim quisque meminerat, et ut cuique cordi erat vel brevius, vel prolixius eamdem tamen explicare sententiam, ita eos explicasse manifestum est.*» Hic autem (epist. 57 *ad Pamach.*) ait: «*Evangelistis curæ fuisse non verba et syllabas aucupari, sed sententias dogmatum ponere*»; et infra: *Ex quibus universis perspicuum est Apostolos et Evangelistas in interpretatione veterum Scripturarum, sensum quæsisse, non verba.*» Denique Patrum hac de re sententia ex iis patet, quæ ipsi narrant de origine evangeliorum, et suo loco adducta a nobis sunt. Non est tamen hoc intelligendum, quasi *nusquam* ipsamet verba Sp. Sanctus dictaverit, præsertim in prophetiis, et quoties specialis ratio aderat ob rei gravitatem aliamve causam; minime tamen necessarium est, ut omnes sermones prophetici *ad verbum* dictati a Deo habeantur, quod nescio unde deduxerit doctus Lamy.

612. Exclusis igitur nimis amplis nimisque rigidis inspirationis notionibus, eam amplectimur libenter quæ media via progreditur et communior nunc est, atque sufficiens ad formulam tridentinam tuendam. Ut enim quis auctor principalis scripti alicujus dicatur, sufficit ut sententias in eo exponendas doceat, ad scribendum impellat, ne aliena scribantur impediat, et scriptum illum probet suoque nomine prodat in lucem. Fingamus animo regem cum suo ministro de re aliqua pertractantem, illi postea imperare ut rem pertractatam exscribat, atque ita decretum condat, quod ipse rex inter scribendum inspicit ne sensus alienus irrepat, ac denique signat, suaque auctoritate munit. Hoc certe decretum regis est, talisque ab omnibus habetur et dicitur, quamvis verborum delectus, periodorum nexus ac styli elegantia non regis sed ministri labor exsistat. Igitur in re nostra liber aliquis Deo auctori adscribi debet, si eum componere auctori hagiographo præcepit; si quæ dicenda erant indicavit, aliunde jam scriptori nota, aut etiam edocuit quæ ignota erant; si ne error aut aliena sententia irreperet adstitit; ac demum si ut proprium librum seu librum divinum hominibus tradidit, argumentis seu notis adhibitis, quibus hæc constare possent, nempe auctoris miraculis, prophetiis, aliisque missionis divinæ notis, ac nobis demum Ecclesiæ catholicæ declaratione, quæ est veluti sigillum, quo genuinum Dei opus discernitur. Requiritur ergo et sufficit impulsus ad scribendum, determinatio materiæ quæ scribenda est ejusdemque revelatio si autori theopneusto impervia sit, adsistentia positiva ut rem scriptor perficiat atque ab errore alienave sententia immunis sit, quibus demum accedere debet nota certa qua nobis constet nomine et auctoritate divina librum exaratum fuisse; sed hoc postremum non ad ipsam inspirationem necessarium est, sed tanquam medium quo illa constet. Perspicua ergo est, et doctrinam expositam fere complectitur definitio inspirationis, quam ex Marchini affert Perrone, ut sit: «singularis illa Sp. Sancti ad scribendum impulsio, directio atque doctrina, mentem animumque scriptoris gubernans, quæ eum non sinit errare, efficitque ut scribat quæ velit Deus.» His præmissis jam ad Sacrorum Bibliorum inspirationem divinam sensu exposito vindicandam accedimus; sed prius ab illa sententia refellenda nos expedire oportet, quæ divinam Bibliorum inspirationem

ad res tantum dogmaticas et morales restringit, ut latius dein rationalistas impetere valeamus.

CAPUT IV.

Refellitur eorum sententia, qui tantum res dogmaticas et morales, non autem historicas cæterasque inspiratas censent: solvuntur objecta.

613. Et quidem adversarii supernaturalem ordinem recipiunt, divinamque Bibliorum inspirationem quoad res morales et religioso-dogmaticas. Talis autem est Sacrorum Librorum natura, ut cum narrationibus historicis, et quidem ex iis, quæ ab incredulis potius impugnantur, conjunctæ sint veritates maximi momenti morales et religiosæ, ut ex historia creationis constat, ne alia recordemur. Si igitur in narrationibus inspirati a Deo non sunt, nec erunt inspirati cum eas veritates docent, e. g. mundum a Deo fuisse conditum, omnes homines ab uno Adamo procedere, ab eoque peccatum originale in omnes derivari, promissiones messianicas Patriarchis, Davidi, ac populo judaico sæpe fuisse factas, &c., &c., ex quibus christiana religio maximum robur et firmitatem accipit. Deinde ¿quis distinguere potis erit quæ in sacris libris divina sunt, ab iis quæ hagiographorum personales opiniones habentur, aut falsæ, aut rudiores, aut ridiculæ, aut etiam immorales? Nullus sane, præsertim in systemate protestantium auctoritatem Ecclesiæ repellentium. Quod si ad hanc confugias, in primis numquam id sensit, sed, ut vidimus atque infra demonstrabimus, Deum auctorem omnium librorum V. et N. Testamenti *cum omnibus suis partibus*, eosdemque libros pro *sacris et canonicis* habuit ac declaravit; deinde auctoritas Ecclesiæ ex his libris tamquam e monumentis historicis fide dignissimis derivatur, qui si sub hoc respectu nutant (ideo enim in hac re inspiratos negant, quia contra incredulorum objecta e philosophia, historia, chronologia, scientiis naturalibus &c., susteneri juxta istos nequeunt), tunc nutat fundamentum auctoritatis Ecclesiæ, quæ partes inspiratas a non inspiratis *certo* determinare sola posset. Accedit universæ Scripturæ auctoritatem divinam

vacillare statim ac quædam aut plura mere humana ibi esse dicas, et humanarum lucubrationum conditioni subjecta; «admisso enim, inquit Augustinus (epist. ad Hier. LVI), in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendatio (idem dicas de errore, prava opinione &c.) nulla illorum librorum particula remanebit, quæ non ut cuique videbitur vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad mentientis auctoris (adde errantis, juxta opiniones incultioris ævi loquentis &c.) consilium officiumque referatur. Demum argumenta quæ sacrorum librorum inspirationem demonstrant, omnes et integros libros plerumque respiciunt, nullis exceptis partibus.

614. Nec refert Scripturas præcipue traditas a Deo fuisse ad res, quæ religionem respiciunt, edocendas; nam hæc, juxta dicta, cum reliquis in ipsis contentis connexa intime sunt; ac demum ad id tradidit nobis Deus Scripturas edocendum, quod in ipsis continetur; nec minimus actus religionis est ea omnia credere, etiamsi difficulter ab adversariorum telis defendi possint; attamen possunt. Adjuncta quæ unumquemque scriptorem hagiographum ad scribendum moverunt, a Dei providencia disposita sunt, nec interiorem Dei impulsum excludunt; ut pariter labor et industria in scribendo cum interno Dei adjutorio et inspiratione optime componuntur. Ast multa, dices, occurrunt minuta atque divina inspiratione indigna. Respondeo minutum hoc argumentum seria discussione indignum vere esse; utrum vero hæc minuta quidquam valeant, supra attigimus agentes de Pauli epistolis (n.° 526). Nonnullæ phrases quæ dubitationem indicant, ut *forte*, *circiter*, *fortasse*, e consueto loquendi modo descendunt, ut rerum contingens natura ostendatur (quo sensu dixit Christus, qui certe optime rem noverat: si crederetis Moysi, crederetis *forsitan* et mihi), aut indicant quantitatem cuilibet numero vel mensuræ proximam, non tamen æqualem, ut de hidriis Canæ legitur apud Joannem II, 6. Denique dum Paulus ait (1 Cor. VII, 12) «*Ceteris ego dico, non Dominus*,» ostendit mandatum Dei minime tradere, ut paulo antea, sed consilium docere, ad rem meliorem inducere, sed non necessariam. Reliquæ difficultates aut minores sunt, aut cum his consentiunt quæ a rationalistis et incredulis adversus Bibliorum veritatem aut sanctitatem opponi possunt, quas infra refellemus.

CAPUT V.

Demonstratur divina Bibliorum inspiratio generatim: fundamenta biblica hujus Ecclesiæ fidei.

615. Divinam igitur Bibliorum inspirationem ita evincimus. Ex dictis in sectione præcedenti, libri V. et N. Testamenti historici vera narrant, seu fidem faciunt absolutissimam; ergo vera sunt facta illa quibus Moyses ac præsertim Christus Jesus divinam suam missionem comprobavit, ac proinde verum est ipsum infallibilitate præditum fuisse, Apostolos delegisse, quibus proprium ac Sp. Sancti adjutorium promisit *in æternum*, ac proinde eorum successoribus, seu Ecclesiæ docenti, quam in sui locum suffecit ad veram religionem propagandam, servandam, edocendam, ideoque infallibilitate donavit (conf. Perrone aliosve theologos agentes de Ecclesia Christi). Igitur et ipsa Ecclesia divinam pariter missionem accepit, ac quidquid ipsa credit et docet verissimum ac divinum est. Atqui divinam Bibliorum inspirationem semper ipsa credidit et docuit; ergo verissimum ac divinitus traditum est dogma de divina Bibliorum inspiratione. Quod autem Ecclesia id semper crediderit, ita perspicua res est et in luce posita, ut ab omnibus facile concedatur saltem post secundum Ecclesiæ sæculum, vixque nonnullæ cavillationes opponantur pro ætate apostolica ipsamque immediate excipiente (a).

(a) Fundantur hæc cavillationes in allegationibus PP. apostolicorum liberis, et in narratione Papiæ, qua ipse fatetur se valde cupidum seniores viros audiendi, ut melius capere posset Apostolorum verba et doctrinam. Ast 1um tantum ostendit antiquos PP. sicut et recentiores, de rebus et sententiis S. Scripturæ sollicitos fuisse, minime vero de vocabulis; unde tantum sequitur eos non inspirata habuisse vocabula ipsa. Ceterum de hac re jam diximus agentes de S. Justino martyre (n.° 481). Desiderium Papiæ satis naturale erat, cum Evangelia compendiaria nimis ratione vitam et doctrinam Christi ab Apostolis edoctam et traditam contineant; multa proinde sollicitudo hominibus piis erat reliqua ab scriptis canonicis prætermissa discendi, dum adhuc viva earum traditio manebat. Sed numquid hæc agendi ratio quidquam evincit contra fidem inspirationis?

Sane nihil melius evincit universalem Ecclesiæ fidem super hac re, quam PP. agendi ratio ab ætate apostolica. Semper enim doctrinam Sacrorum Bibliorum ut omnimode veram susceperunt, nulla alia ratione allegata, nisi quia doctrina S. Scripturæ est. Hinc tot quæstiones hoc unico criterio decisæ, hinc tot labores pro recta ejus intelligentia, hinc tot hæreticorum cavillationes ad verba Scripturæ in sua sensa detorquenda, hinc tanta priorum pastorum vigilantia ut alia opera pro sacro Scripturarum thesauro minime obtruderentur: verbo, universalis hæc Ecclesiæ fides ab Apostolis ad nos usque factum testatissimum est, omnibus patens et nulla ratione tegendum. Minime ergo necessarium est singula Patrum testimonia allegare, præsertim cum talem semper Ecclesiæ fidem exstitisse passim rationalistæ concedant, saltem post secundum sæculum. Proinde nonnulla tantum remotissimæ hujus ætatis afferemus testimonia, quæ non unius alteriusve fidem ostendant, sed quod ab omnibus tunc credebatur. Sic Clemens Rom. *[ep. ad Cor. 45]* inquiebat: «Scripturas diligenter inspicite, Spiritus Sancti vera oracula; attendite quia nihil injustum nec perversum in illis scriptum est». Et hic primi sæculi est. Ejusdem ætatis et quidem Apostolorum socius fuit S. Barnabas, cujus epistola alibi a nobis allegata fuit, ubi V. T. et nonnulla loca evangelii Matthæi citata inveniuntur illa formula, qua libri pro sacris habiti allegari consueverant: *sicut scriptum est.* Sæculo 2.° scribebat Justinus martyr minime prophetis tribuenda esse quæ illi dicunt,sed Verbo Dei, qui illos inspiravit; ac nullam esse in Scripturis pugnam, quæ si adesse videatur, ideo est quia a nobis non bene intelliguntur (*Apol.* 1, 36, et *Dial. cum Tryph.)* Athenagoras asserit Spiritum Sanctum Prophetis usum esse, velut si tibiam inflet tibicen (conf. horum loca apud Migne, Patrol. græca I, 300-301). Theophilus antioch. *[Ad Autol.* II, 9): «Sed Dei homines, cum a Spiritu Sancto efferrentur ac prophetæ essent divinitus docti, et justi et sancti fuerunt, ut pote ab ipso Deo afflati et eruditi; nec unus aut alter, sed plures variis temporibus apud hebræos fuere, ac amica inter se et consona omnes dixere, tum quæ apud nos hodie perficiuntur; unde etiam de futuris certo scimus, ea ita esse eventura, quemadmodum et priora ad exitum perducta sunt». S. Irenæus ait *[Cont. Hær.* II, 28, 2): «rectissime

scientes quia Scripturæ perfectæ sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu ejus dictæ». Clemens Alex. multis in locis eamdem doctrinam ut notissimam tradit, et voce Θεόπνευστος utitur, et præclaræ scribit: «Qui autem ex hoc errore reversus obediit Scripturis, et vitam suam permisit veritati, Deus quodammodo ex homine efficitur. Principium enim doctrinæ habemus Dominum, qui et per Prophetas, et per Evangelium, et per beatos Apostolos, multifariam multisque modis, a principio ad finem deducit cognitionis». Denique Origenes, ut alios præteream, ait *(De princ.* præf.*)*: «Spiritus iste Sanctus unumquemque sanctorum vel prophetarum vel Apostolorum inspiravit, et non alius spiritus in veteribus, alius vero in iis, qui in adventu Christi inspirati sunt». Nihil igitur mirum si eis Scripturæ appellabantur nominibus, quæ divinum earum characterem ostendunt, atque ita allegari consueverant, quasi vere a Deo inspirata essent. Sic passim appellantur: *Sacra Scriptura*, *Sacræ litteræ*, *divina Scriptura*, aut anthonomastice *Scriptura*, *Biblia*, *Testamentum Vetus* aut *Novum*, seu *Liber Testamenti* (pacti nempe Dei cum hominibus) (a). Allegantur vero iis similibusve formis: *Ait Spiritus Sanctus*, *Spiritus propheticus*, *divinus Spiritus*, *Scriptum est*, qua sæpe utitur etiam Christus et Apostoli, ad ostendendam irrefragabilem dictorum veritatem. Nullum igitur dubium superesse potest circa fidem constantem, uniformem et perpetuam Ecclesiæ hoc super articulo, quem nonnisi a Christo et Apostolis accepit, quorum divina missio et infallibilis doctrina ex ipsa Evangeliorum authentia patet.

616. Hujus Ecclesiæ universalis fidei multa et præclara sunt in ipsa S. Scriptura fundamenta, quæ hunc articulum et a judæis, et a Christo Jesu et Apostolis creditum fuisse demonstrant et docent, saltem quoad V. Testamentum, ac mediate et indirecte etiam quoad Novum. Ex pluribus namque N. T. locis constat judæos credidisse ac sperasse certo quæ a Davide et Prophetis prædicta

(a) Γραφαὶ ἅγιαι, Rom. I, 2; τὰ ἱερὰ γράμματα, 2 Tim. III, 15; τὰ βιβλία τὰ ἅγια 1 Mach. XII, 9; αἱ γραφαί, Matth. XXI, 42 et alibi; ἡ γραφή, Act. VIII, 32 (etiam in sensu unius Scripturæ loci, ut ib. VIII, 35; Joan. XIX, 37); a Patribus vero passim θεῖαι γραφαὶ, ἱεροὶ βίβλοι, θεόπνευστος γραφὴ, scriptura divina, scripturæ coelestes, divinæ litteræ, bibliotheca divina, &c.

erant, quod eorum inspirationem supponit; id ipsum a Christo et Apostolis admissum fuisse; Paulum etiam aperte omnem Scripturam inspiratam a Deo dixisse; ejusdem Pauli epistolas conferri a D. Petro cum *cæteris Scripturis*; denique plures inter hagiographos N. T. eadem infallibilitate in scribendo fuisse præditos, qua in ministerio apostolico gaudebant. Conf. Matth. II, 4-6; Mar. XII, 36; Joan, VII, 41..., ib. v. 52; Joan. X, 34-36; Matt. XXVI, 54; Luc. XVIII, 31; XXIV, 24-27, 44; Joan. XIII, 18; Act. I, 16; III, 18, 21; IV, 25; XXVIII, 25; Rom. III, 2; Hebr. I, 1; III, 7; X, 15 &c (a). Sed perspicue a S. Paulo omnis Scriptura V. T. a Deo inspirata dicitur (2 Tim. III, 15, 16), dum discipulum suum Timotheum laudans, quoniam ab infantia Sacras Literas noverat, eumque hortans ut huic lectioni incumberet, addit: «Omnis Scriptura (nempe illa de qua sermo est v. præcedenti) *divinitus inspirata [est]*, et utilis ad docendum, ad corrigendum, &c.» πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν κ. τ. λ, ubi vox θεόπνευστος, *divinitus inspirata*, prædicatum orationis est, subintellecto verbo substantivo, ut demonstrat partic ula conjunctiva καὶ, *et*; ac proinde sensum reddit, quem dedimus, paulisper immutata versione vulgata. D. Petrus non solum ait antiquos prophetas *Spiritu Sancto inspirante* locutos fuisse, ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι, *sub Spiritu Sancto ducti* (2 Pet. I, 21), sed dum laudat epistolas Pauli, eas cum ceteris Scripturis collocat, quas, ex dictis, a Deo inspiratas habebat, dicens (ib. III, 15, 16): «sicut et carissimus frater noster Paulus *secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis*, sicut et in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, *sicut et ceteras Scripturas* ad suam ipsorum perditionem». Denique multi ex iis, quorum opera inter Sacros libros inveniuntur, et authentica a nobis demonstrata sunt, asserunt plura ex Dei mandato scripta fuisse (conf. Exod. XVII, 14; Deut. XXXI, 19; Jer. XXX, 2; Ezech. XXIV; Dan. XII, 4); ut nihil dicam de iis quæ viri prophetæ scripserunt (1 Par. XXIX, 29; 2 Par. XXVI,

(a) In Luc. XXIV, 44 notandum est Christum universam scripturam allegasse modo judæis consueto... «*lege... prophetis et psalmis*; quæ postrema locutio designat universim *hagiographa*, כתובים

22), aut non levi probabilitate ipsis tribuuntur (conf. dicta de auctore Josue, Judicum, Regum, suis locis).

617. Indirecte et mediate ex N. T. demonstrari Apostolos scriptores infallibiles in scribendo fuisse, ex iis constat quæ de systemate Apostolorum prædicandi et de origine evangeliorum supra diximus. Nulla enim ratione concipitur cur a Jesu-Christo adjuti et a Spiritu Sancto fuerunt in prædicanda christiana fide (quod ex multis locis certum est, v. g. Joa. XIV, 25-26; XVI, 13); non autem in eadem fide litteris tradenda. Igitur saltem evangelium Matthæi et Joannis, epistolæ Petri, Jacobi et Judæ atque item Apocalypsis Joannis, ab auctoribus prodierunt, quibus Spiritus Sancti adsistentia in proponenda revelatione ad prædicanda Christi doctrina promissa fuerat a Christo Jesu; Paulum vero divinitus suam doctrinam accepisse, atque ministerium apostolicum a Deo fuisse eidem impositum, diversis locis ipse declarat (Gal. II, 7,9; 2 Cor. XIII, 3; coll. Act. IX, 15; XIII, 2). Demum Evangelia Marci et Lucæ pari veneratione cum cæteris statim ab omnibus habita sunt: argumento igitur est eorum inspirationem divinam certo agnitam fuisse, præsertim approbatione ab Apostolis obtenta. Igitur tam certo constat universorum Bibliorum *divina auctoritas*, quam eorumden genuinitas et veracitas, cujus est legitima consecutio, sensu exposito.

CAPUT VI.

Aliud argumentum pro divina inspiratione librorum N. T. ex præstantissima eorum doctrina deductum: item pro V. T.

618. His addi possent duo potissimum argumenta validiora, quorum primum N. Testamentum præsertim respicit, alterum V. T. ac præcipue libros Moysis. Primum ita fere proponi posset: ea est N. T. ac præsertim Evangeliorum præstantia, excellentia et sanctitas, ut si eam cum auctoribus a quibus editum est, loco, tempore, aliisque adjunctis intimius compares, nonnisi a Deo edoctam fuisse necessario concludas. Nam, ait Perrone in simili argumen-

to, seu potius identico (*De vera Relig. adv. incr.* cap. 4. prop. 2.ª): «divina ac supernaturalis *illius libri origo* dicenda est, qui Dei nomine doctrinam sive theoreticam sive practicam proponit, quæ Deo digna sit, digna homine, digna societate, quæ dogmata omni humana sapientia superiora contineat, quæ officia omnia legis naturalis complectatur, cui *absque ullo vel minimo errore* nec quidpiam desit nec supersit, quæ simul motiva efficacissima ad ea adimplenda præbeat, quæ sic vitia eliminet ut ipsorum et originem detegat et adjumentta exhibeat ad ea radicitus convellenda, quamque nemo unquam ex philosophis vel excogitavit vel excogitare potuit.» Atqui hæc est doctrina quæ Dei nomine *in N. T. proposita invenitur, et illis quidem adjunctis auctorum, temporis, loci &c., quæ impossibilem reddunt hujus doctrinæ humanam inventionem; ergo N. T. a Deo revelatum est.* Atque ut brevitati consulam, lectores ad laudatum Perrone locum remitto, aliosque religionis christianæ apologetas, ac tantum loca N. T. subindico, quæ ibi tacite alluduntur aut huic rei demostrandæ aptiora sunt. Circa Dei notionem, suam erga homines dilectionem, horumque fraternitatem et charitatem conf. Mat. V, 48; Joan. IV, 24; Mat. VI, 9-15, 30; Joa. XVII, 3, 11, 17; ib. XV, 12-13; circa relationes subditorum et potestatum Mat. XXII, 21; Rom. XIII, 1-8; circa dogmata intime connexa incarnationis, Trinitatis, ac peccati originalis ab omnibus incursi, tamquam ejusdem parentis filiis, quibus incomprehensibilis Dei natura, justitia ac benignitas mirifice elucent, Rom. V; 1 Cor. XV, 22; 2 Cor V, 14; 1 Tim. II, 5, 6; Eph. I, 7; 1 Pet. I, 18; II, 24; Rom. V, 10; Colos. I, 19; Matth. ult.; Joan. XIV, 8.., 16; XV, 26; Joan. III, 16; circa ultimum hominis finem atque medium præcipuum illum assequendi, qui est charitas 2 Cor. V, 1-2; ib. 6-8; 1 Cor. XV; 1 Joan. III, 2; 1 Cor. XIII; 1 Jo. II, 9-11; III, 10-11, 16-18, 23; IV, 7-11; 17-21; circa admirabilem perfectionem quæ fidelibus commendatur, conf. totum sermonem in monte Matth. V-VII; circa motiva ad omnia etiam difficillima adimplenda, conf. plura loca inter allegata ex 1 Joan.; Mat; XXV, 31-46; contra egoismum, omnium malorum originem, Mat. X, 35-39; Luc. XIV, 27; Mat. XVI, 24-26; coll. ib. 21-23; contra avaritiam, Mat. VI, 19...; Luc. XVI, 13, 14, 19...; media ad omnia peragenda summopere adjuvantia et impellentia in conti-

nuo et jugi sacrificio, ad Jesu-Christi imitationem omnium virtutum prototypi, Mat. XXVI, 26..; Luc XXII, 19...;1 Cor. XI, 23-25; in oratione passim, ut in commendanda Dei erga peccatorem resipistentem benignitate, &c. Quod quidem religionis et ethices systema prorsus absolutissimum, si nullus unquam philosophorum invenit (quæ enim post Christum adornata sunt ac nostra præsertim ætate, e doctrina evangelica proxime vel remote sunt deprompta, licet soli rationi naturali eorum auctores ea tribuant), si e judaismo aut hellenismo desumi non potuit (conf. archæol. n.° 148..), si a Jesu, puro homine, et piscatoribus illis, portitoribus ac vulgaribus hominibus, a quibus N. T. doctrina tradita est, absurde tantum inventam diceres, si talis tamque præclara doctrina in Judæa, ætate illa fanatismi ferocis ac superstitionis labe per totum imperium romanum notissima, minime nasci valuit, si ex orientalibus indorum aut persarum ritibus et fide ridicule desumptam diceres in eadem hypothesi, cum fatente Renano, adversario celeberrimo, Jesus ipsam culturam hellenicam, imo forte linguam ignoraret, ejusque discipuli ac N. T. auctores de Persis et Indis nihil unquam audierint super hac re; si hæc omnia, inquam, consideres, logica necessitate compulsus originem supernaturalem horum librorum admittes, cum naturaliter neutiquam explicari possit, nisi absurda et omnino impossibilia moraliter admittere malis. Imo nec ipsam Christi Jesu personam ullo modo explicare poteris; nam si verus fuit character quo ab evangelistis depingitur, Deus esse debuit; si vero ipsi hunc characterem invenerunt, admirabiliores fuissent heroë depicto, ut inquit Rousseau, celeberrimo illo loco, quo eloquentissime characterem Jesu-Christi in suo *Emilio* extollit (conf. apud Perrone l. c.; ac confert etiam quæ diximus ad explodendum systema Renani circa *legendas* Evangeliorum n.° 502 et alibi); nempe verissima est, ac nullis cavillationibus infirmanda sententia illa: «*Equidem, si Socratis vita et mors sunt sapientis, vita et mors Jesu Dei sunt;* oui, si la vie et la mort de Socrate sont d' un sage, la vie et la mort de Jésus sont d' un Dieu».

619. Alterum argumentum gravissimum ex similibus considerationibus circa V. T. ac præsertim Pentateuchum erui posset, cujus doctrina, omnibus perpensis, mirabilis plane est, atque tali ætate, tempore, populo, minime exs-

pectanda; sapientissimæ Ægypti, Indiæ, Chaldææ, doctæque Græciæ institutionibus longe præstantior, et a nemine adhuc jure impugnata, quod ex adumbratis in nostra archæologia colligi potest; quin potius et germana philosophia, et scientiæ omnes minime incredulæ in præcipuis dogmatibus ipsi concordant eamque tuentur. Nec silentio prætereundum est pro divinitate V. T. ejus cum N. typica ac prophetica consonantia; quæ nullo alio modo explicatur, nisi a Deo inspiratos prophetas fuisse dicas, totamque V. T. historiam a Dei providentia moderatam. Hoc argumentum egregie evolverunt inter alios Becan, Huet, et nunc temporis Hengstenberg, Reinke et Meignan.

CAPUT VII.

Novum argumentum pro divina origine V. T. methodo traditionali digestum: evincitur propositio major syllogismi: nonnulla objecta.

620. Sed alia via procedere placet, ut rem nostram conficiamus eo argumento, quod multa quidem lucubratione indigeret ad plenam evolutionem, ast simul completam præberet, ni multum fallor, religionis christianæ demonstrationem et apologiam, methodo traditionali adhibito. En argumentum: Existit certo in mundo veritas religiosa a Deo hominibus tradita. Atqui in nullo omnium populorum libro aliqua similitudine aut specie veri invenitur, præter V. T. ejusque partem præcipuam Pentateuchum; ergo V. T. ac præsertim Pentateuchus doctrinam divinam continent, seu a Deo inspirati libri sunt. Propositio major hujus syllogismi ita evincitur: aliqua existit in mundo veritas religiosa, quæ nempe præcipua dogmata contineat circa hominum originem, conditionem lapsam, reparationem ope Mediatoris, officia præcipua moralia ac socialia, si hanc postulet ipsa hominum natura, experientia duce ipsisque naturalibus et physicis scientiis, atque historia universalis, ita ut alio modo neutra explicari queat. Atqui ita se res habet. Nam experientia et scientiæ biologicæ ac naturales in primis docent hominis super terram existentiam nonnisi

a Deo creatore procedere posse, quia a) *scientiæ biologicæ* demonstrant hominis organizationem summæ et omnino mirabilis intelligentiæ opus esse, b) *historia naturalis* nusquam exstitisse specierum commutationes, ita ut ridicule omnino et absurde assereretur humanam speciem naturali cujusvis alterius speciei zoologicæ transformationi originem acceptam refferre, c) *geologia* denique demonstrat homines non semper in terra extitisse. Igitur dum humana species esse incoepit, nec ab alia zoologica specie ortum habuit, nec virium naturæ coecarum seu minime intelligentia ac libertate præditarum opus fuit, nisi absurdissime has qualitates terræ concedas, aut fluidis imponderatis. Ergo ab aliqua causa a natura physica diversa originem hubuit humana species, quam quidem causam appellamus Deum. Igitur Deus creator hominum est. Hinc sequitur ipsum Deum institutorem etiam hominum fuisse. Ea namque est horum conditio, ut, *sibi omnino relicti*, nec vita materiali vivere possint, nec a fortiori vita morali, sociali, religiosa; cum experientia doceat ad hæc omnia longa opus esse institutione, neminemque ad horum ordinum ideas assurgere *propria spontaneitate*, nec linguam invenire posse ad mutuam communicationem ac idearum commercium; saltem ad hoc plurimo annorum ac sæculorum labore indigerent, ac proinde longissimo temporis spatio unusquisque ea fere stupiditate laborasset, qua surdi et muti a nativitate laborant, imo majori, cum ii ab hominibus jam instructis alantur, ac in multis instructionem accipiant. Ergo nisi Deus homines cum primum creavit instituisset, sequeretur omnibus inferioribus entibus sive ex regno animali, sive ex vegetabili et inorganico, ea concessisse, quibus indigent ut perfecta in suo ordine sint, ac suam destinationem adimpleant, cum certum omnino sit nullum unquam hac super re *progressum* extitisse, semperque e. g. passeres iisdem organis et instinctu præditos fuisse quibus nunc gaudent; hominem vero, præcipuum hujus adspectabilis mundi opus, ejusdemque nobilem regem, qui eum intelligit, suo imperio subjicit, atque intellectu et libertate pollet, in eo infelicissimo statu reliquisset, quo stupidus omnino nec vivere posset, nec loqui, nec suæ originis ac destinationis conscientiam haberet, nec jura exerceret vel officiis teneretur; verbo, homines per longissimum saltem

temporis spatium nullo modo homines fuissent, nisi exteriori forma, si jam hæc ipsa cum habitibus et instinctis pure animalibus non etiam ad quadrupedium formam accessisset. Dixi per *longissimum temporis spatium*, ne absolute assererem omnino impossibile talibus entibus fuisse ad vitam socialem, moralem et religiosam assurgere; quod quidem multi, nec ignobiles philosophi eo potiori jure asserunt, quo certum est nullum prorsus exemplum in universa historia allegari posse, quo constet vel unum hominem *absque ulla prorsus alterius institutione* ad has notiones pervenisse; unde non spernendum jus descendit hanc de humana conditione super terram *legem* statuendi: *homo absque ulla prorsus alterius institutione, ad ideas ordinis moralis, socialis, religiosi assurgendi impos omnino est, rationemque tantum habet tanquam latentem vim, quæ, ut in actus erumpat, aliena institutione indiget.* Hæc sane *lex* universali et constanti experientia nititur, nullo contrario facto derogata; proinde plus soliditatis ac legitimitatis, ut ita dicam, possidet, quam tot aliæ leges sive a metaphysicis hominibus, sive ab historiographo-philosophis quotidie statutæ, quarum nonnullæ communi calculo probantur. Si autem hæc *lex* admittatur, planum est colligere eas, quæ apud homines vigent, notiones religiosas, morales, sociales, primæva institutione descendere a Conditore humani generis traditas, aut diversis temporibus repetitas et completas. Si vero rejiciatur, saltem, ex dictis, absurdam in Deo agendi rationem admitteres repudiata primæva hominum institutione circa ipsorum finem, qui illos creasset, atque in terram miseros projecisset, coecos, sui originem, destinationem ac media hanc perficiendi per longissima tempora ignorantes. Ergo ab experientia, scientiis biologicis, naturalibus, physicis, recta ratiocinatione concluditur inspecta hominum natura ac conditione, aliquam in mundo exstitisse (ac saltem ex parte exstare, quod nunc non pertracto) religiosam, moralem, socialem doctrinam e divina institutione descendentem, atque hominum prædictam naturam ac conditionem absque illa inexplicabilem esse.

621. Sunt quidem multi qui transmutationem specierum defendunt, sed theoretice tantum ac sophistice, non vero aliquo *facto* ducti; imo animalium hominumque rudera antiquissima quæ supersunt (*mo-*

mias, in Ægypto et America servatæ), picturæ, ipsa denique utrorumque fragmenta petrificata ejusdem planæ formæ, ejusdemque organizationis quam nunc sunt; quæ autem sunt diversa fossilia, ad alias species referuntur jam pridem extinctas, sed nullibi vestigium est veræ specierum transmutationis. Idem fere dicas de *generationibus spontaneis*, ut vocant, quas multi, nescio quo spiritu ducti, defendunt. Ast in omnibus prorsus animalibus et plantis quæ observari potuerunt, nusquam defecit inconcussum axioma: *omne organismum ex alio simili organismo descendit*. Quod si nonnullæ species plantarum et animalium *ex infusoriis* sponte nasci videntur, ideo est quia eorum semina valde minutissima et ubique fere existentia in aëre, in terra, in superficie plantarum &c., evolvuntur statim ac opportunæ conditiones adsunt. Sic e. g. si aquam in vase sumas absque alia cura, tractu temporis aliqua *infusoria* nonnullæque ex infimis plantarum speciebus forte nascentur, quia earum semina in ipsa aqua vel in aëre eamdem circumdante jam erant; si vero aquam ebullitioni subjicias et aërem transire cogas per locum igne albescentem, nempe ut organica semina, si quæ sint, calore pereant, tunc nullam spontaneam generationem invenies, etiamsi ad consummationem usque sæculi eam exspectes. Quod si hæc defendi a nonnullis possunt, ideo est quia abstrusiora sunt, et microscopicis observationibus multis et delicatis indigent; ¿quid autem diceres de *sapiente* illo, qui ovem, aut equum, aut hominem *sponte* nasci e terra posse diceret, statim ac ipsa apta iis animantibus alendis fit? ¿Quid ergo significat illa Renani phrasis «*Homo religiosus esse coepit statim ac ab animantibus distinctus fuit*»? ¿Quomodo hæc facta est distinctio, quando, quo scientifico aut historico fundamento nititur, cum historia naturalis permanentiam specierum aut earum completam destructionem, nunquam vero transmutationem admittat? Si vero hæc distinctio significat homines multo tempore vixisse, quin ratione uterentur, quam demum adepti sunt; redeunt absurda quæ supra indicavimus in Dei agendi ratione; si tamen hic transitus impossibilis omnino non fuit, ut præclari philosophi defendunt. Idem dicas de alio Renani dicto, *non posse scilicet homines ex actuali terræ statu judicium ferre de vi creatrice, quam olim habuit, quando nempe ex aëreo statu et gradu caloris maximo ad statum liquidum ac demum primam solidificationem transiit*; quasi calor plurium graduum hominem, aut quercum, aut algam, creare valeret; quasi mira ac divina ars, certo *intentionalis*, in organizatione manifestata, caloris aut electrici fluidi aliorumve effectus esse posset! Nempe hæ stupidæ sententiæ sunt, quæ ad arcendam Dei notionem et influxum in res mundanas fuerunt inventæ, et rudiori plebi semi-

doctorum objiciuntur in eumdem finem, licet illæ contra scientias omnes peccent, ac sensum hominum communem misere lædant.

CAPUT VIII.

Eadem propositio major historia universali evincitur: difficultates.

622. Nunc eamdem propositionem majorem nostri syllogismi ex historia universali paucis demonstremus. Hæc namque historia nusquam homines ostendit primitus absque ratione et loquela brutorum more in silvis vagantes, donec post multa demum sæcula linguam invenerunt (a), notiones morales, sociales, religiosas possidere coeperunt, ac gradatim e fetichismo ad cultum virium naturæ occultarum transierunt, ad astrolatriam, dæmonolatriam, hominum apotheosim, dualismum, ac denique puriorem monotheismum. Nusquam omnino hic processus in historia universali invenitur, nullo reali monumento et historico hæ rationalistarum et incredulorum theoriæ nituntur; sed gratis omnino ad fucum sibi aliisque faciendum in negotio omnium gravissimo, quocumque aspectu illud consideres, inventæ demum sunt. Immo potius historia universalis contrarium ubique admittit, antiquissimos homines ubique in societate civili et religiosa existentes ostendit, lingua utentes, originem propriæ speciei Divinitati tribuentes, monotheismum admittentes ac identicas in substantialibus notiones, et has omnes aut saltem plerasque traditiones: Dei existentiam, vestigia saltem Trinitatis, creationem, hominum lapsum, redemptionem, mundi castastrophem, immortalitatem animæ, Angelos bonos et malos, coelum, infernum, purgatorium, miracula, vaticinia, expiationes, vota, *sacrificia*, orationem (conf. Cantú, t. 8, edit. hisp. Gaspar y Roig, Código sagrado), ut silentio præteream mirabilem prorsus analogiam in pluribus ritibus externi cultus; quas quidem notiones admiserunt indi utriusque religionis brahmanicæ ac budhis-

(a) Quæ certe etiam si rudior sit, vix a profundiori philosopho inveniri potuit, conf. n. 639.

ticæ, persæ, sinenses, ægyptii, græci, romani, druidæ, scandinavi, peruani, mexicani, canadienses, virginiani, hebræi, christiani, muhammedani; omnes denique populi ac tribus aliquantulæ civilizationis, exceptis tantum nonnullis, iisque paucissimis tribubus omnino silvaticis ac stupidis. Hæc non sunt hypotheses, sed vera facta. Aliud *factum* est omnes nationes et populos eo superstitiosiores, atque in rebus religionis inferiores atque absurdiores fuisse, quo magis ætate procedebant, quo magis in rebus litterariis, scientificis, politicis, atque potentia et dominatione proficiebant; ita ut e. g. sinenses antiquissimi, indi, græci, romani, prius multo puriores notiones et institutiones religiosas habuerint, quas postea misere foedarunt, idololatria, anilibus fabulis, sacrificiis humanis, aliisque horrendis nimium ritibus. Aliud *factum* est institutionem sacrificiorum ubique ad peccatorum *expiationem* fuisse admissam mediante sanguinis victimæ effusione, quin ullus mortalium explicare possit cur homo peccator et Dei maledictioni obnoxius, liber et incolumis evadere crederetur occisa ove, bove, virgine pulcherrima, proprio filio, &c., sub certis ritibus, hancque fidem universæ antiquitatis nationes, etiam cultissimæ, admiserint. Aliud denique *factum*, ut reliqua prætream, est: in obscurioribus, confusis, fabulosis, quandoque et historicis populorum traditionibus, multa esse quæ narrationi biblicæ in substantialibus apprime conveniant, quamvis multis et absurdissimis legendis, ac singulorum populorum historia admixta foedata sint, præsertim quo recentiores sunt in qualibet natione; et ejus quidem naturæ sæpissime, quæ ex naturalibus humanæ mentis facultatibus, aut communi fænomenorum naturalium observatione minime explicari possunt; quæ omnia manifeste demonstrant ex unico primævo fonte in omnes populos manasse. *Hæc facta sunt*, quæ ex historia universali constant, et aliquo modo explicari debent (conf. *Cantu* passim, ac præsertim t. I, II et VIII edit. hisp. Gaspar; atque *Annales Philosophiæ christianæ* rem hanc ex professo pluribus voluminibus tractantes).

Atqui explicari nequeunt tamquam mera errata aut superstitiosa inventa, nec tamquam naturales ideæ in hominum animis infixæ, nec tamquam consecutiones ex mundi ejusque fænomenorum contemplatione longo labore de-

ductæ, nec tamquam alicujus ingenii perspicatioris et *præclara intuitione donati* partus, quæ sunt explicationes datæ ab incredulis, rationalistis, aliisque nonnullis, non valde emunctæ naris hominibus, inter credentes; ergo explicari debent ea explicatione quam libri V. T. tradunt, omnes veteres historiæ confirmant, ab hodierna germana scientia plurimum consulitur, nulli veritati historicæ, scientificæ aut philosophicæ opponitur, nempe *institutione divina*. Hominum namque errata atque superstitiosa inventa, in infinitum variant nec universalia esse possunt; ut nihil dicam de harum traditionum profunditate et veritate, tanto magis oblita et adulterata, quo adultiores erant populi; quod Plato de Homero dicere solebat, scilicet puriores antiquas notiones religiosas corrupisse, quodque de romanis tempore Numæ cum romanis tempore Augusti viventibus notum est: nempe antiquitus minime eam superstitionem Romæ fuisse, qua ætate Augusti cultissima innumeros fere deos admittebat, superstitionibus foedis omninoque ridiculis, atque victimis humanis, sese contaminabat (a).

623. Quod si allegata prius historica facta notiones animo hominum naturaliter insculptas dicas, nullos aut fere nullos habebis consentientes, præsertim cum una ex illis sit existentia revelationis, atque etiam plures falsæ ab adversariis nostris habeantur; unde descenderet absurda conclusio falsitatem hominum cordibus esse naturaliter inscriptam, et quod caput est, inspecta harum traditionum et institutionum natura, præsertim *sacrificiorum*, omnino falsum et a sensu communi repudiandum assereres. Si notiones has in corde scriptas homines haberent, vix aut nullibi appareret *fœnomenon universale et constans et numquam vel uno contrario facto derogatum*, neminem, qui de Deo, creatione, animæ spiritualitate aut immortalitate, angelis, dæmonibus, inferno, paradiso &c., nihil unquam audivit, eas per se invenisse; quod, si ex eo tempore quo historia ve-

(a) Conf. *Annales philosophiæ christianæ*, qui posterioribus voluminibus hanc rem subdole aut ignoranter ab historicis prætermitti consuetam, in luce meridiana collocarunt. Hi articuli sunt D. Bonnetty, et inscribuntur: *nonnulla documenta super romanorum religione, eorumque relationibus cum judæis ad supplementum omnium fere historiarum.*

ridica aut vera experientia est, vel semel falsum deprehensum fuit, nihil argumentationem hanc ponderis habere fateor; ast certus sum a nemine id adhuc inventum fuisse, a nemine asseri posse quis, ubi, quando, homo *absque ulla prorsus institutione prævia super rebus iis*, ad eas tandem ipse propria meditatione pervenerit. Deinde *certum est* plures homines ex institutionis defectu nihil ex iis unquam cognoscere, quæ tamen facile discunt, simul ac ab alio sibi proponuntur: tales sunt surdi et muti a nativitate, atque tribus omnino silvaticæ Occeaniæ, quod ex illustrissimo episcopo missionario P. Serra non semel didici. Fateor quidem oppositam sententiam communem esse: sed *theoriæ facta publica, testatissima, constantissima non destruunt*; axioma vero illud, *principia legis naturalis insculpta esse in hominum cordibus*, locutio figurata est, qua significatur has notiones facillime ab hominibus capi (sed postquam eas audiverunt) ac proinde universalissimas esse: nempe primæva institutio in omnes fere homines derivata est, qui ejus saltem elementa retinuerunt; semelque edocta numquam aut vix oblivioni traduntur, nisi ab iis qui data opera ea suffocare quibuslibet ratiunculis aut sofismatibus desiderant; ac proinde ad quamdam vitam moralem, socialem et religiosam ubique deserviunt. De loco ps. *4 signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, alibi sermo erit (hermen. nº 689).

624. Sed nec ex mundi ejusque fænomenorum diuturniori et profundiori meditatione derivari potuerunt allegatæ traditiones et religiosa instituta, tum quia earum aliqua nullo modo inde deduci valent, ut sacrificia, peccatum originale, redemptio, dies festi perpetuo consecrati &c., tum præsertim quia, si effectus humani laboris et meditationis essent, rusticiores ac rudiores initio fuissent, deinde vero paulatim ad majorem perfectionem pervenissent, ut in cæteris humanis rebus omnibus absque ulla exceptione fit. Atqui potius in re nostra contrarium habemus, quod jam subindicavimus, et a multis demonstratum est; ergo notiones religiosæ de quibus loquimur, humani laboris et meditationis partus minime haberi debent. Historia non ostendit homines ab imperfectioribus ad perfectiora assurgentes in iis rebus; sed e contra, a sublimioribus conceptibus et institutis, ad omnium fabularum, superstitionum, errorum, cum veris factis et doctrinis inextricabilem confusionem descendentes, ita

tamen ut posteriora hæc instituta optime diceres «*veritates putrefactas.*»

625. Denique ab aliquo singulari ingenio felicissimo *fun genie*, ut galli dicunt), maxima veritatem intuendi vi prædito, *hæc naturaliter* inveniri potuisse, donec ratione sufficiente probetur non ego admittam, cum, ex dictis, omnium hominum impotentia factum universale sit ac proinde *lex generalis*, cujus exceptio demonstratione indiget. Deinde ingenium istud præclarum cum profundioribus veritatibus ea invenisset et tradidisset, quæ ab adversariis nostris absurdissima habentur; ut nihil addam de existentia revelationis, quæ, cum una sit e communibus istis traditionibus, ab illo etiam procederet... Ast verba hæc verba sunt, præterea nihil; cum hominum felicissima ingenia vulgares notiones intimius rimari abstrusioresque relationes invenire valeant, ab ætatis suæ, magistrorum, institutionis, circumstantiis adjuta; sed vere ac omnino invenire quod prorsus erat ignotum, nec in re alias nota ullo modo continebatur, super omnium ingeniorum, utut magna intuitione præditorum, potestatem est. Deinde restaret explicatio illius facti, quomodo nempe ab uno homine has profundissimas, difficillimas, atque earum nonnullas, ut rationi tantum naturali videntur, absurdas, quod de sacrificiis est intelligendum, universi demum homines acceperunt, in remotissimas ætates ac mundi plagas transmiserunt, ac super eas religiose, moraliter, politice constituti sunt. Certe, qui tantum valuit, merus homo esse non potuit. Nulla igitur hypothesis *facta* explicat, quæ universalis historia testatur; cumque ipsa historia horum institutorum originem Deo tribuat, cum hoc maxime rationi congruat, cum ex hoc principio facillime omnia pateant, origo humanitatis, ejus fraternitas organica, linguistica, religiosa, moralis, socialis, artistica, et antiquissima populorum doctrina a posterioribus fabulis discerni commode possit; verbo, cum universalis historia ex hoc principio lumen accipiat, quæ aliunde chaos inextricabile esset, cumque principium hoc nullo alio vero principio scientifico aut alterius ordinis contrarium sit, sed potius mire hodierno scientiarum statui collimans... ¿quid aliud restat nisi hanc unicam rationabilem sententiam, quæ omnia fænomena explicat et nulli veritati adversatur, tamquam verum principium unicamque admittendam theoriam

recipere? Ergo si in re nostra illam ipsam methodum, quæ in scientiis physicis et naturalibus universim in usu est, totque fructus præclaros edidit, adhibeamus, ad historiam universalem intelligendam et explicandam; aliquam divinam institutionem admittere necessum est, ac proide vera scientifice demonstratur nostri syllogismi principalis major propositio, qua statuimus *aliquam doctrinam revelatam in mundo esse*, quam ex ipsa hominis natura experientia duce, cum scientis biologicis, naturalibus et physicis, atque ex historia universali, paucis quidem et nimium compendiariis rationibus evicimus, cum aliud operis nostri ratio non ferat.

CAPUT IX.

Evincitur propositio minor: argumenti epitome.

626. Propositio minor nostri syllogismi facillima est, atque, prout jacet (n. 620), a nemine adversariorum nostrorum, quem sciam, in dubium revocatur. Plura quidem ex libris antiquorum populorum religiosis adversus sacram Bibliorum auctoritatem objici solent; sed a nemine ex adversariis nostris rationalistis ut vere sacri habentur, nec haberi possent, quin systemati rationalistico valedicerent. Deinde plura falsa et absurda, simul cum antiquiorum veritatum traditionalium seminibus præclaris in iis libris inveniuntur, veluti pantheismus in sinensibus et indis atque dualismus in libris parsorum; nullum systema religiosum intime connexum et omni ex parte sibi respondens; innumeræ *legendæ*, quæ evidenter veluti tales apparent. Denique auctoritas eorum divina ab imbecillioribus populis tantum credita fuit ac creditur, dum auctoritas Pentateuchi a florentissimis totius mundi et doctissimis nationibus post multa sæcula creditur, et quidem gravissimis rationibus, quibus Pentateuchi ac totius V. T. librum auctor, ætas, authentia scientifice demonstrari potest, quantum ad plenam certitudinem gignendam necessarium est; libri vero religiosi cæterorum populorum nullis authentiæ notis insigniti apparent, nulla in eis adest distinctio temporum, regionum &c., vel

prorsus absurdæ aut imaginariæ sunt; nulla in ipsis est chronologia et geographia, quæ sunt duo historiæ lumina ac proinde veræ historiæ dignitate carent, licet plurima ex parte vera narrent, quæ a falsis et legendariis sejungere non semel difficillimum est. Imo cum sint manifeste interpollati, quod saltem de libris parsorum et indorum certum omnino est, de sinensibus valde simile vero, quando a *Confut-seu* editi fuerunt, aut cum posteriori ætate flammis ab imperatore Chuang-ti traditi sunt; sequitur nihil certo ex illis colligi posse, quod historicam auctoritatem habeat, multoque minus haberi possunt tamquam antiquæ institutionis divinæ veraces et incorrupti testes. ¿Numquid Dei providentia pati potuit, ut sua doctrina, quæ homines dirigere deberet, ac semper ab ipsis distingui propterea posset, ad talem statum perveniret, qualem in religiosis iis libris habent parvulæ, quæ ex universali naufragio liberæ prodierunt, antiquæ traditiones?

627. Ne igitur in re minime necessaria amplius immoremur, ad argumentationem nostram paucis breviandam devenimus. Inspecta hominum natura, eorum origine divina naturalibus scientiis omnino consentiente, tamquam sola probabili theoria, experientia eorum quæ homines in rebus religiosis agere solent aut possunt, historia universali, quæ plurima facta narrat minime explicanda absque divina institutione ab omnibus populis servata in præcipuis capitibus, imo omnium antiquorum philosophorum universæ terræ conspiratione, qui *sapientiam in antiquis quærebant ac quærendam esse docebant* (a); recte, imo necessario, si unquam factum est, affirmare debemus aliquam in mundo existere veritatem religiosam revelatam, quæ quidem aliquo, nec valde difficili modo discerni possit, nisi Deo eam tradenti absurdam agendi rationem tribuere velimus. Atqui nulla similitudine aut specie veri hæc veritas divinitus tradita extra libros Moysis cæterosque V. Testamenti quæri potest aut debet; ergo libri Moysis aliique V. T. religionem revelatam a Deo continent, seu divina auctoritate gaudent.

Num restat ut difficultates opponi solitas ab incredulis et rationalistis, tum contra libros mosaicos, tum contra uni-

(a) Conf. hujus rei demostrationem, in laudatis Annalibus t. I, ann. 1833.

versa Biblia, ut inspirata divinitus, nec jam a nobis præoccupatas, paucis exponamus et refellamus.

CAPUT X.

Præcipuum rationalistarum argumentum: ordo supernaturalis ejusque cum naturali relatio: existere potest, imo vere existit: utrum adhuc miracula credantur.

628. Ratio et natura nostri laboris minime quidem postulant ut præcipuam, et verum fundamentum reliquarum difficultatum adversus divinum Sacrorum Bibliorum characterem, multis persequamur; impossibilitatem scilicet et inexistentiam ordinis supernaturalis, quarum prima nonnisi ab atheis, altera a naturalistis, et sana quidem logica reclamante, admitti potest. Sane, si unus existat summus Deus, infinita scientia ac potestate gaudens, nulla difficultas esse potest in eo quod ipse ea omnia condere et perficere possit, quæ contradictoria non sunt. ¿Quis autem demonstrare poterit duo rerum ordines, naturalem, quem dicimus, et supranaturalem sibi mutuo adversari? ¿Numquid in ipso homine non invenitur duplex, imo triplex relatio, dum legibus materiæ universalibus subjectus est, legibus item organizationis valde quidem implicatæ, perfectissimæ et undique mirabilis, simulque intelligentia et libera voluntate gaudet? Et quidem vires materiæ naturales ac necessariæ cum viribus voluntatis liberrimis, teste sensu intimo, cohærent, dummodo voluntas extra ambitum suæ conditionis irrationabiliter progredi non velit. Eodem igitur modo conspirant amice ad finem a Summo omnium Conditore intentum ambo ordines rerum paralleli, ut ita dicam, quos Ipse ab æterno ordinavit atque in rerum creatione præfixit, quorum naturalis supranaturali inferior, eique subordinatus maneret. Sic, humanæ conditionis ad gratiæ ordinem elevatio, veritatum ad hunc ordinem spectantium revelatio quolibet modo peracta, qui in ordine naturali rationem sufficientem non haberet, miracula ac vaticinia quibus revelatio supernaturalis ab inventis hominum discerneretur; non sunt nisi fæ-

nomena hujus ordinis, quorum scientia in ordine naturali minime quærenda est, quemadmodum leges libertatis in legibus physicis aut chemicis nonnisi absurde quærerentur. Datur quidem multiplex relatio inter ordinem naturæ et ordinem gratiæ, sicut multiplex existit inter leges libertatis et leges organizationis; sed tamen diversi ordines sunt, minime confundendi. Proinde utriusque ordinis fænomena radicitus sufficientem rationem habent in voluntate Dei, utriusque ordinis conditoris et moderatoris; nec quæquam eorum aliis adversantur, nec ulla ab aliis derogantur, aut suspenduntur, aut infringuntur, ut vulgo dici solet. Sed dum aliquod datur fænomenum, quod in ordine rerum naturali rationem sufficientem non habet, tunc adest manifestatio ordinis supernaturalis, quæ non derogat, aut infringit ullam naturæ legem, sed *aliam inducit vim*, cui natura cedit, ut pote illi subjecta, seu subordinata; quemadmodum e. g. arbor non eos fructus edit, quos ex sua natura edidisset, sed eos, qui ramorum insertorum ab homine proprii sunt. Igitur minus proprie miracula dicuntur derogationes aut suspensiones legum naturalium; sed haberi debent ut manifestationes seu fænomena ordinis supernaturalis, ab initio a Deo cum naturali statuti, qui etiam finis ultimus ejusdem ordinis naturalis esset. Hinc multa ac gravissima oriuntur consectaria: a) nonnisi stupide objici potuisse mutabilitatem in Deo dari, si miracula existant; b) sapientiam item summam in Deo desiderari, quippe eum rerum ordinem statuisset, qui sæpe derogatione indigeret, aut suspensione, ut ejus scopus assequi posset; c) miracula fænomena esse abrupta, absque lege (certe absque lege sunt *nobis agnita*), ut opus præstigiatoris ad excitandam admirationem facta, et meram ostensionem virtutis divinæ; d) bonitatem summam Deo deesse, qui talem rerum ordinem statuit, ubi mala bonis potiora sint, cum tot entium calamitates, dolores, mortem ordinaverit, qualia sunt omnium animantium quæ ab initio fuerunt, tot hominum, quorum miseria super felicitate prævalet; qui enim hæc objiciunt, ordinis naturalis subordinationem ignorant ordini supernaturali, qui immensum alterum excedit, ita ut unus tantum supernaturalis actus, ac præsertim unius hominis felicitas coelestis, ac Dei gloria inde redundans, infinito intervallo omnia ordinis naturalis mala superent; f) scientias denique destrui, quæ stabilitatem sua-

rum legum ubique supponunt, quæ tamen miraculis passim derogari ac suspendi queunt. Quæ postrema objectio, dum a Renano fit, demonstrat minime ipsum veram naturam *scientiæ* assequutum fuisse, atque mendacium admisisse, dum alibi asserit «se non repudiare miracula ut impossibilia, sed quia existentia non demonstrantur»; si enim cum scientiis incomposibilia sunt, cum hæc vere existant, ac suum valorem habeant, miracula illis contraria existere non possent. Ast *scientiæ* fænomena observant, eorumque causas investigant, ac demum ad harum mutuam connexionem ac legem assurgunt, ut, quæ in paribus rerum adjunctis evenire debeant, *certitudine physica* pronunciare possint; ad intimam tamen rerum essentiam nullus unquam mortalium pervenit; qui se pervenisse sibi visus est, deliria tantum admisit, aut meras hyphoteses nullo facto nixas nulliusque prorsus utilitatis. Igitur numquam scientiæ evincere possunt quodlibet fænomenon *rerum essentiis repugnare*, imo nec ipsis naturalibus cujuslibet scientiæ legibus, nisi demonstrent *nullam vim sibi ignotam cum viribus naturalibus egisse eorumque effectus modificasse.* Demonstrabitur autem hanc vim supernaturalem tunc non fuisse operatam, cum fænomenon minime ut supernaturale appareat, nec ab auctore ut tale ostendatur, cum *ordini supernaturali repugnet*, e. g. si Dei attributis adversetur in se aut in suis adjunctis, ut si rationem sufficientem non habeat, aut in confirmationem falsæ vel pravæ doctrinæ fiat, &c. Hinc, quotiescumque scientiæ cujuslibet fænomeni causam et legem ignorent, aut hoc certo ordine ac serie omni ætate reproducitur, aut quandoque tantum, velut extraordinario et abrupto modo. Si primum fiat, nihil aliud consequitur quam imperfectio illius scientiæ, ut in medicina v. g. accidit cum peste asiatica aliisque; si alterum eveniat, tunc esse possunt indicia operationis seu fænomeni supernaturalis, ut si auctor id asserit et probat, aut nulla vel insufficientia indicia sunt, et tunc fenomenon naturale est, cujus causa ignoratur. Numquid scientiæ omnia norunt? Sed ex iis, quæ scientiæ plurima adhuc ignorant, plura item esse posunt, quæ a nulla naturali causa prodiisse certum sit, v. g. mortui suscitatio solo vocis imperio, quam naturalem dicere sensus communis prorsus repugnat. Cum ergo leges a scientiis investigatæ ordinem naturalem respiciant, nec novæ vis, aut novi agen-

tis operationem præsuponant; patet nihil earum assertiones et theoremata pati, quum hæc nova vis aut novus agens diversa creat adjuncta. Cum autem id fit, fallitur scientifica assertio, quia a novo illo agente vires naturales modificatæ fuerunt; ut falleretur botanicus sapientissimus, qui de piro recens plantata prædiceret pira inde expectanda fore, cum tamen suo tempore mala edat, eo quod hortulanus in ea malum inseruit. ¿Numquid idirco scientia botanica destruitur? Denique omnes veritates scientificæ de meris causis naturalibus intelliguntur, nec supernaturales respiciunt; ut si astronomus diceret solem certo horarum numero super horizontem duraturum, minime falsa est aut impotens ejus scientia, quia divina voluntate dies longior fuit, ut ætate Josue et Ezechiæ; attamen predictio tunc falsa fuit, quia novum agentem non naturalis ordinis operaturum astronomus ignoravit. Idem dicas de astronomia, de geologia, de meteorologia, quæ sunt exempla a Renano allegata *(Lettre a mes collègues de l' Institut)*. Explicationes itaque et prædictiones scientificæ suo valore remanent, quamvis nonnumquam ex predicta causa fallantur; cum miracula non quotidie fiant in compitis atque platearum angulis. Hæc a fortiori locum habent in historia humanitatis, quæ, si certis legibus in sui evolutione subjecta sit, quas historiographi calleant; minime ut scientia destruitur, si quandoque ordinis supernaturalis nonullæ manifestationes fiant, quibus Deus ipsam humanitatem, ex abusu libertatis extra proprias vias vagantem, dirigit iterum ac veram viam ostendit.

629. Existentia autem ordinis supernaturalis ipsa genuinitate et veracitate sacrorum Bibliorum demonstratur, supposita illius possibilitate, quam ex dictis irrationabiliter tantum quis negaret. Deinde evincitur illo argumento, quod supra indicavimus in demonstratione divinæ Bibliorum inspirationis, deducto ex ipsa hominis natura atque ex historia universali. Quæ quidem brevi nimium sermone delibare potuimus, sed si pro suo pondere et gravitate profundius considerentur, indestructibilem ordinis supranaturalis demonstrationem conficient.

630. Alius objicit miracula a nemine jam credi; quod, quam falsum sit, ostendit parvulus rationalistarum et incredulorum numerus, si cum universo hominum genere comparetur; quod quidem, ac præsertim catholici omnes, mi-

racula admittunt, ac divinum interventum in res humanas quotidie supponunt, quippe quotidie orant. Orationes non postulant miracula proprie dicta, quæ nempe fiant ad ostendendam aperte Dei actionem; sed postulant Dei providentiam, quæ scit *attingere a fine usque ad finem fortiter, et disponere omnia suaviter*, majorem vero quam propria miracula difficultatem minime præsefert. Ergo nullo jure affirmari potest regulam esse artis criticæ eas omnes historias esse *legendarias*, ac proinde aliquo naturali modo explicandas, aut etiam repudiandas, quæ miracula et ordinem supernaturalem supponunt; quin immo hac regula repudiarentur omnes prorsus populorum historiæ omnesque traditiones, quæ Dei actionem et interventum supernaturalem omnes supponunt in rebus humanis; unde consequitur fidem ordinis supernaturalis adhuc inter homines *in possessione esse*, ut cum jurisconsultis loquar, a qua nonnisi evidentioribus argumentis turbari potest.

CAPUT XI.

Argumentum contra divinam Geneseos inspirationem ex Geogonia deductum: adnotationes ad ejus vim infirmandam.

631. Objiciunt ex theoriis geogonicis: Moyses asserit sex diebus conditum a Deo fuisse universum mundum; cum autem hoc cum geogonia minime consentiat, quæ innumeris argumentis geologicis demonstrat nonnisi longissimis sæculorum periodis a prima sua conditione ad actualem statum terram pervenisse; valde ac frustra theologi laborant in mosaica cosmogonia cum scientiarum demonstratis jam veritatibus concilianda; unde plures eorum simpliciter documenta scientifica inficiantur, alii ea contorquent, aut etiam ipsum naturalem sensum narrationis mosaicæ, quam contra sensum a tota retro antiquitate admissum, a quo recedere sacrum catholicis est, interpretantur, vel potius jugulant. Igitur aut Moysi, aut geologicis scientiis est valedicendum; cum autem postremum fieri nequeat, quippe physica ac experimentali certitudine gaudent, restat primum.

632. Huic nimium repetitæ difficultati priusquam respondeam, nonnulla adnotare juvat: a) Geologiam a Geogonia probe esse distinguendam, ac similem inter eas existere discrimen, quod olim inter Astrologiam et Astronomiam atque inter Alchimiam et Chemicem. Ex humana conditione factum est, ut priusquam proprie dictæ Astronomiæ et Chimices studium mediocrem perfectionem fuerit adeptum, jam ad conclusiones theoreticas et abstrusas speculationes adhiberetur, atque ad artem transmutandi quamlibet materiam in purissimum aurum. Nunc vero temporis utraque scientia intra proprios limites sese ipsa inclusit, atque ad mirandum pefectionis statum deveniens, ut ridenda somnia Astrologiam et Alchimiam repudiavit. Simile quid accidit Geologiam inter et Geogoniam; ideo enim præcipue excoli coepit assiduo labore et magna contentione Geologia, præsertim ex quo proprie dicta fossilia inventa primum fuere, ut Geogoniam mosaicam oppugnare aut defendere possent qui iis studiis dediti erant; ob idque innumeræ hypotheses inventæ sunt ad narrationem mosaicam refellendam atque terræ originem explicandum, cum adhuc scientia geologica vix nota esset. b) In actuali ejus statu duo sunt etiam distinguenda: factorum observationem, quæ ejus partem positivam et ad praxim utilem, præsertim agricolam et industrialem, constituunt; et theorias super his factis fundatas; quippe hic, ut in aliis omnibus naturalibus scientiis, nulla alia est ad proficiendum opportuna methodus quam longa et fidelis observatio, ac rationabiles hypotheses, quæ facta inventa classificare, earum leges invenire, connexionem perspicere, ac probabilem demum explicationem reddere valeant. c) Hæc principia hypothetice admissa tunc solum ad veritatis scientificæ categoriam elevari posse, quum nullam aliam cujuslibet ordinis veritatem oppugnent (cum veritas veritati in quolibet rerum ordine contraria esse nequeat), atque omnia fænomena earumque notas leges apprime explicare valeant. Ita et non aliter ab omnibus nunc ut veritas demonstrata admittitur e. g. attractio universalis Newtonis, atque sol ut centrum hujus systematis planetarii. d) Hinc jure deducere possumus historiam formationis terræ, atque hypotheses admissas circa ejus primævum statum ac succesivas evolutiones, hypotheses meras esse, cum nondum sapientes inter se conveniant in illis admittendis, ut con-

veniunt certo in prædictis principiis gravitationis et systematis solaris; imo multum digladiantur in determinanda stratorum natura, ordine, antiquitate, in valore scientifico relativo sive Stratigraphiæ sive Palæontologiæ, in temporis spatio definiendo, quo unaquæque *formatio*, ut dicunt, indiguit; et quod majoris momenti est, quælibet hucusque admissa hypothesis innumeras ac forte insolubiles difficultates offert, præsertim quæ in statu liquido interioris terræ partis fundatur, et hodie inter geologos communis est (conf. Buchez, *Introduction a la Science de l' Histoire*, l. 5, cap. III). c) Nulla itaque necessitas scientifica adhuc nos cogit ad narrationem mosaicam circa mundi originem cum Geogonia, quæ nodum vera scientia est, conciliandam; sed postquam hæc doctrinam suam vere demonstraberit, si quid contra sensum naturalem ac vulgarem Geneseos concludat, tunc certo via conciliationis invenietur, eo ipso quod veritas critico-dogmatica veritati scientificæ repugnare nequeat. f) Nec certum est, sed longe inter Patres et interpretes, præsertim recentiores, controversum, in cosmogonia mosaica sermonem esse de diebus proprie dictis, quod frustra et imprudenter P. Laurent demonstrare conatur (*La cosmogonie mosaique*, 1863); siquidem vox *dies* diversos habet sensus in universis Bibliis, atque in ipsis capitibus primis (1-2) Geneseos, ac sæpissime pro tempore indeterminato accipitur; nec ut veri dies 24 horarum accepti sunt dies genesiaci a S. Barnaba (cujus epistola genuina est, quidquid dicat Cellier, vel saltem primi sæculi fetus), Irenæus, Origenes, Augustinus, Athanasius, Clemens Alex., S^ta^. Hildegarda, Albertus magnus, atque inter recentiores Wiseman, Perrone, Rohrbacher, Billet, Gousset, revisiones dictæ La Civiltà cattolica, Annales de Philosophie chrétiènne, &c. Ii, aliique plures, dies genesiacos non pro veris diebus habent, sed aliquo modo interpretari posse concedunt, quod ipse P. Laurent facere cogitur, secum tamen pugnans. g) Nec mirum est ad litteram communiter narrationem mosaicam acceptam fuisse, cum nulla esset ratio aut fere nulla aliter se gerendi: nempe non plures PP. et interpretes de veris 24 horarum diebus genesiacos dies acceperunt, quam miraculum Josue de vera solis statione; quin tamen ullus prudens dicat litteraliter hunc textum esse explicandum, quia ita explicavit Ecclesia, prout a suis

doctoribus factum fuit (conf. hermen. n.° 667). Ecclesiæ doctrina in intelligendis sacris libris, non ex vulgari PP. aut theologorum personali opinione constat, sed aliis mediis l. c. videndis. i) Animadverto denique Moysem minime scientifica, sed vulgari oratione usum fuisse, ipsi minime fuisse revelatum universum creationis ordinem et adjuncta, quæ ille etiam ut privatus homo ignorabat; sed tantum generico modo, satis vago, intelligentiæ prisci populi hebraici accommodato, ac proinde *scientifice* incompleto, et quidem sub respectu tantum humano, et ad scopum religiosum totius Pentateuchi. Cur vero ita sese gessit Deus, cur non omnia ad amusim revelavit nescio; sed tamen ita se gessit, nec hujus æconomiæ probabiles rationes desunt. Quod autem Moyses docuit satis est, ut divinam in eo sapientiam admiremur, cum post tot sæcula nondum contra scientiam peccasse demonstratum sit, sed potius cum ea valde consentiat, quod nulli ex antiquis cosmogoniis accidit, nec possibile erat, eo ipso quod ad multa particularia descendat, etsi multa silentio prætereat. His positis, hypothetice, ut scientia actualis tantum postulat, objectioni respondeo narrationem mosaicam scientifice exponendo, cum docto geologo hispano Vilanova, paucis mutatis, quæ mihi tantum imputanda sunt.

CAPUT XII.

Historia creationis mosaica scientifice interpretata.

633. Gen. cap. I, v. 1. In principio temporis universam materiam ex nihilo creavit Deus (ברא), quæ antea non erat; quod, quamvis Geologia comprehendere non valeat, sana philosophia necessarium esse decernit, nisi materiam æternam dicere velimus, ac proinde divinis proprietatibus gaudentem, seu verum Deum; hoc vero ipsam Geogoniam, cum reliquis naturalibus scientiis ac sana ratione destrueret, et absurdis innumeris labefactaret. Atque hoc est celeberrimum Geneseos principium, a nemine umquam philosophorum inventum, in omnibus antioquorum cosmogoniis adulteratum, et in verum pantheismum conversum: certe

hoc tantum principium cosmogoniam mosaicam summe commendat.

Vers. 2.° Terra autem erat *tohû vabohû*, aërea et impalpabilis, seu *inanis et vacua*, aut *invisibilis et inordinata*, ut verterunt vulgati latinus et græcus; quibus verbis describitur primus materiæ status, cum terra partem materiæ solaris composuisse dicitur, a quo paulatim disgregata fuit, ex primo totius materiæ solaris orbiculari motu et ipsa materiæ attractione in ellipsoidem conversa, atque motum rotationis et revolutionis agens: describitur nempe *periodus cosmica*, quam dicunt, longissimæ forte durationis, donec terra frigescens statum fluidum ex aëriforme, ac dein in supeficie solidum accepit; quæ tamen ob minium calorem et potentissimas actiones chemicas longe quatiebatur, ejusque superficies solida rumpebatur, et hiatibus, elevationibus, et depressionibus plena eum aspectum ostendebat, quem nunc videmus in partibus *graniticis* (terrenos graniticos, de formacion ignea). Nec esset violentum, sed probabile et minime negligendum, primo versiculo descripsisse Moysem mundum nostro anteriorem, post cujus catastrophen terra erat *inanis et vacua*, &c.; atque ita omnibus Geologiæ inventis satisfieri posset mundo hoc antiquiori cujuslibet durationis ac quorumlibet fatorum, atque dies genesiaci pro veris diebus accipi possent; quod in actuali scientiarum statu necessarium non est, sed minime spernendum, ac forsitan futuro tempore a theologis ut unica explicatio admittendum. (Hypothesis *restitutionis*).

Vers. 3-5. Et dixit Deus: *sit lux, fuitque lux*; nempe non dixit *creetur lux*, cum materia lucis jam existeret, sed forte subindicat primum materiæ motum regularem, primam dynamicam universalem, ex qua fænomena prodierunt lucis, caloris, fluidi electrici &c., quæ juxta recentiorem physicam unius materiæ fænomena sunt sibi invicem respondentia, quod forsitan subindicatur voce hebraica אור, quæ *ignem, calorem, diem, lucem* significat. Hæc lux a Deo facta in prima ex sex periodis præcipuis, quas Genesis sub nomine dierum recenset, multis causis produci poterat, quod nunc elementarii physici norunt, ut ipso primum calore terrestris superficiei nimio, electrico fluido, phosphorescentia, luce terræ propria, quæ nunc etiam agnoscitur, ac præsertim aurora polari et luce difussa solis, non tamen

adhuc directa, quam minime patiebatur atmosphæra densissima; sed tamen ad plantarum vegetationem, una cum elevata temperatura et abundantia accidi carbonici longe sufficiente. Ex ipsa vero difficultate, quam experti sunt interpretes in determinanda natura hujus lucis, ex objectionibus oppositis, ac demum ex consonantia cum hodierna physica, patet Moysem divinitus edoctum, aut saltem summo ingenio et sapientia donatum fuisse, qui lucem e sole et stellis minime pendere jam sciebat; alioquin stupida ignorantia narrasset lucis creationem ac dierum existentiam antequam sol creatus fuisset.

Vers. 6-8. Fiat firmamentum (רָקִיעַ, *expansum*) in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis. Nempe, post quam terræ calor satis decreverat, aquæ super eam descenderunt, quæ antea in statu vaporis tenuissimi erant nimis elevatæ, atque ita partim statum liquidum adeptæ sunt, partim vaporatæ inter se discretæ fuerunt ab aëre atmosphærico; quod quidem aër, ex chemicis reactionibus forte e *nitratis* ortum, omnem terram ambit, et coelum communiter vocatur etiam hoc ipso capite (v. 28, 30). Hac temporis periodo formatæ sunt terræ partes seriei neptunicæ, quæ fossilibus carent, ac primæ periodi dicuntur *(primer período, terreno azóico, cristalofílico* de Omalius), ex impulso scilicet aquarum aliorumque agentium contra superficiem terræ graniticam.

Vers. 9-11. Congregentur aquæ in unum locum, &c. Certum hodie est universam terram aquis maris submersam olim fuisse; atque communiter supponunt geologi ob actionem caloris centralis quasdam partes aut elevatas, aut ruptas fuisse, unde magna moles materiæ fluidæ erupit et juga montium constituit (alzamientos), quarum prima huic terræ epochæ respondentia, juxta E. Beaumont, sunt quæ dicuntur *Systema Finisterræ*, et *Systema de la Vendée*, ante epocham priorum, quæ fossilia ferunt, formata, seu ante eam terræ partem quam dicunt *terrenos primitivos*, atque inferiorem ejus portionem *(grupo silúrico)*. Tunc *dixit Deus:* producat terra *germina plantarum*, דֶּשֶׁא, *olera*, עֵשֶׂב et *arbores*, עֵץ, omnia juxta genus suum. Ubi non pauca adnotanda veniunt. Primo, tres vegetabilium classes satis aperte distingui in transcripto textus hebraici loco, quæ quidem

hodiernis botanicis classificationibus consentiunt *cryptogamarum*, *phanerogamarum unius cotiledonis* et *duorum cotiledonum*. Secundo, eodem ordine recenseri, quo a botanicis recensentur, ab imperfectioribus nempe ad perfectiora; quin tamen ideo scientifice recensita fuisse a Moyse data opera necessario credamus; saltem adnotatu digna res est. Tertio, huic uni temporis periodo omnium plantarum creationem tribui longioris forte durationis; quod tamen non impedit, quominus earum germinibus ac nonnullis phanerogamarum speciebus tunc creatis, pleræque posterioribus periodis aut crearentur, aut maximum incrementum reciperent, ita ut principium *seriei progressivæ* servaretur generatim, sed non stricte; quod in diversis terræ stratibus a geologis observatum est. Quarto, et hic, et in animalium creatione distinguendos esse dies genesiacos a periodis geologorum; multæ enim ex his uno illorum continentur, seu multæ ex periodis geologicis in Genesi omittuntur, prout Moysis scopus atque populi hebraici rudiores notiones postulabant; quod tamen periodorum doctrinam minime inutilem reddit, sed satis est ut ex ea narrationem mosaicam Geogoniæ recentiori congruere demonstretur, atque plura adumbrare, quæ scientia demum invenit, quod absque divina inspiratione aut vix, aut ne vix quidem fieri potuisset, re intime perpensa. Quinto, nonnisi ex Dei actione ortas fuisse plantas asseritur, qua in re geologos omnes saltem perspicuitate et sinceritate Moyses præcellit, qui evolutiones terræ sciunt recensere atque primam *vitæ apparitionem ejusdemque progressum*, sed plures saltem eorum *generationi spontaneæ* eam tribuere videntur, nescio utrum incredulitate, an metu ne parum scientifici dicantur, si plantarum originem Deo tribuant. Ast quæ alia est hujus fænomeni rationabilis explicatio? Idem de animantibus et de homine est intelligendum. Denique Moyses scit omne plantarum genus *semen facere juxta genus suum*, atque hoc semine multiplicari super terram; unde recte deducimus ipsum minime credidisse generationibus plantarum spontaneis, neque rerum aut specierum tansmutationi; quod omni retro ætate ad nostra fere tempora ab hominibus etiam scientia præstantibus creditum est, nunc vero tantum ab incredulis et atheis, scientia vera reclamante sustineri potest.

Vers. 14-19. Dixit Deus: *fiant* luminaria in firmamento coeli, &c. Neque hic sol, luna ac reliqua astra jubentur *creari* (a), sed disponi, præparari aut ordinari; cum jam astra condita fuissent, sed terræ tunc tantum apparere clarius coeperunt, purificata satis atmosphæra ob caloris diminutionem et actionem plantarum, quæ immensam accidi carbonici quantitatem reducere valuerunt, unde etiam explicatur *adamantis* et *graphiti* existentia in antiquissimis terræ stratibus. Quod si de luna speciatim sermo est, non vero de aliis astris in immensum ea grandioribus et præcipuis, hoc scopui Moysis erit tribuendum explicandi ea præcipue, quæ notiora hebræis erant et populo universo; unde etiam astrorum destinationem lucendi super terram commemorat, et temporis computationi inserviendi, quin reliquam eorum destinationem excludat. Nihil proinde exigit ut *ex narratione mosaica* universum systema solare, et infinita propemodum astra *propter parvulum corpus ac vix in immenso spatio inveniendum* condita fuisse dicamus, et habitatoribus destituta vel prædita. Certe astronomis notum est omnia corpora siderea mutuum in se influxum exercere, ac proinde quælibet eorum propter reliqua creata fuisse; quod singularem cujuslibet destinationem præcipuam vel minus principalem non excludit. Solem cum luna et stellis his usibus deservire, qui in Genesi recensentur, notissimum est; igitur etiam ad id condita a Deo sunt: utrum ad aliud præterea, Moyses non scribit, nec tamen negat. Quod si cum nonnullis admittas solem, lunam et stellas nonnisi quarta periodo genesiaca eas conditiones luciditatis adeptas fuisse, quibus nunc gaudent, atque hoc sensu tunc facta dici, minus extranea videbitur narratio; præsertim cum e superficie solis lux descendat, quæ etiam suas revolutiones, seu catastrophes passa est.

Vers. 20-25. His versiculis narratur animalium creatio, primum marinorum, deinde reptilium, postea avium ac demum superiorum, quæ dicuntur mammifera. In ordine recensionis et ætate qua condita fuere similia observanda

(a) Vox ברא ter in hac historia venit: in creatione materiæ universæ, in creatione animalium, forte ob principium vitale, quod in ipsis a viribus mere physicis et chemicis diversum est, atque in hominis creatione propter animam, quæ tantum creatione oriri potuit.

sunt, quæ jam adnotavimus circa vegetabilia. Deinde omissam a Moyse credo animantium inferiorum creationem (a) aut cum generico *piscium* nomine comprehensam. Certe primis stratibus fossiliferis jam nonnulla animalia cum permagna plantarum quantitate inveniuntur, et quidem marina ex imperfectioribus, deinde etiam pisces, reptilia, aves, mammifera. In Genesi narratur quidem avium creatio, omissis reptilibus, versiculo 20; sed v. 21 apertius hæc describuntur ordine servato, qui ex Geologia, Embriogenia, et Anatomia comparata dignoscitur esse naturalis. Deinde v. 24, initio nempe sextæ periodi, condita dicuntur alia reptilia (b), ac demum animantia perfectiora.

Vers. 26-31. Denique in hujus periodi fine creatus homo fuit ad Dei imaginem et similitudinem; atque ex Geologia discimus fossilia humana atque humanorum operum rudera nonnisi in periodo quaternaria inveniri, cum nonnullis animantibus ex perfectioribus, quorum aliqua extincta sunt aquis diluvii probabiliter, alia remanent, sed nulla nova existunt, si fides sit D. Pictet genevensi. Ceterum ab initio periodi quaternariæ (quæ ex dictis identica non est cum sexto die creationis, sed in hac aliquæ ex illis continentur) creatum hominem fuisse recentioribus geologis certum videtur; utrum jure id concludant aliasque deductiones inde trahant, meum judicare non est, et aliqua infra adnotabo. Post hominis creationem requievit Deus, seu nihil amplius creavit ex his quæ visibilem hunc mundum et adspectabilem constituunt.

Ex brevi hac cosmogoniæ mosaicæ cum scientificis hujus temporis opinionibus comparatione, aperte patet, ni fallor, apprime inter se convenire, absque textus mosaici violenta contorsione; ac simul mira narratoris sapientia lectorum oculos percellere debet, si tamen sola sapientia humana hæc, in Ægypto, ætate Moysis, scribi potuerunt, quod, aliis omissis, falsum ostenderent notiones ægyptiorum cosmogonicæ a simplicitate, historico candore, veritate et profunditate cosmogoniæ mosaicæ immensum distantes.

(a) Quæ *phytozoa*, *malacozoa* et *entomozoa* dicuntur a nostro Perez Arcas.

(b) Et ex Geologia discimus plura reptilia ante aves exstitisse, quarum omnes aut pleræque species disparuerunt, ac tantum fossilia inveniuntur, alia vero post plures avium species sunt.

CAPUT XIII.

Objecta nonnulla: adnotationes geologicæ et palæontologicæ ad faciliorem rei intelligentiam.

634. Nec quidquam evincunt adversus periodorum doctrinam allegationes biblicæ, quæ de veris diebus videntur agere, atque cum aliis veris diebus comparare, quod objicit P. Laurent (Ex. XX, 9-10; XXXI, 15-17); cum enim hæ periodi *dies* in Genesi dictæ sint, adhibito vocabulo יום, quod longum temporis spatium sinnificare potest, seu *diem cosmicum*, *diem divinum*; Moyses hoc *accommodare* potuit, quum de septimo hebdomadæ die Domino consecrando ageret; atque exempla similia plura in Bibliis apparent (a). Ceterum jam adnotavimus Genesim juxta actualem Geogoniæ statum *explicari posse* absque textui illata violentia; non opinamur ita præcise *explicari debere*, nisi scientia geogonica suas conclusiones plane demonstret. Cum vero non sit inverosimile hoc aliquando tandem fieri posse, ac forte post paucum tempus; ideo imprudentem dicimus eorum catholicorum sententiam, qui dies genesiacos de longioribus periodis accipi sacrilegum pene existimant. Nec tantum imprudens eorum sententia est, sed plane falsa; nisi Ecclesiam minoris vigilantiæ aut zeli pro integritate et veneratione sacrorum librorum accusare velimus, quæ periodorum interpretationem aperte patitur atque communem fieri videt. Contrariam cl. Drach sententiam ego quidem legi, sed graviora fundamenta non inveni; atque omnibus rite perpensis, pro doctrina periodorum saltem ut cum Genesi cohærente standum esse judico (conf. archæol. 71). In Germania admittunt plures hypothesim *restitutionis* (quæ 1.um v. Gen.

(a) Conf. hermen. num. 728. Conf. etiam super diebus divinis 2 Pet. III, 8, idque cohærenter ad antiquorum populorum notiones; atque Gen. II, 4 universum creationis tempus *uno die* complectitur dicens: «Istæ sunt generationes coeli et terræ quando creata sunt, *in die quo fecit Dominus Deus coelum et terram*;» ubi non dicitur *creavit*, ac proinde de universi ordinatione, non de prima creatione agit.

de alio mundo tunc destructo intelligit, et ex Buckland tenuit Wiseman et Wagner); aut nostram fere, ut Reusch, quæ *harmonistica* dici posset; aut *idealem* (ita Michælis, Schulzsch &c.); aut contra unanimem geologorum sententiam omnia intra sex dies naturales et vulgatam chronologiam concludunt, ut Veith *[Die Anfange des Menschenswelt]* et Bosizio S. J. *[Das Hesaëmeron und die Geologie]*.

635. *Adnotatio.* Ad faciliorem dictorum intelligentiam opportunum visum fuit nonnullas geologicas notiones, et satis receptam stratorum enumerationem et relativam ætatem delineare, licet non omnia constent, imo postrema gravissimas ac forte insuperabiles difficultates patiatur. Itaque distinguuntur diversæ terrestris materiæ portiones (*rocas*, *formaciones*, *terrenos*), quarum 1ª designat mineralia simplicia aut composita, quæ magna quantitate coacervata jacent, quasi terræ elementa (v. g. los granitos, calizas, areniscas, &c.); 2ª (*formacion*) collectionem diversarum portionum primæ classis, quæ uni causæ debentur in qualibet terræ periodo (v. g, formacion plutónica o ígnea, marina, lacustre, de aluvion, de sedimento, &c.); 3ª (*terreno*) comprehendit omnes terræ portiones ex præcedentibus, quæ qualibet periodo geologica originem habuerunt (v. g. terreno jurásico, cretáceo, terciario, quæ etiam *cumuli*, grupos, dici solent, quorum aliquot proprie dictos *terrenos* constituunt). Fossilia dicuntur generatim quælibet indicia plantarum aut animalium in imis terræ stratibus existentia; sive ipsum ens organicum integrum sit, sed mutata natura chemice, mechanice aut alio modo, sive nonnulla fragmenta, ut os, dens, folium, radix, &c. Universa terræ superficies quæ hominum aspectui patet in duas magnas portiones distribuitur, quarum 1ª complectitur eam partem quæ ab igne primævo cristallinam formam accepit, et antequam ulla entia viverent super terram originem habuit, et dicitur *ignea*, *plutonica*, *granitica* &c. Non tamen omnis portio ignea illius ætatis est, sed dantur aliquæ postea formatæ, sive elevatione, sive eruptione volcanica; hæ autem stratus posteriores rumpere valuerunt, aut dislocare, vel super eos collocatæ sunt, et non parum immutaverunt (rocas *traquíticas*, *basálticas* y *lávicas*). Altera terræ magna portio eas partes complectitur, quæ, actione aquarum formatæ, *stratorum* formam plerumque præseferunt, et horizontales sunt, aut inclinatæ propter actionem subterraneam, qua alia terræ portio elevata est aut etiam depressa, quandoque etiam dislocatæ nimium ob violentum cataclysmum. Harum stratorum repectivam ætatem magno labore, et hodiedum parum certitudinis gaudente determinare conantur geologi, vel

ordine situs, vel fossilium natura, vel utroque indicio simul; atque hinc non modica lis inter eos viget, num *Stratigraphiæ* magis an *Palæontologiæ* fidendum sit, quarum 1ª hunc canonem statuit: ille stratus antiquior est qui et inferior, ille recentior qui superior inveniri communiter solet; 2ª vero hunc: ille stratus antiquior est, qui fossilia fert plantarum et animantium quæ magis ab actualibus discrepant, et vice versa. Circa *formationes* igneas, cum nec stratorum formam nec fossilia ferant, statuitur canon, qui coævas dicit eas, quæ eadem compositione chemica gaudent. Eas vero elevatione formatas fuisse vix dubitari potest, cum sæpissime *stratus neptunicos* aut rumpere, aut dislocare valuerint, quod demonstrat hos stratus jam extitisse, cum elevatio locum habuit. Itaque præter *formationem igneam* sive antiquam (granítica, porfídica), sive recentiorem (traquítica, basáltica lávica); sex periodos, totidemque terrarum magnas portiones distinguunt, nempe: 1ª azoica (terreno azóico), qua animalium fossiliæ non inveniuntur (dicitur etiam *hypozóica*); 2ª palæozoica (terrenos primarios) 3ª mesozoica (id. secundarios); 4ª cenozoica (id. terciarios); 5ª quaternaria (id. cuartenarios); 6ª recens (quæ, ex dictis supra, a quaternariis substantialiter non differt). Igitur epochæ palæontologicæ quinque sunt, quæ designari solent nomine eorum animalium quorum fossilia abundantiora sunt seu characteristica: nempe 2æ periodo respondet epocha *trilobitica* (ob quædam animalia *trilobites* dicta), 3æ *megalosauria* (ob reptilia ingentis magnitudinis, et quidem nonnulla volando apta), 4æ palæoterica (ob animal fossile palæoterium), 5.æ elephantina, 6æ historica. Quælibet periodus diversis stratorum cumulis constat (grupos), hi autem diversis ordinibus (pisos), hoc modo vocabulis technicis hispanicis:

Períodos.	Terrenos.	Grupos.	Pisos.
6.° Moderno.....	Moderno.....	Madrepórico.	Idem.
		Turbáceo....	Idem.
		Detrítico.....	Idem.
		Aluvial	Idem.
		Tobáceo.....	Idem.
5.° Cuaternario..	Cuaternario..	Pleistoceno.	Superior.
			Medio.
			Inferior.
4.° Cenozóico...	Terciario....	Subapenino.	(Plioceno).
		Falúnico....	Superior.
			Medio.
			Iuferior.
		Numulítico.	Superior.
			Medio.
			Inferior.
3.° Mesozóico...	Secundario..	Cretáceo....	Superior.
			Inferior.
		Jurásico.....	Oolita superior.
			» media.
			» inferior.
			Lias.
		Triásico.....	Superior.
			Medio.
			Inferior.
2.° Paleozóico..	Primario....	Pérmico	Superior.
			Medio.
			Inferior.
		Carbonífero.	Superior.
			Medio.
			Inferior.
		Devónico....	Superior.
			Medio.
			Inferior.
		Silúrico.....	Superior.
			Medio.
			Inferior.
1.° Azóico.....	Azóico.....		

Notas paleontologicas. Los peces placoideos aparecen ya en el grupo silúrico, pero tienen su principal desarrollo en el carbonífero.

Los primeros reptiles saurios se ven en el devónico con muchos peces ganóideos: su gran desarrollo en el triásico. En este hay vestigios problemáticos de aves zancudas, y en su piso superior de mamíferos insectívoros. Los primeros mamíferos marsupiales en los pisos superiores del grupo jurásico; las aves palmípedas en el cretáceo inferior; los mamíferos roedores en el numulítico inferior con los paquidermos, carniceros, pájaros &c. La flora ha seguido en general igual progresion: la del grupo carbonífero era enorme. En todo caso hay que admitir la accion de Dios para la aparicion de cada especie; y por esto no hay peligros de panteismo ni de materialismo en la hipótesis de los períodos.

CAPUT XIV.

Diluvium universale factum historicum fuit, nec ulli scientiæ repugnat.

636. Quæ contra universale diluvium a Moyse narratum objici solent, ipsis naturalibus et physicis disciplinis aut explicationem recipiunt, aut exstitisse probantur, aut saltem minime impossibilia, licet scientifice ignota, decernuntur. Sic, *ipsa diluvii existentia olim negata, nunc a geologis omnibus admittitur, qui in periodo quaternaria formationem diluvialem agnoscunt* (a). Scientifice quidem non conveniunt in hujus diluvii adjunctis; sed hæc nil nostra referunt, imo probabile est numquam chronologice et scientifice explicanda fore, ob multiplicitatem causarum super terræ superficiem agentium, earum vim nullo calculo subjiciendam, vix aliquantulum notas leges, quibus stratorum formatio subjicitur, demum ob cataclysmos, qui omnem humanam prævisionem superant. Interea ex recentiori Geologia argumentum ineluctabile habemus pro reali facti existentia, ac simul pro veritate traditionum omnium fere populorum (conf. Cantú, t. 1 et 8° edit. cit.), unde critici et

(a) Non quod *diluvium* geologicum a diluvio mosaico undequaque procedat, sed tantum pars, quæ juxta quosdam distinguitur per rupes avulsas (cantos rodados), juxta alios præcipue per maximas terrarum erosiones ubique fere patentes, per cavernas ossibus plenas, &c.: qui vero negant universalem ac simultaneam inundationem pauci sunt, nec rem impossibilem demonstrant.

historici discant iis traditionibus aliisque similibus debitum obsequium præstare. Nihil igitur adlaborandum nobis est in refellenda objectione quæ olim petebatur ex insufficientia aquarum totius terræ ad eam operiendam: certe sufficientes esse debuerunt aquæ ad universalem inundationem, quæ re ipsa facta est. Nec cogitare debemus ita aquas diluvii universum orbem operuisse, ut *simul* omnes altissimos montes quindecim cubitis superarent; sed illos ita superarunt *euntes et redeuntes*, cum scilicet maximo impetu supra superficiem terræ vagantes, suos fluctus super montes altissimos mittebant (si tamen *quindecim cubiti* non vaga adnotatio sunt, ad ostendendum arcam 15 cubitis altam nullibi impegisse). Nec pariter nostrum est inquirere in causam naturalem diluvii, sed illam divinare geologis relinquimus, cum Genesis illud Dei voluntati tribuat, qui hac poena mulctare homines voluit, ut alia qualibet uti potuisset; nihil tamen obstat quominus ad hunc scopum causis naturalibus usus fuerit, velut elevatione montium, quos *Andes* vocant, quæ est hypothesis E. Beaumont communiter recepta; sive alteratione axis rotationis terræ, quæ melius fænomenon explicat, sed ideo a geologis rejicitur, quia immediatam Dei actionem supponit! Quasi nempe novæ plantæ novaque animantia in unaquaque periodo geologica nata, aliter quam immediata Dei actione formari potuissent! Nec nisi irrissionis gratia quisquam sibi fingere posset stupendam hanc inundationem sola pluvia quadraginta dierum, maxima licet, accidisse: contrarium Moyses narrat, dum asserit *ruptos esse omnes fontes abyssi magnæ* (ita in Bibliis appellatur *mare*, ergo sermo est de inundatione marina), *et apertas cataractas coeli*. Et sane, si unius brevioris insulæ apparitio tantas valet tempestates producere, ut notum est jam lippis atque tonsoribus; quid non fecisset elevatio maximæ partis Americæ e. g. de sinu marium, aut melius abrupta axis rotationis terræ mutatio? Quilibet similis cataclysmus universam aquam maris super terras projicere valuit, atque ita atmosphæram immutare, ut per dies quadraginta *apertæ* viderentur *cataractæ coeli*, ut cum Genesi loquamur. Ceterum in toto hoc historico facto difficile est determinare quæ causis naturalibus accidere valuerunt, ac ea quæ immediatæ Dei voluntati super naturam physicam agenti tribuenda sunt. Itaque ea quæ

primam explicationem non patiuntur, Deus supernaturali modo fecit, cum miracula aliquando vere patrentur. Sic non facile est decernere quomodo omnia diluvii adjuncta evenerunt, v. g. quomodo arca Noe incolumis evasit, quomodo tot animalium species ipse Noe colligere, alere ac servare valuit, quomodo immensam illam molem ipse construxit, quomodo aërem ad respirationem inclusi in arca habebant, qnomodo animalia postea in proprias regiones distributa sunt, etiam tractu marino longiori dissitas &c. Responsio in promptu est: narratio concisa Moysis plura ex his omittit, ideoque nescimus quomodo acciderunt; alia haberi debent vera miracula; alia satis commode explicantur. Sic, Noe *cum filiis suis*, ac forte cum servis, per centum annos in arcæ constructione laborare potuit; animalia a Dei providentia perducta sunt, ut ea Noe in arcam introduceret; quæ cum grandissima molis esset, ac tribus contignationibus distributa, et musæum historiæ naturalis parisiense vel matritense longe superans, eorum omnium animantium capax fuit, quæ aliter salvari non poterant. In toto enim regno animali minima pars est, quæ tali refugio indigeret ad futuram sui propagationem; cum ex quatuor magnis classibus, quas dicunt Phytozoa, Malacozoa, Entomozoa ac Osteozoa, tres primæ salvari potuerint in aquis, vel in statu ovorum aut larvarum; ex quarta vero etiam plurima genera, ut pisces magnique cetacei, reptiles etiam statu letargico vel in ovis; denique plures forte aves et mammifera diversis modis salvari potuerunt in diversis terræ partibus, cum phrases *universa terra*, *omnis caro*, *omnes regiones sub coelo*, hyperbolicæ esse possint, ut in aliis Scripturæ locis. Quod si sententia hæc cuipiam probabilis videatur, dum ab Ecclesia non repudietur; nil impedit quominus animalia in arca inclusa intelligantur præcipue domestica, et omnia fere regionis tunc habitatæ aliter minime servanda (conf. infra). Sed hoc minime indigemus, attenta arcæ mole, animantibus exceptis, atque non negligenda observatione plures forte species animantium diversas videri quam re ipsa sint, sed simplices varietates ac cipi possunt pro diversis speciebus, ut in canibus vulgo apparet.—Si Noe omnium intra arcam viventium alimentis, respirationi, &c., non consuluit, quod difficile est cogitare, nec ullam impossibilitatem involvit; id Deus sua providentia sup-

plevit, proutarcam incolumen a furore undarum et a scopulis servavit, donec eam in montibus Ararat (a) detinuit. Tunc quælibet animantium species eam regionem petivit, quæ suæ naturæ congruebat in universa terra. America vero probabili admodum sententia conjuncta erat antiquo mundo, ut occeanicæ insulæ, quo etiam natatione aliisque mediis animalia pervenerunt (b).

CAPUT XV.

Num tentatio Evæ, theophaniæ, gigantum historia, &c. mythica sint.

637. Nec solum cosmogonia mosaica ac diluvii narratio impugnantur propter difficultates scientificas, quas offerunt, ac præsertim propter Dei interventum, ideoque mythice explicari consueverunt a rationalistis; sed alia etiam loca priorum capitum ut vere mythica habentur, præsertim

(a) Non in Armenia, sed in *Airyaratha*, indis *Merú*, persis *Albordj*, nempe in elevatione *Pamir* regionis hodie dictæ *Pequeña Bukaria;* hinc *ab oriente* venerunt (Gen. XI, 2) et invenerunt terram Senaar, quod ex Armenia fieri non potuit.

(b) Ceterum si hæc omnia minime quadrarent, putant nonnulli, etiam inter catholicos, nil obstare aut ex narratione mosaica, aut ex Ecclesiæ fide, quin diluvium eo tantum sensu universale dicamus, quatenus omnem orbem tunc inhabitatum ab hominibus ita inundavit, ut homines omnes extra arcam positos suffocaret, et consequenter maximam animalium partem, quin tamen ista omnia prorsus perirent. Narratio enim mosaica hanc restrictionem patitur ut similia loca demonstrant (v. g. Joel I, 2; Ps. XLIII, 4; Is. XIII, 5, 11; XXIV; XXVII, 6; Ps. LXXI, 8; Ruth I, 1 et in N. T. passim); ut ergo eam admittamus satis est probabilis ratio, veluti si non esset aqua sufficiens ad cooperiendam simul omnem terram altissimosque montes, vel quia aliter explicari non posset animantium existentia in remotis et maritimo tractu dissitis regionibus; præsertim cum ad scopum Dei homines corruptos puniendi, ad illud poenæ genus eligendum, quod posterioribus sæculis non esset e memoria delendum, ad peculiarem suam benevolentiam erga justos ostendendam, simulque typum futuræ Ecclesiæ in arca exhibendum, satis esset diluvium quod terram omnem ab hominibus habitatam complecteretur, qualis præcipue Asia fuit, atque etiam Europa et America, ob fossilia humana non

tentatio Evæ a serpente, gigantum origo et existentia, longævitas Patriarcharum, &c. Ast primo observandum est necessarium fuisse ut, quando Deus hominem condidit, ipsum edoceret, atque quadam familiaritate cum ipso ageret; quod simplici omnino stilo et aperto narrat Moyses, dum verba Dei recitat «*faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*», quæ ad animæ naturam et qualitates referuntur, nisi secum absurde pugnantem Moysem dicas, qui Hebræos non semel edocet de Dei natura spirituali corporis experte, quamvis figurate hoc illi tribuat, (conf. Deut. IV, 15) (a). Evæ tentatio e diabolo prodiit qui per realem serpentem locutus est; quod ipsa simplex narratio evincit, alia Scripturæ loca, ac doctrina traditionalis omnium fere populorum, præsertim asianorum, qui serpentem ut mali principii symbolum habuerunt, imo coluerunt, fatente ipso Bohlen, cujus rei plurima documenta sunt. Nonnullæ difficultates, quæ e doctrina theologorum oriuntur, ab ipsis et ab interpretibus solvuntur passim satis probabili explicatione.

638. Gigantum origo e commercio Angelorum cum mulieribus fabula est, nec sufficientem fundamentum in

ita pridem reperta. Imo Gen. IX, 9-10 videtur mentio fieri de aliis *bestiis terræ* in arca minime servatis, siquidem sermo est de jumentis et pecudibus *quæ egressa sunt de arca*, ET *universis bestiis terræ*; quæ verba accuratius forte verti possent: «*ab* omnibus quæ egressa sunt de arca, *ad* universas bestias terræ.» Ecclesia denique hanc diluvii explicationem numquam reprobavit, quæ nunc a plerisque geologis tenetur (qui universalem submersionem terræ *simultaneam* rejiciunt), et a plurimis theologis ex protestantibus: eam ut probabilem admittit etiam Glaire (Les Livres saints vengés t. 1, p. 271...), ac tenet Veith, expositionis literalis propugnator; eam tamen theologorum judicio relinquo: unum tamen observo, cum legibus æquilibrii fluidorum optime constare posse, ut omnes terræ partes habitatæ aquis submergerentur, non vero reliquæ, quæ scilicet illo cataclysmo non corruerunt (teoría de los hundimientos).

(a) Difficultas, quam repetit Renand in impiissimo libro *Nouvelle Symbolique*, ex phrasi: *Ecce Adam quasi* UNUS EX NOBIS *factus est*; ex intima potestate vocis אֱלֹהִים solvitur, qua tres divinæ Personæ adumbrantur; et absurde tantum asserit adversarius Jehovah apud Moysem fuisse complexum omnium deorum, nempe pantheismum hic doceri (conf. Lexicon Gesenii a Drach retractatum).

Genesi habet (VI, 1-4); nam *filii Dei* sunt homines e Seth oriundi, *filiæ hominum* feminæ e progenie Caini. Deinde isti *nephilim* (irruentes) nusquam dicuntur homines procerrimæ staturæ (quamvis altiores et robustiores solito essent) sed *potentes*, *famosi*, nempe ob audaciam nimiam et facinora magnum cæteris terrorem inducentes; unde postea etiam homines alterius naturæ a populis haberi coeperunt, e terra orti, quum omnis fere populus sese e diis natum crederet, hostesque suos ex alio inferiori fonte, quos etiam nimius terror procerrimæ staturæ credidit, unde orta gigantum fabula est. Hujus rei exemplum in ipso populo hebraico videmus Num. XIII, 34, ubi robusti quidem nonnulli habitatores Chanaan de genere giganteo a timidis exploratoribus dicuntur, seque cum illis comparatos locustas appellant, dum e contra Josue et Caleb asserunt se posse cananæos ut panem devorare. Ceterum nonnullos homines extitisse enormis altitudinis negari nequit, sed hæc monstra fuerunt omni tempore, ut etiam pusillæ nimis staturæ; nam ordinaria hominum altitudo inter quatuor septemque pedes omni tempore fuisse videtur (a). Denique ætas longissima Patriarcharum nullo modo impossibilis probatur, pluribus de causis esse potuit, quas conjicere quidem, non vero certo decernere valemus, in omnium denique, aut saltem plerorumque populorum traditionibus constantissime admittitur, ut de indis, ægyptiis, sinensibus, persis, chaldæis &c., notissimum est.

CAPUT XVI.

Utrum hominum ex unico matrimonio origo e progressu scientiarum quidquam detrimenti capiat.

639. Aliud argumentum in re magna quidem historiæ mosaicæ opponitur ex omnium hominum fraternitate, quam

(a) Ipse etiam versiculus 4 satis obscurus est, quem ita vertit mss. 3us escurialensis: «e los gigantes eran en la tierra en aquellos dias. *E otrosi* (ita pro particula *enim* vulg.) despues de esto ovieron que ver los fijos de Dios con las fijas de los omes e parian dellos: estos eran los barraganes que eran de siempre omes de nombradia.

ipsa docet; sed philosophia, humanitas, sensusque religiosus ob id summe illam laudare debent, quamvis nonnullæ difficultates e scientiis naturalibus opponantur desiderio errorem in Bibliis inveniendi, potius quam utilitate scientifica. Ast nunc temporis res demonstrata est universos homines unicam speciem constituere, nullumque argumentum evincere ab uno eodemque primo homine ortos non fuisse. Id evincit Physiologia et Anatomia comparata, quæ essentialem organicam diversitatem inveniunt inter speciem humanam ac quælibet animalium genera; ac simul nullam inter homines specificam diversitatem, sed meras accidentales varietates, quæ climate, vivendi genere, gradu illustrationis, alimentis, aliisque causis paulatim ortæ hæreditariam perennitatem assecutæ sunt, ut non solum in hominibus, sed etiam in animantibus ejusdem certo speciei, ut equis, canibus, &c. fieri videmus. Deinde e matrimoniis inter homines europæos e. g. aut generis persici et feminas longissime diversas, ut africanas vel malayas, aut e contra, filii nascuntur in perpetuum fecundi, quæ est nota characteristica ejusdem speciei; licet enim individua specierum affinium multiplicari inter se possint, id tantum intra paucas generationes locum habet. Facultates intellectuales et morales identicæ in omnibus sunt, identice veritatem aut falsitatem percipere valent, eamdem *perfectibilitatem* omnigenam sibi vindicant, loqui discunt, quæ specialissima et characteristica hominum nota est, qua nullus caret, nisi accidentali defectu impeditus. Omnes item antiquæ historiæ identitatem originis omnibus hominibus agnoscunt, quamvis populus quilibet, se a primogenitis ortum atque in propria regione satis communiter primos homines creatos a Deo crederet: nempe, inveniuntur in antiquissimis historiis et traditionibus indicia multa hujus dogmatis, non parum adulterati fabulis, propriis historiis, &c. Quod si deesset, doceret ipsa linguarum affinitas omnino mirabilis, non solum inter *ejusdem familiæ* idiomata, ut quam *indo-europæam* vocant, aut *semiticam*, sed et inter linguas populorum et tribuum, quorum antiquæ relationes prorsus oblitæ sunt; quæ quidem affinitas talis est, sive in vocabulis, sive in formis grammaticis inveniatur, ut nullo modo casu orta dici valeat. His si addas *concordantias traditionum, idearum, notionum multarum, præsertim astronomicarum et*

artis ædificandi, aliaque multa late apud Wiseman, Cantú, ac præcipue apud *Annales Philosophiæ Christianæ* evoluta, plenam demonstrationem conficies homines universos non solum ejusdem speciei esse, sed ab iisdem parentibus ortos fuisse unamque familiam olim constituisse.

Juvat hic transcribere nonnulla celeberrimi Humboldt dicta huc collimantia, qui tamen statum omnium scientiarum naturæ nostro tempore optime callebat, nec divinæ revelationi credebat: (Vues des Cordilieres...) «mirum est circa finem sæculi 15 inveniri in mundo, quem *novum* dicimus, institutiones antiquas, ideas religiosas et formam ædificiorum, quæ in Asia ad originem civilizationis assurgere videntur... *Communicatio utriusque mundi res demonstrata absque dubio est, per cosmogonias, monumenta hieroglyphica et institutiones populorum Asiæ et Americæ*». «Estoy plenamente convencido, inquit Guillelmus, frater præcedentis (*Des formes grammaticales* &c.) de que no puede desconocerse esa fuerza verdaderamente divina, que revelan las facultades humanas, ese *genio creador de las naciones, sobre todo en el estado primitivo*... en que el hombre puede presentir combinaciones á que no habria arribado por la marcha lenta y progresiva de la experiencia. Este genio creador puede franquear los límites que parecen prescritos á los mortales... Antes que renunciar en el origen de las lenguas á la influencia de esta causa poderosa y primera, y de señalarles á todas una marcha uniforme y mecánica, que las arrastraria paso á paso desde los comienzos mas groseros hasta su perfeccion; yo abrazaria la opinion de los que refieren el origen de las lenguas á una revelacion inmediata de la divinidad. Estos al menos reconocen la ráfaga divina que luce á través de todos los idiomas, aun los más imperfectos y menos cultivados.» Et tamen postquam *factum* agnoscit, illud tribuit nescio cui facultati hominis primitivi, silvatici, minime educati, gratuito illi concedens vim creaticem, qua populi exculissimi carent .., ne linguarum revelationem divinam admittat. Tales sunt isti philologi maximo labore mirabilem linguarum structuram invenientes, earumque fraternitatem, et unicam rationabilem causam minime agnoscentes: existentiam *unius labii et sermonum eorumdem* (Gen. XI, 1) a Deo procedentium, ut id tribuant *facultati creatrici, vi intuitionis, spontaneitati primævæ*, quæ sunt verba et verba præterea nihil, et nihil omnino explicant. Hæc etiam ad rem nostram notatu digna sunt A. Humboldt confessiones, ex quibus tum hominum fraternitas, tum status hypotheticus adhuc earum scientiarum constat, e quibus argumenta depromuntur adversus Pentateuchum, tamquam *veritates scientifice* demonstratas. Ea desumpsimus e celeberrimo ope-

re, et præclaro quidem, cui titulus *Cosmos* (ed. Paris 1866). ¿Quién se atreverá á afirmar en fin, que se haya descubierto tan siquiera el número total de las fuerzas que existen en el universo? (pág. 36). El fin principal de nuestras investigaciones es la determinacion numérica de los *valores medios* (p. 82) *de ningun modo de las esencias* (p. 89). Los cálculos sobre distancias de las estrellas y elementos de sus órbitas y revoluciones, conservarán mucho tiempo un carácter *hipotético* (p. 94)... Attamen calculum Herschelli admittit, qui supra vigesies centena annorum millia concedit luci stellarum *nebulosarum*, ut ad terram perveniret, quod etiam hypotheticum valde est. Las mayores escavaciones en la superficie de la tierra no pasan de $\frac{1}{9800}$ de su radio; el interior solo por conjetura puede determinarse (p. 180). El carbon de piedra procede de la masa de vegetales acumulados en ciertos parages *por las corrientes*, y convertidos luego en carbon de piedra por la via húmeda (324). ¿Quid ergo erit de calculis quibus decernunt quot seculis luci creverunt et destructi sunt, ut iterum crescerent, donec enormem massam carboniferam eformarent *in ipso nativitatis solo*, prout communiter geologi jactitant? Las cuestiones de orígen son inaccesibles (utique scientiis physicis). Por las lenguas, *producto espontáneo de la inteligencia humana*, se reconoce la unidad primitiva de la especie humana, sus emigraciones &c. (428). La humanidad aparece como un vasto tronco fraternal, como un todo constituido para alcanzar un solo e idéntico fin, *que es el libre desarrollo de su fuerza interior*. Hoy ya nadie cree en la raza celto-americana, que algunos admitieron harto ligeramente. Las dos razas que pueblan la Polinesia fueron pasando de isla en isla desde Africa y Asia, pudiéndose determinar *ciertamente* que las primeras á que arribaron los malayos fueron las de Samora. Los dialectos de todos son una misma lengua (Guill. Humboldt). M. Biot prueba que las fórmulas astronómicas del Surya Siddhanta (quo libro indico adversus chronologiam biblicam multi abusi sunt) reposan no sobre observaciones hechas por los indios; sino en las de los griegos antes de Ptolomeo, y sobre las de los chinos, las cuales han combinado los indios y producido así sus fórmulas con elementos estraños, por medio una habilidad de cálculo de primer órden. Esta cuestion que ha ocupado tantos grandes sabios, parece resuelta definitivamente Ita rationalisticus *J. Mohl*, apud *Annales de Phyl. Chr. 1859.*

CAPUT XVII.

Solvuntur plura objecta adversus fraternitatem omnium hominum.

640. Nec quidquam evincunt adversus communem originem omnium hominum: a) affinitas anatomica cum nonnullis *quadrumanorum* speciebus; b) opiniones populorum circa autochthones; c) nimia diversitas intellectualis et organica hominum nigritarum, occeanicorum, americanorum, et europæorum, præcipue circa cranium et angulum facialem, ut dicunt; d) status silvaticus quarumdam tribuum, præsertim africanarum et occeanicarum; f) difficultas concipiendi quando et quomodo homines ab Adamo et Noemo antiquum mundum incolentes, in regiones transmarinas pervenerint ante omnem hominum memoriam, quando ars navigandi nondum exorta erat.

641. Etenim a) humana species innumeris notis a speciebus omnibus quadrumanorum, etiam anatomice distinguitur, præsertim statione bipeda, cum quadrumani difficulter ea uti possint, sed ad vivendum in ramis arborum mire dispositi sint; item manibus caret in extremitatibus posterioribus, quibus ad eumdem finem quadrumani utuntur; denique hi minori encephalo gaudent et angulo faciali, qui numquam excedit 65^{m} gradum etiam in Orangutan juvene (nam in adulto inter 30 et 35 variat), dum in hominibus a 65^{o} ad 80^{m} attingit. Sed intelligentia, qua homo assurgit ad ideas generales et abstractas, ad ordinem moralem et religiosum, ad libertatem et imputabilitatem suorum actuum, ad loquelam, infinitamque fere perfectibilitatem, in immensum distinguit humanam speciem ab omnibus, etiam sibi simillimis, a simia troglodyte (Chimpancé), gorila (Gorila) ac satyro (Orangutan.)

642. b) Opiniones populorum circa autochthones procedunt ex oblivione antiquissimarum migrationum parentum eorum; unde etiam sibi accommodare solebant historica facta, quæ illius populi aut tribus, ex qua procedebant, propria erant; quod mira eruditione et ingenio de populo si-

nensi defendit Paravey (conf. Annal. Phyl. Chr.), nescio an jure vel immerito. Ceterum historia, linguistica, ipsaque anatomia hanc populorum vanitatem jam pridem in nihilum redegerunt. c) Diversitas intellectualis inter universas hominum stirpes in potentia seu facultate ac legibus intelligentiæ minime residet, sed tota est in gradu illustrationis, ob diversam educationem, majorem minoremve degradationem, genus vitæ, aliaque adjuncta; at in universo mundo ad easdem ideas, eosdem sensus, eamdemque fere capacitatem homines assurgere valent, statim ac recte instituuntur. Diversitas vero organica per imperceptibiles gradus variat ac nullibi linea divisionis specificæ invenitur, longe major est in animantibus ejusdem speciei, ut inter equos ac præsertim canes (comp. e. g. varietates quas dicimus *perros de aguas*, *perdigueros* &c., cum iis quos *lebreles* appellamus, tam in forma physica et angulo faciali, quam in gradu intelligentiæ). Harum varietatum possibilitas satis explicatur similibus factis tam in hominibus, quam in animantibus observatis, quæ satis sunt ad objectionem arcendam. Quod si diversæ hominum stirpes (razas) proprios characteres servant, etiam in regiones valde diversas translatæ; neque hoc absolute verum est post plures generationes, præsertim si cum regione mutetur etiam genus vitæ, status socialis, illustrationis gradus &c.; deinde eamdem varietatum permanentiam in equis, canibus &c. observamus quotidie. Unde nil novi protulit auctor libri *Types of Mankind* dum hæc objecit, hasque varietates explicat per spontaneam originem qualibet regione, sicut eorumdem animalium diversæ stirpes (razas) productæ sunt; ubi absurde supponit animalia *sponte nata fuisse* in omni regione ad ea sustinenda opportuna. Ceterum animalia cujuslibet regionis propria et originaria diversi generis aut saltem speciei plerumque sunt, ibique a Deo primum creata, vel illuc perventa vel adsportata, ut indicavimus supra, ac demum varietates eas assecuta, quæ hæreditariæ fiunt et *razas* constituunt. Diversitatem denique in massa encephalica inter nigritam et europæum nullam fere existere probavit Tiedemann, cavitate craniorum, quæ diversissima invenire potuit, arena repleta; quo factum est, ut idem fere pondus omnibus inesse demonstraret, ratione habita ad individuorum ætatem et totius corporis molem. Cum ergo encepha-

lum instrumentum præcipuum animæ sit, æquum est decernere ipsi potius, quam figuræ cranii anguloque faciali esse concedendum in diversorum animalium hominumve potentiis dijudicandis.

643. d) Ex sæpe jam adumbratis constat statum silvaticum et penitus agrestem nonnullarum tribuum minime evincere talem fuisse primam hominum conditionem; nec absque injuria Deo tribui posset hominum creatio et in tali statu derelictio. Has vero gentes ibi sponte natas esse adversus scientias omnes sensumque communem assereres, cum omne ens organicum summam sapientiam supponat in causa prima organizationis, recteque dictum fuerit a Coxte, in suo Embriogeniæ cursu, scientiam definiri posse: *historiam quæ Deum ostendit*. Et observatione dignum est agrestes has tribus numquam ex hoc statu ad quamdam civilizationem per se ipsas pervenisse, nisi ab aliis hominibus institutas; quod ostendit 1.° falso tribui ipsi naturæ humanæ, sive primigeniæ sive posteriori, hanc, quam vidimus ab utroque Humboldt et a rationalistis communiter concedi, *vim creatricem*, *ingenium maximum*, *intuitionem profundiorem*, cujus nulla omnino vestigia in iis miseris hominibus videmus, qui tamen spectaculum magnificum coram oculos habent coeli, solis, astrorum, maris, arborum, avium &c.; 2.° falso asseri talem fuisse fere statum hominum primævum, a quo, si quidquam analogia valeat ac sana logica, numquam assurgere valuisse concludendum esset; 3.° ad talem igitur degradationis statum post plura tempora pervenisse, propter magnam corruptionem, nullum cum aliis hominibus commercium, necessitatem omnes suas facultates et vires impendendi ad quærenda alimenta, oblivionem veteris doctrinæ defectumque institutionis, donec ad conditionem pure animalem pervenerunt, a qua nonnisi ingenti labore et magna charitate quidquam elevari possunt a missionariis, a quibus nonnulla rudimenta rerum spiritualium et moralium accipiunt, quibus omnino carebant.

644. f) Denique alia res est tempus et modum designare, quibus ex antiquo continente in Americam et occeanicas insulas homines pervenerint, alia vero decernere re vera id accidisse. Primam certo nescimus; alteram abunde demonstrant argumenta subindicata. Ceterum gratis asseritur ar-

tem navigandi antiquissimis temporibus fuisse ignoratam; quin imo, tot argumenta sunt primævæ hominum sapientiæ, ut verosimillimum sit etiam navigationis artem valde excultam fuisse, quod ex ipsa noachica constructione arcæ et effectu inde orto jam constaret, et de antiquissimis phoeniciis eorumque coloniis notissimum est, saltem quintodecimo ante Christum sæculo. Denique ex pluribus cataclysmis quos tellus passa est, forte tractu maritimo disgregatæ sunt regiones antea conjunctæ, quod omnem difficultatem, si qua remanet, solveret. Nigil igitur quod solidum sit vereque scientificum opponi potest saluberrimæ doctrinæ mosaicæ, de unitate omnium hominum originaria, qua fit ut vere etiam hoc sensu Christus Dominus dixerit: *vos autem omnes fratres estis.*

CAPUT XVIII.

Defenditur tabula populorum genealogica (Gen. X) et illustratur.

645. Adversus tabulam populorum genealogicam, quæ cap. X Geneseos invenitur, plura etiam objecta sunt, quibus multi concludebant mythice ibi exponi populorum, quos auctor noscebat, originem, ad eum fere modum quo apud antiquos hispanos historicos sermo fit de rege Hespero, Ibero, Tago, &c., ut aliquam sibi rationem redderent nominis Hesperiæ, Iberi, Tagi &c., Hispaniæ ejusque fluminibus et populis impositi; quod confirmabant terminatione plurali prædicto loco sæpe occurrenti. Ast irrito conatu; neque enim ex historia, philologia aut ethnographia quidquam adesse contrarium huic tabulæ evinci potest, neque textus ordo et natura interpretationem mythicam patiuntur. Nonnulla quidem nomina occurrunt plurali desinentia, alia vero singulari, et talibus adjunctis, ut de singularibus personis agi notissimum sit (conf. v. 8-12); denique cum sermo est de tribubus aut populis, nomina patronimica veniunt (ut v. 16-18), unde aperte patet hic agi de vera populorum genealogia, præsertim eorum qui hebræis notiores erant; loco scilicet opportunissimo, antequam eorum dispersio narrari inciperet, quæ paulatim facta est, sed se-

mel narratur, etiam adhibita prolepsi. Observandum est etiam 1°, sæpe contigisse unius capitis varios descendentes in diversas terræ plagas pervenisse, ac similia nomina, v. g. parentum, locis aut civitatibus imposuisse; 2°, plura ex his nominibus apud profanos historicos corruptissime legi, præsertim græcos, a *barbara* pronuntiatione summopere abhorrentes; 3° non esse absolute verum diversas linguarum familias a tribus Noe filiis ita adhibitas fuisse, ut omnes et soli Semi posteri linguas semiticas adhiberent, et ita porro; sed ex aliis causis id factum est, ut celeriori aut multum posteriori separatione, diuturniori cum tribubus alterius familiæ habitatione, &c. Hinc explicatur cur Chami posteri saltem multi linguis, quas semiticas dicimus, uterentur, ut chananæi, chaldæi Nemrodi posteri, &c. His positis, tabulam genealogicam explicamus cum Danko, lectores ad ipsum remittentes et auctores ab eo laudâtos (H. R. D. V. T. pag. 33-41), necnon ad probatos recentiores historicos, et *Annal. Phyl. Chr. a. 1867.*

646. «Japheto pars Asiæ non contemnenda et Europa obtigit, magnarum mundi partium minima, sed cultissima et longe populosissima, multisque abhinc sæculis humanitatis sedes et politioris literaturæ, græcorumque altrix et romanorum, qui usque ad Africæ et Asiæ penitissima imperii sui limites longe lateque promoverunt (ut Noe prædixerat Gen. IX, 27: *Dilatet Deus Japheth, et habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan servus ejus).* Japhethi septem filios recenset Moyses totidemque nepotes. De septem filiis duo solum in nostram Europam migrarunt nempe (v. 8) Thyras et Javan, quorum ille Thraciam et Mysiam obtinuit atque Europæ fere quidquid est septemtrioni obversum, hic illas Europæ partes, quæ ad meridiem vergunt et mediterraneo mari imminent, Græciam puta et Italiam. A quatuor filiis Javani: Elissa, Tharsis, Chetim et Dodanim totidem provinciæ sunt denominatæ. Ab Elissa Peloponnesus. Chetim (a) qui dicuntur, Eusebio latini et romani sunt (b). Dodanim, Dardanes seu Troes. Thar-

(a) Nomen patronimicum populi credo, ut Dodanim, unde in hebr. deest illi particula י, *et*, quæ ex more erat apponenda.

(b) Aut forte melius *cyprii*, cum Gesenio, Josepho, S. Hieronymo, aliis denique *macedones*, quorum regio dicta olim erat Μακεττία.

sis, Tartessus, Hispaniæ nobilissimus olim portus et insula in Bætis ostio (a). Ex Europa in Asiam trajicientibus primo se offert Gomer, cum tribus filiis Ascenes, Riphat et Thogorma. Gomerum passim *cimmeriorum* (cimbros) faciunt progenitorem, antiqui asiatici populi ad littus septentrionale maris nigri, ex quo celtæ, Galliæ primi incolæ egressi sunt. Ascenez, Ascania sive Phrygia. Riphat, celtarum (b). Thogorma, ultimus Gomeri filius condidit coloniam prope Gomer ad aquilonem Judææ (Eze. XXXVII, 6) equorum et mulorum præstantia nobilem, quos ad Tyriorum nundinas thogormæi deducebant (Eze. XXVII, 14). Thubal et Mosoch semper in S. S. juncti inveniuntur, ut cognati populi, v. g. Eze. XXVII, 13; XXXVIII, 2. Moschi sunt et Tibareni, qui occupaverunt quidquid est montium a Phasi usque ad pontum cappadocium. Magog S. Hieronymus conditorem scytarum habet, Ambrosius gothorum. Fortasse nomen collectivum populorum Caucasi est. Ut Babylonis, Ægypti et Sodomorum nomen, etiam illud Magogi mystice ponitur in Apocalypsi XX, 7 pro hostibus civitatis Dei. Madai medos esse res explorata est et apud omnes in confesso.»

647. «Chamo præter Ægyptum et Africam universam, Syriæ magna pars obtigit atque Arabiæ. Accesserunt: Babylonia, Susiana, Assyria, quas Semi filiis eripuit Nimrodus Chami nepos (c). Chamo fuerant quatuor filii: Chus, Mesraim,

(a) Græci, et ex illis omnes fere posteriores scriptores, hanc coloniam phoeniciis tribuunt contra evidentia Scripturæ testimonia, quæ eam *Tharsis* appellant: conf. Is. XXIII, 1, 6, 10; hebr. LXVI, 19; Jon. I, 3; IV, 2; Eze. XXXVIII, 13, &c. Illa tamen potiti sunt phoenices, ac primos habitatores subjugarunt aut deleverunt; unde hæc explicantur: 1.° communis historicorum error, nam græci eam non agnoverunt nisi longe postquam in potestate phoenicum erat; 2.° plura phoeniciæ dominationis residua; 3.° character historicus nostræ tabulæ et antiquissima ætas, tempore enim Isaiæ jam nomen priorum incolarum cum coævis dominatoribus confundebatur. Hæc omnia adnotavi, admissa suppositione minime a chamitis imponi potuisse suæ coloniæ nomen celebre stirpis japhethicæ.

(b) Proprius pater, siquidem montes *riphæi* regionem celtarum terminabant, illiusque partem constituebant, v. Annal. Phyl. Christ. l. c.

(c) Ita tamen ut vero simile sit plures semitas ibi mansisse ac conjunctim deinde habitasse.

Phut et Chanaam, a quibus descendebant totidem populi, in ejusdem numeri terris sedes figentes. Chus tum Abessiniam seu Æthiopiam africanam, tum Arabiam australem complectitur in Asia. Huic sententiæ bene respondent quæ sequentur commata, in quibus sex filii Chusi, Saba, Hevila, Sabatha, Regma, Sabathaca (v. 7) et Nimrodus (v. 8), atque duo ex Regma nepotes: Saba et Dadan, a Moyse recensentur. Saba (coll. Num. XII, 1) pars Æthiopiæ septemtrionalis, priscis Meroë, Hevila, Chaulatæi, Αὐαλῖται, Arabiæ populus. (Gen. XXV, 18; 1 Reg. XV, 7). Arabia tota tam felix quam deserta cessit posteris Chusi. Sabatha, a quo Sabotha, urbs opulentissima Atramitarum in Arabia felice sita nomen traxit. Regma, civitatem Regama persici sinus, quæ incolis erat nigerrimis et magnam mercaturam exercuit, habent. Sabathaca, urbs Zingi. Sabam S. Hieronymus Arabiam esse tradit. Dadan regio, in qua et opidum ejusdem nominis ad sinum persicum, unde in Indiam commodum fuit navigari. Fusior fit Moyses in digerenda genealogia Chusi, quia Nimrod ejus filius, Chami nepos, vir audax et strenuus—quem magnum venatorem coram Domino appellat—(a) initia fecit monarchiarum. Hoc factum est tum, cum noachidæ pedetentim ex montosa Armenia facile juxta cursum Euphratis et Tigridis descenderent in planiciem Sennar, quæ omnem cum Babylonia Mesopotamiam campestrem amplectitur, ibique habitarent. Nimrodus (b) præter Babel—sive Babyloniam a linguarum confusione sic dictam—cujus primus conditor fuit, ædificavit tres urbes: Arach, Achad et Chalanne. Assur, filius Semi, imitatus Nimrodum (c) secessit ad fontes Tigridis, in regionem cui nomen indidit Assyria condiditque ibi Ninivem, non utique imperium et urbem validissimam cujusmodi tempore Theglathphalasaris, Salmanasaris et Sancheribi reperimus; sed primariam assyriæ gentis sedem regnique principium; item urbes Rechoboth, Chale et Resen, quas certius disponere

(a) Id est τυραννον, populorum debellatorem contra Dominum. Quod autem statim scribit Danko de descensu ex Armenia, minus accuratum habemus, conf. n. 636 nota.

(b) Hic est Belus, seu Bel, heros, ad divinam dignitatem a posteris elevatus; in scripturis tamen cuneatis proprio nomine designatur.

(c) Vel forte ab eo pulsus.

non valent interpretes (a). Mesraimo, qui et Ægyptum condidit (v. 13), sex erant filii: Ludim, Anamim, Laabim, Nephthuim, Phetruim et Chasluim; de quibus egressi sunt Philistiim et Capthorim (b). Africam diviserunt inter se duo Chami filii, Mesraim et Put seu Phut. Mesraimo obtigit Ægyptus et pleraque Africa ad tritonidem usque paludem; Phuto quidquid trans tritonidem ad occeanum usque atlanticum continetur. Phud (Jer. XLVI, 9; Ez. XXVII, 10; XXX, 5; XXXVIII, 5; Nah. III, 9) autem, ut habet S. Hieronymus (ad Is. LXVI, 19) Lybies-est-omnisque Africa usque ad mare Mauritaniæ, in qua fluvius, hodie qui Phud dicitur, et cuncta circa eum regio Phutensis appellatur. De Chanaan filio Cham, qui cum filiis Sidone, Hethæo, Jebusæo, Amorrhæo, Gergesæo, Hevæo (v. 16, 17) occupavit regionem in et circa terram sacram». (Conf. nostram archæol.)

648. «Semi auctoris et Satoris israeliticæ gentis, quem Deus fratri natu majori prætulit, non ex meritis, sed ex mera gratia, filios notissimos, ab oriente incipiens et in occidente desiturus recenset Moyses (v. 21—22). Ælam, Assur, Arphaxad, Lud et Aram. Subjicit prosapiam deinde duorum filiorum, Arami et Arphaxadi, reliquorum filiis silentio prætermissis. Ab Ælamo sunt, quos Lucas (Act. II, 9) elamitas, Strabo elymæos vocat, quosve Hieronymus et Josephus persarum auctores et principes ponunt. De Assur supra jam dictum est, quod populum et imperium assyriacum condiderit. Arphaxad, genealogia Messiæ illustris vir est (Luc. III, 36), a quo Moyses narrat (v. 24; XI, 12—26) prognatos esse majores Abrahami et Lothi, felicisque Arabiæ incolas. Arphaxadum plures, Josephum secuti, chaldæorum fecerunt parentem, qui ex Arrapachitide Assyriæ, regione Armeniæ vicina descendissent in partes Babyloniæ. Lud, Lydos, Asiæ minoris populum, a quo Lydiæ provincia nomen accepit, illuc excurrentem Josephus interpretatur. Ab Aram videntur illi populi sati, quibus in S. Scriptura præfigitur vox Aram. Filii Aram enumerantur quatuor; Us, Hul, Gether,

(a) Forte ex quatuor composita est urbs *Ninive magna* (conf. Jonam), talisque videtur opinio recentissima post ejus rudera et scripta cuneata inventa.

(b) Rursus assero hæc nomina progenies potius designare, quam nomina parentum propria, ideoque patronimica sunt.

Mes. Ex terra Hus, Arabiæ desertæ parte septentrionali, natus est Jobus. In universum, si familia Arphaxadi addatur, tabula nostra Japhetho XIV, Chamo XXXI, Semo XV tribuit nomina; proinde in summa LXX, numero septenario decies sumpto». Hucusque Danko, exceptis adnotationibus, quæ nostræ sunt. Quæ quidem explicatio, si ratio libri id pateretur, multum augeri et reformari posset adhibitis documentis ex historia, philologia et ethnographia petendis, e quibus discimus tabulam mosaicam valde prætiosissimam esse ac documentum omni fide dignum, licet incompleta sit, præsertim ad ulteriores populorum migrationes, regiones occupatas, conjunctiones vel separationes ad nostram usquæ ætatem explicandas. Sed hoc a scopo Moysis alienum erat.

CAPUT XIX.

Alia objecta, ac præsertim chronologiæ biblicæ ex aliis chronologiis: Tabula chronologica hebræorum durante monarchia: chronologia ægyptiaca.

649. Reliquas difficultates adversus veracitatem et divinam inspirationem Sacrorum Bibliorum aut pertractavimus in archæologia vel introductione particulari, aut diluemus in hermeneutica, aut denique leviores sunt, et apud interpretes passim solutæ inveniuntur, aut in operibus hac de re ex professo agentibus, in quibus eminent Wouters, Veith, Duclot, et Glaire *[Les Livres sacres vengés]*; proinde tantum agendum nobis est de gravissimis, quæ chronologiæ biblicæ opponuntur difficultatibus.

650. Objectiones chronologicæ Sacris Libris fieri possunt vel ex ipsa eorum narratione, rerumque narratarum natura, vel ex comparatione cum profanis historiis, vel denique ex naturalibus scientiis. Primæ et secundæ classis difficultates, præterquam quod semper valde secundariæ sunt ad historiarum gravitatem et fidelitatem infirmandam, in re nostra nil ponderis habent, ut jam adnotavimus non semel (conf. archæol. n.° 68, 76; Sect. 2.ª n.° 202; Sect. 3.ª n.° 196, 280, 292; Sect. 5.ª n.° 708). In comparatione historiæ biblicæ cum profanis sub aspectu chronolo-

gico, statim pro Bibliis ut plurimum standum esse evincitur ex earum fide historica hucusque demonstrata, ex perspicuitate, majori ac meliori scriptorum informatione, antiquitate, &c.; quandoque vero oriri posset discrepantia ex variante lectione textus biblici, ex diversa narrandi ratione aut modo annos numerandi, ex omissione sive voluntaria sive fortuita nonnullarum generationum in tabulis genealogicis, aliisque de causis, quæ tamen in essentialibus narrationem non labefactant.

651. Sed potissima objectio fit adversus chronologiam biblicam generaliter sumtam, qua nempe humano generi major valde antiquitas conceditur, quam a Bibliis, etiam si admittatur computus versionis alexandrinæ, qui nobis verosimilior videtur. Hæc rursus difficultas opponi potest adversus ætatem mundi, vel epocham creationis Adæ vel diluvii, et desumitur ex historiis profanis vel e naturalibus scientiis, præsertim geologia. Quæ mundi ætatem attingunt jam præoccupata sunt, siquidem chronologia biblica ab Adamo procedit, non autem a prima coeli et terræ creatione, nisi dies creationis pro ordinariis diebus accipias, quod fieri quidem potest, si nil e scientia geologica obstare demonstretur, minime tamen necessarium est. Historiæ populorum antiquorum potius cum epocha diluvii mosaici, quam cum ætate hominis super terram pugnare videntur; ita namque characterem mythicum in remotissimis temporibus manifeste induunt, ut hoc nullam plane difficultatem moveat. Ipsæ enim loquuntur de regimine deorum, ut indica, ægyptiaca et persica, aut dæmonum post deos, aut heroum e diis aut dæmonibus progenitorum, quibus sæcula innumera myriadesque annorum tribuunt. Hæ igitur chronologiæ extra controversiam sunt. Certa historia apud sinenses sæculo fere 9° ante J-C incipit, apud japonenses 7°, apud georgianos 3°, apud armenos 2°, apud thibetinos 1° post J-C, apud persas 3°, apud arabes 5,° apud indos et mogoles 12°, apud turcas 13°, judicio Klaproth, in multis corrigendo. Sed nullo certo argumento res indicæ ultra tria annorum millia assurgere demonstrantur; nihil fere certum de veteribus persis ante Cyrum cognoscitur; historiæ populorum Asiæ occidentalis et Europæ ultra 20 ante C. sæcula non assurgunt; restat igitur ut pauca de sinensibus, assyriis ac præcipue ægyptiis adnotemus.

652. In libris sinensibus antiquissimis—sed non omnimodæ genuinitatis, tum quia omnes igni traditi sunt seculo 3° ante C. et e memoria restaurati, ut ipsæ sinenses historiæ referunt, tum quia seculo 6° compilati fuerant a Confucio (Kont-fut-seu), quin ordinem et modum noscamus, quos in suo labore adhibuit—mentio fit de imperatore Fo-hi, qui primus videtur aliquo modo historicus fuisse, et circa tempora diluvii mosaici a plerisque extitisse creditur. Vera historia sinensis ad summum circa annum 720 ante C. incipit cum imperatore Ping-vang, post epocham nempe Nabonasaris; priora autem tempora vaga traditione tantum nota sinensibus fuit ex libro Chou-King a Confucio restaurato, et forte ex antiquissima chronica, de qua loquitur Paravey. In iis autem documentis ita implicata res est et parum fundata, ut in diversissimas sententias descendant critici et sapientes, juxta quos certum videtur sinenses propriæ nationi tribuisse historiam primævam generis humani, unde plerique ex imperatoribus et ministris celebratis apud sinenses, ipsi Patriarchæ sunt ante et postdiluviani usque ad tempora ignota fundationis imperii sinensis. Omnia itaque hæc dubia sunt, sive populum sinensem *primitivum* dicas, id est, a Noe, vel Sem, vel Japhet fundatum, aut paulo post babelicam dispersionem, aut denique circa seculum 8 et posteriora ante C. e diversis coloniis ægyptiacis, chaldaicis, persis, hebraicis aliisque coaluisse cum Paravey teneas. Quod vero omni dubio caret, est mira conformitas imo identitas traditionum, notionum historicarum, religiosarum, aliarumque hujus populi cum antea laudatis ac hebræo præsertim circa tempora Patriarcharum. Hinc jam constat non nimium nostra referre si *Fo-hi* ipsum Noemum dicas cum pluribus, vel potius *Iao* cum Paravey; aut ipsum *Fo-hi* Adamum intelligas cum Bayer, et *Hoang-ti* Noemum, sive cum Paravey aliquanto inversa nomina fuisse concedas, et ex comparatione nominum eadem significantium per *Hoang-ti* Adamum, per *Fo-hi* Abel intelligas, et ita in decem prioribus imperatoribus sinensibus decem Patriarchas antediluvianos cum eodem auctore videas, qui vix id non demonstravit apud *Annales Philosophiæ christianæ* t. 16 anni 1836. Hinc nullus alicujus nominis historicus vel chronographus est, qui antiquitatem hujus populi, tamquam cum Bibliis pugnantem objiciat; et

quamvis hæc satis incerta maneant, ipse *Hoang-ti*, juxta tabulam chronologicam a P. Amiot inter sinenses inventam, nonnisi anno 2698 ante J-C regnum inchoasse traditur, quod cum chronologia biblica apprime congruit (a).

653. Circa antiquas assyriorum traditiones historicas idem fere accidit quod inter sinenses, plura nempe historica vere et credibilia esse, quæ tamen octavum sæculum ante J-C non excedunt, etiam postquam plurimæ narrationes tum biblicæ, tum profanæ, ex inscriptionibus cuneatis comprobatæ sunt. Itaque probabilia et utilia valde nobis videntur, quæ Oppert de hac re scribit (apud *Annal. Phil. Chr.* t. 53). Juxta ipsum generationes biblicæ postdiluvianæ ab hebræis imminutæ sunt mille annis. Incredibile namque est Noemum mortuum fuisse a. 42 ante ortum Isaaci, Semum vero a. 50 Jacobi, ideoque et rebellionem

(a) En nonnulla specimina fidei quam historiæ sinenses circa hæc remotissima tempora merentur. Epocha prima a P. Premare e scriptoribus celeberrimis laudata, regnum *Chi-Hoang-ti* anno 246 collocat, epocha *Se-ma-kuang* præcedit J-C 425 annis, alii ad tempora fere Romuli assurgunt, aut etiam ad a. 841; remotiora incerta prorsus sunt. Sic *King-gin-chan* a *Iao* incipit anno 2704 fere, *Siao-sse-ma* a *Fo-hi* anno fere 3000, liber dictus Vai-ki assurgit ad *Puan-ku*, nempe ante Confucium juxta quosdam 2.276000, aut 276000, aut 2.759,860, aut 3.276000 aut denique 496.961,740 annis. Ex ipsis historiis discimus toto tempore *Tchun-tsieu*, nempe 120 annis, solem defecisse 36 vicibus (postquam e chaldæis notiones astronomicas accuratiores acceperant), dum antea per 1800 annos ter tantum vel quater id accidisse meminerant, quod explicant sapientes sinenses ex eo quod primis temporibus virtus regnabat in terris, *ideoque* sol non deficiebat, contra id quod pessima ætate *Tchun-tsieu* accidit, quando cor hominum corruptum erat. De *Fo hi*, quem sexdecim imperatores præiverant, discimus habuisse corpus draconis, caput bovis; vel juxta alios caput longum, pulchros oculos, dentes testudinis, labia serpentis, barbam albam et ad terram usque longam, altitudinem 9 pedum et unius pollicis; illum coelo successisse, natum fuisse ad orientem, omnibus virtutibus ornatum, et in se collegisse quidquid altius et quidquid inferius est. De *Chin-nong* satis posteriori legitur post tres horas a nativitate jam locutum fuisse, post quinque dies deambulasse, post septem omnes dentes possedisse, post tres annos agriculturam perfecte calluisse. Et hujusmodi historiæ narrationi biblicæ olim oppositæ sunt, et etiam nunc a quibusdam vetustioris eruditionis opponuntur! Confer, si juvat, plurima utilia apud Migne *Les livres sacrés de toutes les religions*, t. 1.

babelicam, et idololatriam, et morum corruptionem generalem vivente adhuc Noemo et Semo accidisse, qui justitiam divinam in diluvio senserant, et promissionem audierant nullum aliud fore mittendum. Itaque Arphaxad natus est anno 202° post diluvium, non 2°, suumque filium Selah habuit non a. 37, sed 137 et ita porro. Hanc diminutionem perfecerunt aut æquivocatione fortasse e systemate hebræorum numerandi (quod verosimilius ego credo), aut desiderio proximiores reddendi generationes postdiluvianas recentioribus. Diluvium itaque non a. 2512 ante J-C, sed 3512 evenit, alioquin nimis breve spatium temporis esset inter illud et Abrahamum. Idem fere defendit Rougé ad chronologiam ægyptiacam cum biblica conciliandam. Quod si, his positis, error corrigatur Alex. Polyhistoris, qui 1ᵉ dynastiæ chusitæ tribuit 33,091 annos, pro 1091 (a), habebimus initium ejus anno 3540 ante J-C, ac simul fundationem turris babelicæ, quæ, juxta babilonios, immediate excepit diluvium hoc anno ab ipsis collocatum. Cum eam Nabuchodonossor restauravit, asseruit, in inscriptione reperta in quodam cilindro ejusdem turris, se id pefecisse 42° *amar* postquam quidam antecessor eam fundaverat tamquam templum septem luminaribus terræ, quæ computatio dat 2490 annos, et ante J-C 3544—3501; unde mira concordia invenitur etiam cum Beroso, si optime emendetur, et finem 1ⁱ imperii assyrii anno 788 tribuere cogatur juxta inscriptiones cuneatas. Unde sequentem fere habebimus hujus regionis chronologiam, quam paululum postea Oppert immutavit, sed nil ad rem nostram referens:

Reges antediluviani vixisse censentur per annos...			432000
Diluvium et erectio turris Borsippa, seu Birs-Nimrud.			3540
Dynastia chamita	ab a.	3540	ad 2449
Irruptio ariana.		2449	ad 2225
Dominatio turaniana (scitarum).		2225	ad 2017
Dominatio semitica, 1.ᵘᵐ imperium assyrium . . .		2017	ad 1559

(a) Siquidem error procedit e modo quo scriptum invenit tempus decem regum antediluvianorum, nempe 400,000 annorum et 32,000 annorum, quos postremos dedit primæ dynastiæ postdiluvianæ una cum propriis 1091.

Irruptio arabica. . . . . 1559 ad 1314
Magnum imperium Assyriæ (duo dynastiæ) . . . . 1314 ad 788

Tunc scinditur in imperium babylonicum, niniviticum, medo-persicum et susianum, ita fere:

Babylonia.	Ninive.	Media-Persia.	Susiana.
Ful-Belesis..... 788-747	Teglatphalasar monarchiam restaurat ab anno.... 769 ad 725	Oligarchia ariana. 788-710 Arbaces 1us princeps fuit.	Hic imperant diversi principes vix nomine noti.
Nabonasar..... 747-733			
Nabios..... 733-731		Aspobara..... 720?	
Kinzirus et Porus. 731-720	Captivitas 1.ª decem tribuum..... 740	Dejoces, rex ab anno..... 710 ad 667	
Iluläus..... 726-721			
Merodac-Baladan. 721-702	Salmanasar..... 725-720		
Sargon..... 709-704	Sargon..... 720-704 (hic fundavit Korsabat)	Fraortes, Arphaxat in Bibliis.... 657-635	
Anarchia..... 704-702			
Belibus..... 702-699	Sennacherib..... 704-676	Ciaxares..... 630?-595	
Assurinaddisu..... 699-693	Samaria capta est anno 721, et bellum contra Ægyptum et Judæam suscepit	Astiages..... 595-560	
Irigibel..... 693-692		Capitur a Cyro... 560	
Mesisimardochus. 692-688			
Anarchia..... 688-680			
	Sennacherib a... 702		
Assaradon..... 680-668	 680		

Ex his constat chronologiam assyriam biblicæ minime repugnare, et si forte circa tempora diluvio proxima (a) minus concordare videretur, adverti debet minime firmam esse, sed vagam, variam in diversis auctoribus, et quidem recentioribus valde, et exteris, si Berosum excipias, qui chaldæus fuit, recentissimus tamen.

654. Ceterum synchronismum historiæ hebraicæ tempore regum, ordinavit D. Saulcy, et ex ipso a nobis hic describitur, paucis antea præpositis a Saule ad Jehu, ubi etiam nonnullas textus incorrectas forte lectiones præ oculis habuimus (conf. n. 296 nota. Saulcy comprehendit etiam Ægyptum, Ninivem et Babyloniam).

Regnum Saulis fere ab anno 1098 ad 1057 ante J-C perducitur, Davidis vero a 1057 ad 1016, Salomonis denique a 1016 ad 975.

Reges Israel.		Reges Judæ.	
Jeroboam	975	Roboam	975
		Abias	958
		Asa	955
Nadab	954		
Baasa	952		
Ela	931		
Zambri	929		
Amri	927		
Achab	917		
4		Josaphat	914
Ochozias	897		
Joram	896		
		Joram	889
		Ochozias	885
Jehu	884	Attalia	884
		Joas	874
Joachaz	856		
Joas	841		
		Amasias	839
Jeroboam II	825		
a. 16.° Jeroboam II		Azarias	810
Interregnum ab a. 784 ad	772		
Zacharias	772		
Selum	771		
Manahem	771		
Mille talenta concedit Ful ut eum sustineat	770		

(a) Nam priora manifeste fabulosa sunt, ut in reliquis populis plerisque, forte occasione longissimæ vitæ priorum hominum e traditione cognitæ.

Reges Israel.	Reges Judæ.
Faceia 761	a. 50.° Azariæ.
Facee 759	Joathan 759
	Joathanum aggrediuntur Ratzin Syriæ et Facee Israelis 752
	Achaz 743
Facee victus ab assyriis, qui plures captivant . . 742	Implorat auxilium assyriorum eorumque subditus fit 742
Osee 730	
	Ezechias 727
	Legati Salmanasaris tributum ab Achabo concessum repetunt . . . 726
Osee fœdera jungit cum Sabacon ætiope 724	
Circumdatur Samaria . . . 723	
Capitur Samaria: explicit regnum decem tribuum 721	
	Ezechias in auxilium vocat Taraka, regem Ægypti 713
	Deficit Ezechias: Manasses 698
	Manasses ab assyriis devictus, Babyloniam evectus, et in patriam post 5 annos restitutus . . . 671?
	Amon 643
	Josias 641
	Circumdatur Bethulia . . . 635?
	Joachaz 610
	Joachim 610
	Subjicitur a Nabuchodonosore, incipitque numerari tempus captivitatis babylonicæ 607
	Independentiam tentat . . 604
	Captivus ducitur anno . . . 603? (Probabilius libertatem accepit, et in Judæa mortuus est).
	Jechonias-Joachin 599
	Solymorum destructio . . . 588

655. Restat ut pauca de chronologia ægyptiaca disseramus. Hic etiam distinguenda est chronologia antiquissi-

ma a recentiori, quæ manifeste mythica sunt aut ab obliteratis traditionibus de vita priorum hominum longissima procedunt, ab iis quæ charactere historico prædita videntur, et monumentis confirmantur, saltem quoad existentiam et relativum ordinem dynastiarum. Omnis nempe ægyptiaca chronologia nititur tabulis Manethonis, sacerdotis ægyptii seculi ante J-C tertii, quæ diversissime reperiuntur apud Josephum, Julium Africanum, Eusebium, papirum taurinensem mutilum &c. (a), ita ut impossibile prorsus sit textum primigenium invenire. Insuper hæ tabulæ nihil aliud offerunt quam regum catalogum, adnotatis annis durationis cujusque regni; immo nonnulli ex iis non inveniuntur in monumentis hieroglyphicis templorum antiquissimorum, et alia nomina leguntur, quæ in istis tabulis non sunt. Hinc est quod diversissima judicia eruditorum prodierint, et dum adhuc nonnulli fabulantur 30 aut 20 annorum millia pro historia ægyptiaca, dum Lepsius, sibi contrarius, et Bunsen, quibus concedit Renan, magnam his tabulis auctoritatæm tribuunt, et super illis chronologiam construi posse affirmant (1us anno 3839 Menem regnasse asserit); alii contra non minus eruditi parvulam fidem iisdem concedunt, ut Brugsch, Rougé, Paravey, aliique plurimi. Sane, tam in tabulis Manethonis, quam in *chronica antiqua* et *nova*, certum videtur recensitas fuisse dynastias prorsus fabulares, ut regnum Ephaistos, Solis, Chronos seu temporis, cum aliis duodecim minoribus diis, deinde octo vel decem heroum seu semideorum; quod traditiones ægyptiacas collectas fuisse evincit, sed historicam autoritatem tollit. Deinde veniunt quindecim dynastiæ, quæ nullo monumento comprobari possunt (licet quartæ nonnulli mira fiducia tribuant erectionem pyramidum, quæ a nemine decerni potest judicio ægyptologi Rougé), ac denique usque ad 31,am quæ desiit ætate Alexandri anno 331 ante J-C. Hæ posteriores monumentis

(a) Præcipui fontes historici: tabulæ Manethonis; papyrus taurinensis sub Ramses II (dynastiæ XIX) digestus ac valde mutilus; pictura *aulæ prædecessorum* e templo Karnak Parisios advecta, et sub Touthmes III (XVIII dynastiæ) confecta; *tabula Abydos* in musæo britanico servata, valde mutila, sed ab alia a Mariette inventa pro primis sex dynastiis pene completa; tabula Sacharah, non regia sed privata alteram confirmans, et sub dynastia XIX redacta; demum plura documenta vel unam tantum dynastiam, vel eventus singulares respicientia.

comprobari possunt, saltem in ordine successionis earum. His positis, et admisso Mene pro primo vero rege (forte designat Noemum), deductis nimirum diis ac semidiis, ut communiter fit ipseque bonus sensus postulat, tota quæstio est in decernendo num hæ dynastiæ plures aut saltem aliquæ synchronicæ sint, vel omnes succesivæ. Hoc postremum verissimum est pro multis, absque tabulis et testibus affirmatur de omnibus, imo contra ipsam naturam rerum, eo ipso quod dynastiæ origine distinguantur, nempe thebanæ, tanitæ, sahidicæ &c.; unde probabilissimum erat admittere bella plura civilia fuisse, quibus aliquando unius provinciæ rex totam Ægyptum debellare valuit, aliquando vero provinciæ sejungebantur et diversa regna constituebant, quod pro posteriori quadam dynastia ex Isaiæ 18—19 eruitur. Sed, quod caput est, ex ipso Manethone *aliquas* dynastias synchronicas fuisse plane deducitur. Nam ex ipso inter Menem et irruptionem *pastorum* currerunt 2800 anni, quæ probabiliter accidit a. 2200 ante J-C (a); ac proinde a Mene ad Alexandrum interfuerunt 4700 anni. Atqui Manethon nonnisi 3550 ipse recenset, igitur nonnullas dynastias synchronicas admittit. Exaggeratio esset asserere omnes tales fuisse, sed certo aliquæ fuere, præsertim ante Hycksos, quod etiam ad 14^am^ xoiticam extendit Brugsch, quin ratio contraria adsit. Quod si Menes vere extitisse dicatur primus Ægypti rex circa annum 2888, nullum detrimentum patitur chonologia biblica juxta versionem alexandrinam vel textum samaritanum, imo nec juxta textum hebraicum, si Menes cum Noe confundatur. Constat saltem nil *certi* inde erui posse adversus sacra Biblia, quæ saltem ex versione alexandrina 3400 fere annorum a diluvio ad J-C numerat, et 3600, si vera esset conjectura Oppert, qui putat Arphaxadum non 2 sed 202 annis post diluvium natum fuisse. His si addas 2262 annos ab Adamo ad diluvium lapsos, habebis juxta eamdem versionem fere 5800 ab Adamo ad Christum, et ad nostra tempora 7670 pro ætate hominis super terram, aut saltem 7470 juxta hodiernam textus lectionem, et 5970 juxta chronologiam vulgatam, qui anni utrum cum geologia pugnent nunc investigabimus.

(a) Confer apud quemlibet historicum ipsam Manethonis tabulam, ut apud Cantú, vel Lenormand (*Manuel d' histoire ancienne de l' orient*, Paris 1868).

CAPUT XX.

Objectiones geologicæ adversus biblicam hominum ætatem enucleantur et dissolvuntur.

656. Supersedendum nobis est ab illis difficultatibus enucleandis, quæ olim ex astronomicis antiquorum observationibus fiebant, quippe futilia sæpe demonstrata sunt, ita ut indica astronomia e græca multa receperit, ægyptiaca rudis nimis esset etiam ætate alexandrinorum, zodiaci celebres in Ægypto inventi posteriores sint dominatione romana, omnes denique zodiaci diversorum populorum e chaldaico orti demonstrati sint (conf. Letronne, Biot, Arago, Humboldt, Wiseman, Annales Philos. Christ. &c). Pariter omittimus difficultatem ex operibus humanis antiquissimis, ut sunt pyramides ægyptiacæ, duductam, quæ in primis, nec valde provectæ scientiæ debentur, nec aliis machinis fere factæ sunt, quam innumerabilis hominum servorum multitudinis opera, qui a regibus eorum dominis laborare cogebantur pro populo victore, ut certum jam est de magnis Ægypti monumentis, de indicis templis, seu pagodis &c. Hinc ad difficultates nunc magna contentione e geologia deductas descendimus.

Ante earum tamen expositionem et discussionem nonnulla præmittere juvat. Impossibile non est, nec semel evenit, nonnulla S. S. loca scientiarum progressu melius intellecta fuisse, ut lux e. g. quæ 1.° die creata dicitur, et ea quæ de notionibus cosmologicis in Bibliis alibi diximus (Sect. 1.ª n.° 71), ac de progressu historiæ, philologiæ &c. dici pariter debet; alioquin nihil aliud esset cum S. S. faciendum, quam antiquæ alicujus expositionis doctrinam memoriæ mandare, quod nemo concedet. Fieri igitur posset ut geologici progressus aliquid conferrent ad novam chronologiæ biblicæ discussionem et intelligentiam; præsertim cum res non omnimoda certitudine gaudeat circa absolutam textus integritatem, ita ut nullus in numeris error irrepserit temporis lapsu, aut etiam circa intentionem Moysis narrantis *generationes Adam et Noe*, vel denique circa tempo-

ra ægyptiacæ captivitatis, et rationem omnia hæc tempora adjungendi. Sic, ut de generationibus antediluvianis loquamur, cum legimus Gen. V, 1: *Hic est liber generationis Adam*, זה ספר תולדת אדם, manifeste intendit describere documentum, סֵפֶר, ubi sequentes generationes continentur, ac proinde sola verba transcripta scriptoris sacri propria sunt; utrum vero *liber ille* completus esset nec ne (falsus certe nequit esse, ut nec est *liber generationis J-C filii David, filii Abraham*, qui tamen certo incompletus est), non divina certitudine constat. Scio quidem satis communiter dici in genealogia Matthæi *consulto* nonnulla nomina omissa fuisse, sed hoc nil confert ad veritatem genealogiæ stabiliendam nec impugnandam, cum intentio scriptoris ibi non appareat, nec solido fundamento ullibi constet, sed mera conjectura inventa sit. Deinde in aliis biblicis genealogiis idem fere occurrit, ut in illa Judithæ. Denique determinatio anni quo singulus Patriarcha filium genuit, adhuc cum deperditione quorumdam vel multorum nominum consistere potest, ut si duo homonimi e. g. fuissent, et narratio a 1° ad 2um transeat, omissis mediis generationibus: nil grave huic conjecturæ opponi potest, præsertim si non ad textum mosaicum referatur, sed ad tabulam illam quam Moyses descripsit, quin accuratam prorsus esse ipse indicaverit. Quod si ita esset, multas generationes intermissas fuisse conjicere possemus, quæ longissima illa hominum vita facile 4, aut 10, aut 20 sæcula æquarent. Idem fere dicas de Noemi posteritate (Gen. XI, 10), licet hic minus probabile sit, cum non legatur *hic est liber generationis...* sed: *hæ sunt generationes Noe*; attamen in textu hebraico et vulgato dificit Cainam, qui in græca versione est, et ex illa a S. Luca recensetur; quod enim multi dicunt a posteriori manu additum fuisse hoc nomen evangelio Lucæ, absque tabulis et testibus profertur, ac semper facilius est ut quædam verba ex libro defecerint, quam ut ipsi addita fuerint, quod nonnisi data opera fieri potest; nec aliunde plus detrimenti S. S. integritati infert cujusdam textus omissio quam additio alterius. Denique nemo certo asserere potest quanto tempore israëlitæ in Ægypto fuerint, cum certum non sit dictum S. Pauli (Act. XIII, 20) computari debere ab ingressu in Ægyptum, vel a vocatione Abrahæ, vel ab alio posteriori eventu (conf. n. 280). Si

quis objiceret eamdem rationem minime esse de illis genealogicis tabulis, quæ tantum *stirpem* donare intendebant, ac de tabula Gen. V, quæ etiam *chronologiam* dare intendit; in prioribus parum aut nil conferre ad scopum præcipuum alicujus vel plurium nominum omissionem, quæ substantialis esset in posterioribus; id ego concederem, si Moyses tabulam illam, quæ chronologiam quidem spectabat, expresse aut implicite probasset tamquam accuratam et numeris omnibus absolutam; quod cum non fecerit, *certo* saltem non constat talem fuisse illius mentem, idque in præsentiarum satis est, ut, si necessitas cogat, hunc fuisse illius scopum inficiari possimus, atque meram haberemus narrationem, qua fide divina constaret id vere in documento illo extitisse, veraci quidem, sed incompleto. Nec demum aliud probaret locus 2 Pet. II, 5, ubi Noe dicitur *octavus justitiæ præco*, qui quid sibi velit obscurum ac diffcile est judicare, cum Noe octavus Patriarcha non esset, sed decimus; ac proinde vix credi potest locum allegatum significare octavum Patriarcham, quod adhuc stare posset cum sententia quam tuemur, eo quod Petrus allusionem fecisset ad Geneseos narrationem, prout jam tunc legebatur, non vero adnotare voluit Noe reipsa fuisse octavum vel decimum Patriarcham, ut alibi sæpe fit in allegatione juxta versionem græcam contra textum hebraicum, aut vice versa.

657. Adnotare etiam juvat hominem 6ª die postremum conditum fuisse, unde, si vera esset geologorum sententia diebus his longissimas epochas designari, quibus multæ in terra revolutiones evenerunt; facile admittere possemus quamdam speciem animantium initio hujus epochæ conditam humanæ prorsus similem, non tamen *ad imaginem et similitudinem Dei* factam, cujus essent fossilia, quæ dicuntur humana, in *formationibus quaternariis* inventa, atque monumenta rudioris industriæ. Isti semi-homines in periodis diluvianis destrui prorsus potuerunt, cum illis animantibus formationis quaternariæ, quæ tunc, vel diluvio, vel glaciali vi *(neveras, glaciers)* destructa sunt, *elephas primigenius*, *cervus megaceros*, *masthodon*, *ursus cavernarum*, &c. &c. Fossilia itaque et artefacta, quæ dicuntur humana, ad hanc speciem extinctam pertinerent, quæ genus humanum veluti prælusisset. Denique, inquit Schultz, cujus sen-

tentiam aliis dijudicadam relinquo, narrationi mosaicæ contrariam certo non esse hypothesim alios homines ante Adamum extitisse, qui quodam generali cataclysmo perierunt prorsus, de quibus propterea sermo non est in Genesi, cum ad præsentem humanam speciem non pertinerent nisi tantum natura, non successione et fraternitate, post quorum completam extinctionem Deus præsens humanum genus cum Adam et Eva creavit. Quæ sententia cum illa præadamitarum confundi non posset, eo ipso quod sermo sit de hominibus prorsus extinctis, et nulla spirituali relatione nobiscum junctis.—Has omnes hypotheses minime improbabiles, minusque absurdas, præmittere voluimus, ut planum sit nil nocumenti chronologiam biblicam capere necessario debere, si scientia geologica *demonstraret* homines super terram exstitisse longe ante secula quinque vel septem supra septuaginta, quæ admittit chronologia alexandrina. Non quod has hypotheses aliasve similes statim probandas censeamus, sed tantum si necessitas scientifica id postularet; in statu tamen hodierno nondum postulat, quidquid multi geologi in contrarium dicant; sed summa hominum antiquitas mera hypothesis est non parum temeraria, quæ forte uno invento vel scientiæ progressu in nihilum recidere potest.

658. Ajunt itaque humanæ existentiæ signa, ut fossilia et humana artefacta, in illis terræ partibus inveniri, quæ licet quaternariæ sint, summam tamen antiquitatem habent, quæ saltem 30 aut amplius annorum millibus indiguerunt, ut formari possent. Sic α) ex multis inventis in cavernis osseis (a) discimus hominem coævum fuisse animantibus extinctis supra enumeratis, quæ antiquissima sunt, initio nempe periodi quaternariæ nata; β) in stratis supra recentiorem ordinem formationis tertiariæ (terreno terciario) immediate jacentibus, nempe supra *cretam*, multa humana artefacta inventa sunt in provincia Picardie, circa oppidum Abbeville, dein humanus dens, ac demum integra maxilla; γ) in alluvionibus Nili quorum sæculare augmentum dignoscitur, opera

(a) Cavernas huesosas: apud nos sunt in locis hispanice dictis Molina de Aragon, Riaza, Pedraza (Segovia), Colli (Leon), Peña de Muda y S. Salvador (Palencia), Oviedo, San Roman de Candamo, Ferroñes, Lagos, Collera (Asturias), &c.

item humana (lateres, aliaque) inventa sunt ea profunditate, ut calculo inito, remotissime homines illic vixisse credas; imo in Statibus Foederatis Americæ locus inventus est circa Novam Orleans decem stratibus suprapositis constans, quorum singulum 14000 annorum ætatis habet, atque in horum quarto inventa sunt ossa hominis americanæ familiæ prorsus identici, qui proinde ibi jacet post 57600 annos; δ) etiam inventa sunt inter formationem lavicam montium ignivomorum provinciæ auvergniensis, qui post epocham ursorum cavernarum, animalium quæ dicuntur Mammuth, &c., extincti sunt; ε) denique, ut cetera omittam, residua ac rudera et humana arte facta inveniuntur in habitationibus lacustribus, quas dicunt, aliisque in Dania, Helvetia, et alibi, quæ tum antiquissima sunt, tum diversos gradus ostendunt humanæ culturæ, ita ut discernere permittant eam ætatem qua homines arma et artefacta petrea rudiora fabricabant, ætatem petream politiorem, ætatem æneam (de bronce) et denique ferream; cum igitur ex Genesi longe ante diluvium æs et ferrum adhiberentur ¿qua remotiori ætate vixerunt hæ tribus helveticæ ætatis petreæ primæ?

659. Verum hæc multa supponunt, quæ aut falsa, aut exaggerata nimis, aut saltem confusa, incerta et controversa inter geologos sunt; multa ex desiderio procedunt narrationem mosaicam impugnandi; pleraque intra chronologiam ordinariam satis commode explicantur, aut saltem probabili hypothesi. Deinde summa cura tenendum præ oculis est, admissis etiam geologorum theoriis, hominem, juxta Genesim, creatum fuisse *postremum;* unde, etiamsi demonstraretur cum animantibus propriis periodi quaternariæ quondam vixisse, ut cum hyena et ursu spelæis, cervo megacero, elephante primigenio, bove prisco, &c.; minime concludi posset per omne tempus cum ipsis fuisse ab eorum origine ad ipsorum extinctionem; sed circa finem hujus periodi creari potuit, partim cum dictis animantibus vivere, fere extingui per diluvium, quo illa prorsus extincta sunt, atque ita omnia faenomena explicari. Ad impugnandam igitur ordinariam chronologiam non sufficit coexistentia hominis cum animalibus extinctis, sed ejus fossilia aut illius industriæ propria artefacta inveniri deberent in locis adeo antiquis, ut intra chronologiæ mosaicæ limites contineri ne-

queant. Et in hoc quidem nil aliud facimus quam geologorum sententia uti, qui in formationibus quaternariis tres saltem periodos admittunt, *glacialem antiquam*, *diluvialem* et *glacialem modernam*; unde hanc hypothesim emittimus:

Initio hujus epochæ, post condita pleraque aut ultima animantia, evenit periodus glacialis antiqua, deinde formatum est geologicum diluvium longo sæculorum tractu, atque, eo durante, evenit altera periodus glacialis, post quam conditus homo est, ac diluvium mosaicum accidit suo tempore; nisi magis placeat alteram periodum glacialem cum mosaico diluvio accidisse, quod juxta hodiernum scientiæ statum, ipso C. Vogt concedente, necessarium non est. Multa animalia extincta sunt, aliaque forte satis modificata in diluvio mosaico, atque ita periodus actualis incoepit, in subtantialibus a quaternaria non diversa. Denique observo geologos sibi contrarios esse cum tot cataclysmos admittunt, et tamen naturalia agentia semper ut hodie super terram operasse affirmant, dum alibi rapidiori cursu et maxima vi operata fuisse dicunt, ut in prima vegetatione plantarum, &c.; nempe calculum inire solent juxta actualem terræ conditionem, qui in diversissimis conditionibus eam sæpe fuisse ipsi affirmant et tenent. ¿Quomodo v. g. ex parvulis fænomenis glacialibus hodiernis montium helveticorum, calculum inire possunt virium quæ operatæ sunt, quando, ut ipsi tenent nescio utrum jure aut immerito, glacies et nives Scandinaviæ ad Russiam centralem ipsamque Saxoniam extendebantur? ¿Quis poterit ex ordinaria cujusque fluminis aut torrentis alluvione effectus computare maximæ inundationis, ac precipue diluvii mosaici? Igitur geologorum inductiones hac super re, ordinarium naturæ actualis cursum supponentes simulque rejicientes, sibi contrariæ sunt, sufficientibus documentis carent, ac proinde levis sunt ponderis et super aëra fere fundatæ.

660. His præmissis ad singula objecta respondemus, supposita nostra hypothesi, cui valde confidimus, donec falsa demonstretur: α) in cavernis distinguenda est epocha, qua formatæ sunt, ab illa qua alluvionibus fossiliferis repletæ fuerunt, quod quandoque diversis temporibus certo evenit, ut demonstrant sæpe incrustationes calcicæ (estalactitas y estalacmitas), quæ solum et tectum cooperiunt, aut diversa strata alluvialia separant. Et quidem in hoc postremo casu plerumque fossilia

humana in superioribus stratis sunt, etiamsi quandoque mixta appareant cum fossilibus animantium speluncarum. Insuper notari debet nusquam inventum fuisse unius hominis systema osseum completum (un esqueleto), inveniri ossa animalium tantæ molis, ut a carnivoris minime illuc adsportari valuerint, ossa animantium ruminantium simul cum carnivoris, ossa diversorum hujus classis generum, quæ simul habitare non poterant, demum fragmenta, ut plurimum, rarissime vero systema osseum integrum. Hinc diversis temporibus a diversis animantibus habitari potuerunt, ac postremo ab homine; inundatio aquarum non semel occurrere potuit, et alluviones primo relictæ removeri ac dissolvi, ideoque simul jungi cum materiis posteriorum inundationum; quandoque cadavera integra ob putrefactionem in aquis supernatantia, in cavernas adsportata sunt, ac cum reliquis animantium reliquiis sepulta; denique nonnullæ cavernæ jam fossilibus plenæ coemeterio esse potuerunt posterioribus hominibus, dein rapida inundatione aliove cataclysmo removeri solum ac permisceri, universas subverti, claudi, variisque modis agi. Atque hæc eo magis vero videri debent similiora, quatenus conceduntur ab ipso C. Vogt, materialistico, et Bibliorum ipsiusque christianismi hoste manifesto, qui ad remotissimam antiquitatem homini vindicandam opus Lyell retractavit, nec lapidem ullum removere desiit ad scopum suum obtinendum (a). Ex dictis consequitur adhuc dubium esse ex ossibus cavernarum num homines vere cum animantibus quaternariis vixerint, prout revera multi geologi dubitant. Si ergo his addas animadversionem supra factam; juxta quam, etiamsi re ipsa quandoque simul vixerint, quod cum hodierno geologiæ statu plane quadrare videtur, nondum demonstraretur per totam periodum quaternariam hominum vitam perdurasse; perspicue ac summo jure, ni fallor, concludes nihil ex cavernis osseis adversus biblicam chronologiam concludi posse.

661. β) Circa inventa humanæ industriæ artefacta petrea (hachas) et rudera humana in provincia Galliæ prædicta, hæc adnotamus: a) formationem illam certo diluvialem esse, ac su-

(a) Opus Lyell inscribitur: *Geologicæ evidentiæ antiquitatis hominum*, anglice, Lond. 1863; illud autem C. Vogt: *Prælectiones de homine*, germanice.

per cretam jacere, quæ quidem materia abundat fragmentis silicis (nódulos ó riñones), imo ubicumque similia *arte facta* inventa sunt, quamdam formationem cretaceam proximam esse ipsi geologi animadverterunt; b) operarios iis fragmentis assuetos fuisse longe antequam Boucher de Perthes humana opera in illis videret, nempe arma et instrumenta etiam ad secandos ungues et tondendos capillos, qui proinde sua agendi ratione ostendunt nil extraordinarium hic esse, sed quandoque ad summum meros *lusus naturæ*; c) postea vero quam industriæ humanæ tribui coeperunt, multique illuc peregrinari ad colligendos hos silices, multæ fraudes inventæ sunt, imo *vera industria* ad pecuniam obtinendam; unde ubi quis *asciam* unam aut *cultellum* hujusmodi viderit, adhuc demonstrationem postulare debet opus illud in dictis formationibus absque fraude inventum fuisse (a); c) sapientes qui ad hæc inventa examinanda ex Anglia et Gallia convenerunt, non fuisse unanimes in definiendo utrum ii lapides industria elaborati fuerint, necne, nec in natura dentis et maxillæ definienda; et angli Falconer et Busk opinioni francorum restiterunt, qui *ascias* authenticas esse asserebant, et diversa loci strata coæva; denique Quatrefages dubitavit utrum humana esset maxilla (dens ut dubius ab omnibus relictus fuit), Elie Beaumont non admisit formationem esse quaternariam sed postdiluvianam, ac inficiatus est cum Cuvier hominem elephantis primigenii fuisse coævum, unde dubium super his omnibus manet; d) quod si denique hæc omnia concedamus, nullum majus argumentum assurgeret quam ex cavernis; nempe fieri potuit ut homo satis provecta periodo quaternaria natus fuerit, ideoque partim cum animantibus extinctis vixerit, quin tamen tempus excedat chronologiæ mosaicæ. Sic postquam D. Archiac asseruit nil fere ponderis habere inventionem et diversas sententias circa maxillam de Moulin-Quignon, eo quod synchronismus hominis cum animantibus extinctis *res sit de-*

(a) Ostendit mihi D. Vilanova, qui contrariam sententiam tenet, lapidem ad formam conchæ *unionis* (almeja), ora acuta et delicatis dentibus ad modum serræ predita, unius fere pollicis longa et lata, quæ quidem videtur industria elaborata; ast ¿unde certo constat in formatione diluviali antiquissima vere fuisse, nec humana fraude illuc introducta? Alius silex rudior, primæ ætatis petreæ juxta ipsum Vilanova, manifeste opus naturæ esse posse mihi visus est.

monstrata; ætatem illius formationis determinat, et inter 2.am et 3.am periodi quaternarii epocham eam constituit, et concludit: «tunc distinguemus cum Vorsæe, *duas ætates petreas*, alteram priorem his depositis quaternariis seu *antediluvianam*, quæ characteribus rudioris industriæ distinguitur in elaboratione horum artefactorum; alteram posteriorem seu *antehistoricam*, cujus arma et instrumenta industriam minus rudem ostendunt, et ad tempora ascendit, quibus Daniæ populationes cumulabant sua Kjoekkenmoeddingen (*residua culinaria*, ni fallor), aut incolæ Helvetiæ et Iberniæ aliarumque regionum suas habitationes lacustres construebant». Cum igitur nondum quis demonstraverit aut hanc 2.am ætatem petream tempora diluvii mosaici prætergressam fuisse, aut 1.am secula ab Adamo ad diluvium; patet nil certi ex iis omnibus adversus nostram chronologiam concludi, etiamsi daremus hanc, quam sibi fingunt, epocharum distinctionem, et humani generis statum primo silvaticum ac paulatim in industria progredientem, ab elaboratione petrarum, ad illam metallorum; quod explicitæ Genesis narrationi minus quadrat, proindeque melius et cohærentius ad scientias historicas et primævas traditiones, hæc opera rudiora sive lapidea sive ænea, tribubus et populis plus minusve degradatis tribuenda forent.

662. γ) Computationes super incremento hodierno vel seculari alluvionum Nili, sive aliorum quorumcumque locorum, fundantur omnes hypothesi minime probatæ, imo probabilissime falsæ, illud nempe incrementum semper idem fuisse. Itaque si 5 pollices singulo seculo illud elevari supponatur, alii enim plus alii minus admittunt, sequeretur fragmenta animalium ex viventibus adhuc speciebus, et humanæ industriæ opera v. g. lateres, quæ in altitudine 40 aut 50 pedum a L. Horner inventa sunt, ante 10 aut 12000 annorum exstitisse. Ast ipse Lyell his computationibus parum esse fidendum concedit; Burmeister vero asserit valde credibile esse alluviones has abundantiores olim fuisse. Imo nil ex illis concludi posse demonstratur ex eo quod, in adversa hypothesi, statua Ramses 2.i, supra quam chronologia ægyptiaca omnis fere fundatur, et anno 1360 ante J—C juxta Lepsium erecta est, nonnisi anno fere 500 post J-C erecta credi posset, ob alluvionem tribus pedibus ac quatuor pollicibus altam, quæ eam operiebatur. Denique re-

motissimis temporibus lateres e limo et palea in Ægypto construi et calore solis siccari consuevisse constat, minime vero proprie igne torreri, nisi circa tempora romana. Sic his alluvialibus terris ex multis causis nunc accelerata, nunc impedita accessio est, v. g. magnis tempestatibus, ventorum vi, qui arenas et disgregata montium rudera conjungere, dispergere, cumulare valuit (a), ita ut nullo prorsus calculo subjici possint, nisi ad summum in statu hodierno normali. Id accommodari debet similibus locis, ut solo circa Matritum sito (vulgo, cuesta de S. Isidro), quod quidem ex montibus carpetanis alluvione formatum est, et quandoque profundissime denudatum; sed aërea tantum hypothesi dici posset longissimo, aut minus longo vel brevi tempore formatum, dum ignota maneat causarum vis, quæ montanam materiam graniticam disgregarunt, traxerunt ac diversis locis cumulaverunt; ut nil dicam de fossilibus humanis aut humanæ industriæ operibus *authenticis* nondum ibi, quod ego sciam, repertis. Idem fere dicas de computationibus, quibus doctor americanus Dowler 57600 annos antiquitatis tribuit squeleto humano a se reperto circa Novam-Orleans. Ait namque solum illud decem stratis suprapositis constare, quorum singulo 14400 annos tribuit, quippe alluvione pratensi constant 1500 annorum durationis, alia cupressorum 11400 annorum, cum in profundiori lectulo una inventa sit 10 pedum amplitudinis, ac duæ suprapositæ sint, ac demum alia quercum 1500 annorum; igitur si his decem stratibus periodum actualem addas, numerabis 158000 annorum; et tamen in quarto stratu inventa sunt ossa hominis ad familiam americanam pertinentis. Facillime quidem hæc computantur et rem prorsus demonstrant judicio C. Vogt, qui tamen similem computationem a Morlot factam super alluvione cujusdam helvetici rivi, instabilem dicit, eo quod, non obstante hodierno incremento apparenter regulari, unica inundatio extraordiaria e tempestate orta, potest paucis diebus plus materiæ adsportare ac cumulare, quam multis seculis ordinarii cursus, quæ quidem materia eodem regulari ordine collocaretur juxta diversam densitatem. *(Vorlesungen über den Menschen*, t. II, pag.

(a) Imo tenet Lenormand inferiorem et mediam Ægyptum plus arenis Lybiæ, quam Nili alluvionibus fuisse formatam.

419). Lyell tamen his computationibus minus fidit, et quidem jure, cum nondum certo constet num decem strata ibi sint vel unum, nec utrum successive formata sint, aut potius simul e diversis locis impetu aquarum Mississipi adsportata ac deposita, nec status regionum dignoscitur, quas flumen peragravit ac denudavit antiquis temporibus, nec extraordinariæ ejusdem inundationes, verbo, plurima desunt quæ ad aliquantum probabilem calculum ineundum necessaria sunt. Idem dicendum est de elevatione aut depressione terrarum, ut Scotiæ, Hiberniæ, aliarumque: nempe nullæ cognitæ legi subjectæ sunt, ac proinde nullum calculum super his fundare geologis licet.

663. δ) Ad id quod mira fiducia objicit Vogt de humanis ossibus inter materias volcanicas repertis in territorio auvergniensi et rhenano, auctoritate aliorum geologorum respondemus rem prorsus dubiam esse, tum circa epocham, qua ii montes ignivomi extincti sunt, tum circa situm prædictorum ossium, tum demum circa eorum naturam, cum plures errores hac super re aperte demonstrati sint. Denique Lyell tenet hæc ossa, circa Aberdeen ab eo examinata, non in eodem strato (Tulfschicht) cum animantibus diluvialibus jacere, sed cooperta serius fuisse quodam lavico strato. ε) Postremum denique objectum ad humanam chronologiam constituendam minime sufficere fatetur ipse Vogt, qui cum D'Archiac convenit (v. supra), eo ipso quod antiquissima hominum testimonia scotica et danica posteriora ultima periodo glaciali faciat (vide locum infra). Multa quidem imaginaria inventa sunt circa primævarum artium progressum, sed omnia *a priori* excogitantur, nulla habita ratione historiarum ac traditionum antiquissimarum simulque auctoritate maxima præditarum (conf. Sect. 1.ª n.º 53 ac præsertim n.º 31). Inveniuntur quidem habitationes lacustres satis ab hodierno cujuslibet laci solo distantes; sed quot annis vel sæculis aquæ retrocesserint, quave celeritate, minime liquet, ut rursum ex Vogt habemus. Nondum igitur inter inventa geologica factum adest, quod hominem antiquiorem esse super terram demonstret, quam quod biblica chronologia, saltem juxta textum alexandrinum, maximi sane ponderis, permittit. Alia objecta, atque hæc ipsa amplius enucleata confer, si lubet, in articulo a me conscripto in ephemeride: *La civilizacion cristiana*.

664. Interea coronidis gratia nonnulla addimus ex ipso Vogt desumta testimonia, homine Bibliorum adversario etiam hac super re, scriptore recenti (scripsit suum opus anno 1865), patria germanica pulso, et genevensi professore, qui et libros, et doctos homines, et naturam ipse investigavit maxima cura. «Homines primo inveniri (ait l. c. vol II, 105) super terram in diluviali periodo, *alioquin longissima* (hoc consuetis hypothesibus geologi deducunt), nondum vestigia inventa fuisse prioris apparitionis, inter geologos prorsus convenit; utrum vero apparuerit in nostro continenti ante vel post ultimam periodum glacialem, adhuc disceptatur. Ego, post attentissimam factorum considerationem, ultimam sententiam admisi; ubique argumenta existentiæ hominis tantum post magnam periodum glacialem inveni, post formationem terræ (terreno) glacialis in Scandinavia, Anglia, Helvetia, &c.» Et hoc quidem asserit dum inventum narrat Desnoyers, qui in ossibus magnorum animantium periodi diluvialis, delineationes quasdam rudiores ab homine factas, et quidem in ossibus recentibus invenisse sibi visus est. Circa argumenta ex cavernis deducta asserit Plaff nihil prorsus ea evincere ob rationes a nobis supra allatas, atque incrustationes ex carbonato calcico (capas de estalactitas y estalacmitas) hodie compleri spatio 50 annorum; quare ipse Vogt ait postquam iis argumentis adeo fiderat: «Distributiones materiarum in scissuris et cavernis *quemdam mysterii characterem* constanter induunt.» A. Wagner ad mortem usque incredulus mansit super asciis et gladiolis petreis, et cum ipso alii plures increduli pariter manent; et si E. Beaumont horum genuinitatem admittit, habitationibus lacustribus helveticis non antiquiora ea artefacta habet. Ipse Vogt fatetur inter tot *ascias* lapideas «nullum alium industriæ humanæ vestigium fuisse repertum,» quamvis id bono sensui contrarium esse videatur, præsertim quia tot inter arma nullum cadaver humanum, nulla fracta aut integra ossa reperta sunt, si forte maxillam unam excipias. Cum antiquæ populationes danicæ jam vixisse videantur cum pini illic erant, fatetur tamen Vogt nonnisi post ultimam periodum glacialem id contigisse. Ex locis illis, ubi formatus est carbo nondum fossilis (turba), audaciores computationes institui solent, ita ut hæc loca (turberas) candide dicantur a nostro Vilanova

præhistorica chronometra, ratione habita ad incrementum hodiernum, et neglectis innumeris causis, quæ celerrime vegetabiles materias cumulare potuerunt; attamen Vogt *ætati petreæ* tribuit, quæ inveniuntur Moosseedorf, Wauwyl, Meilen &c., quamvis primo loco inventa sint numismata romana, ideoque temporis plane historici sint. Demum, ut alia multa prætéream tum hujus auctoris, tum aliorum geologorum testimonia, quæ aut hujus rei incertitudinem, aut recentem hominum originem ostendunt, ait Vogt (vol. II, pag. 81 edit. germanicæ ut supra): «ut determinare possemus ætatem antiquissimorum ossium hominis, adhibitis annis, aut seculis, aut seculorum decadibus, deest inter facta hucusque inventa quodlibet vel minimum fundamentum.» Igitur donec ampliores progressus scientia geologica perficiat, chronologia biblica communis jus possessionis servat.

SECTIO V.

HERMENEUTICA BIBLICA.

CAPUT I.

Hermeneutica biblica generalis et christiano-catholica: motiva hermenenticæ catholicæ: doctrina Concilii Tridentini: objectiones protestantium.

665. *Hermeneutica*, sicut et *Exegesis*, græca vocabula sunt, quæ interpretationem, declarationem seu expositionem significant; usu tamen receptum est jam ut Hermeneutica dicatur: ars sive scientia quæ regulas tradit ac tuetur optime interpretandi; Exegesis vero ipsa interpretatio. Hæ, dum Sacris bibliis applicantur, Hermeneutica et Exegesis biblica audiunt. Erit igitur optima Exegesis biblica, ea sensus explanatio sacror. librorum, quæ juxta regulas sanæ Hermeneuticæ fit, adhibitis omnibus subsidiis ad tantam rem necessariis.

Ast Biblia Sacra sub triplici aspectu considerari possunt, prout nempe libri sunt antiqui, quodam idiomate conscripti, certumque sensum exprimentes; vel quatenus sunt libri divini, afflatu Superni Numinis dictati; vel demum ut sunt libri divini ab Ecclesia catholica nobis traditi, quæ illos divinitus accepit, sola a profanis operibus vel non inspiratis distinguere potest, solaque authentice sensum illorum potest declarare. Si Hermeneutica biblica sub primo tantum aspectu conscriberetur, esset pure rationalis, seu melius *Hermeneutica communis*, qua sola utuntur rationalistæ; si sub altero respectu, sed seposita Ecclesiæ auctoritate, esset *hermeneutica protestantium;* si tertio

demum aspectu, esset *Hermeneutica biblica catholica*. Hinc nobis catholicis triplex labor erit assumendus in hac postrema nostræ Introductionis parte: regulas nempe tradere debemus quibus generatim scriptorum sensus dignosci potest; eas præterea quibus in libris a Deo inspiratis utendum nobis est; ac denique illas quibus Ecclesia catholica uti præcipit, ut sensus librorum sacrorum dignoscatur, qui sensui ab ipsa recepto congruat, nec ullo modo adversetur. Quia vero hæc, quæ secundo et tertio loco proposuimus, primum pertractare commodius est, ac brevius præoccupare licet, eo quod omnia fere hic demonstranda in cursu theologico jam pertractata sint; ideo breviter ab iis nos expediemus, ut quæ Sacrorum Bibliorum studiosis utiliora sunt, latiori calamo percurramus.

666. Ex iis namque quæ adversus protestantes disputant theologi nostri, hæc constant, quorum partim a doctioribus adversariis admittuntur, partim logice ab illis deduci possunt et debent, nempe: α) Ecclesiam christianam viva voce et traditione et fundatam et propagatam fuisse; β) Scripturam Sacram non continere integram Christi et Apostolorum doctrinam; γ) eam non in omnibus esse perspicuam, sed quandoque non parum difficilem; δ) completam doctrinam a Christo et Apostolis traditam fuisse societati ab illis fundatæ, quæ est Ecclesia catholica; ε) istam proinde Ecclesiam depositariam et testem ac magistram esse in perpetuum germanæ Christi doctrinæ; ϑ) eamdem solam jure declarare posse quinam libri canonici sint, et quousque inspirati, ac verum illorum sensum, et quidem authentice; η) denique interpretationem doctrinalem privatorum hominum ab Ecclesia dirigi, et iis regulis subjici, quas ipsa statuendas judicaverit, ac reipsa statuit in Concilio præsertim Tridentino. Ab iis amplius enucleandis nobis supersedendum est, cum Sacræ Scripturæ tirones jam cursum theologicum confecerint; ac proinde monita tantum et regulas, quibus catholici obtemperare debent, ut Ecclesiæ debitum obsequium præstent, accuratius exponere pergimus.

667. Cum quolibet tempore, sed orto præsertim protestantismo, privati interpretes docti indoctique, ita sensum ab eis in bibliis repertum uti certum tenerent, ut tamquam fidei ac morum normam infallibilem proponerent, seu quod idem est: cum quilibet privatus *authenticam* Scripturæ interpretationem dare præsumeret, quod solius Spiritus Sancti est, vel ejus legitimi vicarii, cujusmodi sola est Ecclesia

catholica, infallibilitate et auctoritate ad id necessaria prædita; ideo Concilium Tridentinum hunc Hermeneuticæ catholicæ canonem sancivit (Ses. 4.ª): «Ad coërcenda petulantia ingenia decernit (Synodus), ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei ac morum, ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, S. Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum quem tenuit ac tenet Sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent». Ex quo sequentia habemus: A) neminem posse Scripturam interpretari contra sensum quem tenuit ac tenet Ecclesia; B) neque contra unanimem consensum Patrum; C) et hæc quidem *in rebus fidei ac morum*; D) denique id decretum est ad coërcenda petulantia ingenia. Ad quorum observantiam hoc teneas: a) Sensum quem tenuit ac tenet Eccesia nobis constare: 1.° directe et immediate, dum illum definivit; v. g. in eodem concilio sancivit verba «Hoc est corpus meum &c.» sensu proprio et reali esse accipienda; presbyteros (de quibus Jacobi V, 14) non esse ætate provectos, sed sacerdotes &c.; 2.° indirecte et item immediate, dum dogmata proponit, quæ certis Scripturæ locis confirmat, cum provocatione ad sensum traditionalem, vel cum dogmata hæreticorum refellit, quæ illi quibusdam Scripturæ locis male intellectis comprobare nituntur; v. g. idem Concilium de peccato originali interpretandum esse docet locum Rom. V, 12; item loca, in quibus de fide ut sufficiente ad salutem primo obtutu mentio fieri videtur, non de *fide sola*, sed charitate conjuncta, ceterisque ad eamdem salutem necessariis Concilium Tridentinum accipienda esse docet, dum contrariam Lutheri doctrinam damnat; 3.° mediate etiam constat Ecclesiæ sensus ex ejusdem agendi ratione; v. g. dum aliquando longiores preces agit aut præcipit, non prohibitum id fuisse docet Matt. VI, 7; dum de B. Virgine dicit *Post partum virgo inviolata permansisti*, loca Matt. I, 25; XIII, 55, 56, aliaque similia, non de fratribus Christi uterinis accipienda esse docet, ut quidam tenent. b) Deficiente certa notitia sensus Ecclesiæ, ad unanimem Patrum interpretationem confugiendum est; qui quidem fidem primitivæ Ecclesiæ repræsentant, cum id no-

bis tradiderint, quod ipsi a majoribus receperunt. Hinc, si plures Patres in eodem sensu consentiant, aliquibus non reclamantibus, vel reclamantibus quidem, sed tamquam si hæresim tenerent plerique eos objurgent, tunc sensus iste tamquam catholicus habendus esset, etiamsi non omnes prorsus Patres conveniant; quod impossibile est, vel quia rem non pertractarunt, vel quia eorum opera deperdita sunt. Non igitur mathematice hæc Patrum unanimitas accipienda est, sed moraliter. Quod si Patres dissentiant, vel non prorsus confidenter interpretationem suam offerant ut doctrinam Ecclesiæ continentem, vel offerant quidem, sed alii contrarium teneant; ad alia subsidia confugiendum est ut verum Scripturæ sensum hauriamus. Agitur itaque de *consensu morali* Patrum magis conspicuorum, qui sex prioribus seculis floruerunt. c) Cum autem hæc sancierit Concilium Tridentinum servanda *in rebus fidei ac morum*, patet interpreti relictam libertatem suo sensui prudenter indulgendi in reliquis, v. g. in historicis, chronologicis, geographicis, archæologicis, aliisque omnibus quæ fidem aut mores nullo modo attingunt. Si enim immediate vel mediate, proxime vel remote fidem aut mores, eaque, quæ ad ædificationem christiani populi quoquomodo pertinent, nostra interpretatio læderet, jam fieret contra sensum Ecclesiæ, verumque Scripturæ sensum, quæ sibi contraria esse nequit. d) Denique, cum ad coërcenda petulantia ingenia id Concilium decreverit, constat legem universalem tulisse, perpetuoque duraturam, cum ratio semper subsistat, et periculum liberæ interpretationis semper immineat, cum gravi fidei, morum, animarumque salutis detrimento. Ex iis omnibus hæc generalis regula erit ab interprete catholico servanda: Sacram Scripturam interpretare juxta sensum Ecclesiæ directe vel indirecte, proxime vel remote manifestatum; quo deficiente, unanimem moraliter Patrum interpretationem sequere; quæ si desit, regulas generales interpretationis prudenter sciteque rimare. Quod si tuam interpretationem contra catholicæ doctrinæ hostes defendere cogeris, omnia adminicula adhibe, præsertim quæ contra quamlibet hostium classem validiora sunt. In Patrum vero et doctorum sensu investigando, cave accipias opinionem cujusdam hominis pro doctrina Ecclesiæ, nec confundas interpretationem latam, vel mystice accommodatam cum lit-

terali, quod ex prudenti eorum lectione et comparatione deduces.

668. Interpretatio quæ non lædit, sed conformis est Ecclesiæ fidei, dicitur *analoga ad fidem*, hæcque conformitas dicitur *analogia fidei*; quæ esse potest strictissima, quatenus cum ejusdem libri vel auctoris sensu ex aliis locis clare patenti convenit, vel minus stricta quatenus congruit reliquis Scripturæ sacræ libris, vel demum lata, si cum doctrina ab Ecclesia ex traditione definita. Ast non omnis interpretatio analoga ad fidem statim interpretatio catholica est; hæc enim vera esse debet, et non omnis interpretatio analoga ad fidem vera est, cum locus forte non ageret de illo fidei articulo, sed de alia quacumque re. Ita v. g. locus 1 Cor. VII, 37 exponitur a Perrone, quasi verba «*non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis*» de libertate hominis, quam dicunt a necessitate seu interna, intelligi debeant, quod verissimam et catholicam sententiam daret, sed hic non magis traditam, quam ubicumque de aliquo præcepto sermo est; nam ex toto contextu patet sensum Apostoli esse nullam divinam legem quemquam obligare ad filiam suam virginem servandam vel in matrimonium tradendam. Imo similes lapsus a theologis et exegetis viris summa cura cavendi sunt, ne veritates catholicæ tamquam imbecillioribus argumentis suffultæ facile spernantur.

669. Quod si quis objiciat, per has interpretandi regulas ab Ecclesia præscriptas, liberam tolli sacrorum librorum expositionem, vim ipsis inferri, ac omnem in exegesi progressum impediri, hæc habeto: α) non liberam interpretationem, sed nimis audacem et omnis freni ac regulæ exspertem tantum impediri, quæ dum toleratur, enormia paradoxa in Bibliis invenire solet, ac eo demum rem peduxit, ut sacros libros uti indorum Vedas aut muhammedanorum Coranum evolvat ac interpretetur, quod tristis experientia docet; β) plenam et omnimodam libertatem in nulla scientia dari posse, quæ, dum veritates jam cognitas habet, cultores suos cogit ut nihil prorsus inveniant iis cognitis veritatibus adversum: sic naturæ investigator nequit jam eas hypotheses ac theorias invenire, quæ legibus et fænomenis jam cognitis repugnent, quod si faciat, liber quidem fuit, sed pessimus naturæ scrutator, ac ab omnibus plane ridendus; γ) nec vis infertur Scripturæ dum locum unum cohærenter ad alium interpretari vel ipsi protestantes coguntur; cum enim v. g. locos in specie pugnantes conciliare debent, non plenam interpretandi facultatem habent; sed

nec vim textibus ita compositis illatam necessario admittent, eo quod et ipsi teneant nullam dari posse in sacris Bibliis veram contradictionem, saltem in rebus majoris momenti; nec nos igitur vim Scripturæ inferimus, dum eam juxta sensum jam cognitum ut verum interpretamur; δ) ridiculum vero est quod additur de omni progressu intercluso interpreti catholico propter obsequium ab ipso Ecclesiæ præstito, quasi nempe Ecclesia nihil jam interpretandum reliquerit, cum potius nonnisi paucissima loca ipsa interpretata sit; aut quasi nihil faciendum sit jam in locis ab Ecclesia interpretatis, quæ distinctius enucleari, roborari, cum aliis comparari, ab ineptis interpretationibus tueri, profundius scrutari possunt, atque ita immensum labori campum offerunt. Deinde in qualibet scientia melius ejusdem progressui consulitur ab eo qui partem scientiæ cognitam facilius accipit atque in incognitam postea descendit, quam ab eo qui omnia solus per se rimari conatur et ab ovo rem exorditur; melius incognitam regionem peregrinatur qui charta geographica et securo duce præditus est, quam qui hujusmodi adminiculis destitutus, maximum errandi periculum incurreret. Quod si interpretes protestantes plures sunt, et, suo judicio, catholicis præstantiores; hoc nihil moror, illud vero causis diversis erit tribuendum, minime vero Ecclesiæ præceptis et auctoritati, de quibus nullus unquam peritus interpres questus fuit, quasi suis investigationibus et lucubrationibus obstaculum quoddam in illis invenisset.

670. Idem dicas de legibus ecclesiasticis super versionibus linguis vernaculis factis, et damnatione societatum biblicarum eas contemnentium; hujusmodi enim versiones populo rudiori periculosæ et nocivæ sunt, ac minimam utilitatem conferre possunt, nisi adnotationibus opportunis obscuriora et difficiliora loca explanentur (quod dum fit, ab Ecclesia non prohibentur, sed laudantur), fanatismum provocant, et verbum Dei irrisionibus et sacrilegis usibus exponunt. Insuper societates biblicæ supponunt lectionem Bibliorum necessariam cuique esse ad salutem, quod veritati christianæ et communi sensui repugnat; translationes sæpe vitiatas offerunt; semper absque notis et explicationibus populo necessariis, ut non in errorem et superstitionem abatur; denique libros deuterocanonicos V. T. omittunt,

quod fidei catholicæ adversum est: ¿quid mirum igitur, si hæc tales societates et biblia talia exsecrata est ac sæpe damnavit?

CAPUT II.

Regulæ hermeneutices christianæ, qua talis, ex divino Bibliorum charactere ortæ: objecta rationalistarum: horum præcipua systemata exegetica.

671. Dum Biblia sacra merito habentur a christianis ut Spiritus Sancti oracula, quæ Ipse auctoribus inspiratis dictavit, ut divina veritas hominibus in perpetuum patesceret ad eorum salutem necessaria; planum est librum symbolicum religionis in ipsis nobis offerri, atque eo, ut tali, nos uti debere. Non est igitur in sacris Bibliis præcipue quærenda vel antiquitatis eruditio, vel scientiarum cognitio, vel litteraria cultura, vel quolibet aliud, cui tradendo a Deo inspirata non fuerunt; sed religionis divinæ res, Dei cum hominibus relationes, veritates crædendæ, præcepta servanda, divinæ revelationis progressus, aliaque cum iis connexa juxta scopum Dei Sacrarum Scripturarum præcipui auctoris. Hic præcipuus finis esse debet illius, qui sacra volumina perlegere studet, cætera veluti secundo loco ponenda; quamvis etiam sub isto respectu præstantissima longe sint, et in multis unica.

672. Sequitur etiam ex divino Scripturarum charactere nihil prorsus in illis inveniri posse, quod veritati adversetur, sive in theologicis rebus, sive in philosophicis, sive in moralibus. Idem dicas de notionibus cosmologicis, historicis aliisque, dum a Bibliis vere docentur, et non potius juxta communem opinionem et vulgatum loquendi modum, aut figurate, aut poëtice loquuntur.

673. Sequitur demum nullam veram inveniri posse contradictionem in doctrina theologica vel morali, nec in rebus historicis cæterisque ab Scriptura vere, et proprio scriptoris theopneusti nomine traditis. Hæ sacrarum Scripturarum in religiosis rebus præstantia et sapientia, in philosophicis profunditas et veritas, in moralibus sanctitas, in historicis

immo in scientificis, dum hæc ibi reperiuntur, accuratio, in omnibus suis partibus cohærentia et mira prorsus harmonia, meræ ac logice necessariæ consecutiones sunt divinæ earum inspirationis, suo loco enucleatæ ac vindicatæ.

674. Ex quibus sequentes eruuntur canones ab interprete Scripturarum christiano tenendi: 1.° Scripturam legas et interpreteris pio illo ac religioso spiritu, quo ipsa conscripta est. Hoc tamen non impedit quominus res historicæ, scientificæ, philologicæ, litterariæ, archæologicæ etiam in Scripturis quærantur; sed hoc fiat servatis omnibus quæ divino operi jure debentur. 2.° Ita interpretare, ut falsam sententiam libris sacris nusquam tribuas; licet plures in illis legantur hominibus impiis vel aliis tributæ, sicut in historicis, poëticis aliisque libris usu venit, quas tamen auctor illorum numquam probare censetur, ac multo minus auctor principalis, Deus. 3.° Loca inter se primo intuitu pugnantia concilies, omibus rite perpensis; quod si perficere nequas, scito aut codices esse vitiatos, aut te rem non intellexisse; hoc etiam tenendum est in servando canone præcedenti, ob idque editiones Sacror. Bibliorum criticas perlustrare juvat, eamque lectionem præferre, quæ, gravi fundamento suffulta, difficultatem tollat. 4.° Loca, quibus Scriptura narrationem vere historicam dare intendit, ut vere historica accipias, ac narrationis veritatem tuearis; non obstantibus antilogiis cum profanis auctoribus etiam fide dignis, quæ ex non bene assecuta alterutra narratione, aut ex diversitate narrandi, aut ex nominum mutatione, aut denique ex falsa auctoris profani narratione procedit, qui, velut homo, humani aliquid passus est. 5.° Eventus mirabiles verasque prophetias dum inveneris, nil morare ut veluti talia admittas: Dei enim opera sunt, qui facultatem agendi in mundo a se creato a nemine, quod sciam, exspoliatus est, et omnia novit.

675. Quod si increduli ac rationalistæ propositas regulas investigationi vere scientificæ oppositas conclament, et liberum Scripturæ studium, ejusque progressum, veramque cognitionem impedire; eadem fere respondeas, quæ antea de objectionibus similibus protestantium diximus. Veritas veritati contraria esse nequit: divina Bibliorum inspiratio veritas demonstrata nobis est, non pia credulitas aut vulgaris superstitio; nihil igitur mirum si regulas, ex veritate de-

monstrata logice deductas, et scientificas et veras esse firmiter teneamus. Deinde rationalistarum cum Scripturis agendi modus, sicut et universim cum de religione revelata sermo est, hoc tantum præjudicio nititur, velut principali fundamento, quod si corruat, omnis superstructa ædificatio corruat necesse est: quod nempe nusquam admittenda sit Dei actio supernaturalis, nec supernaturalis influxus in res humanas. Hoc autem, quia ab ipsis non demonstratur, et sensus communis refugit, et universum humanum genus pernegat, nec nos admittere cogimur (conf. potius n.° 620...) malumusque cum humano genere universo humiliter credere, quam cum uno alterove pseudophilosopho *scientifice* cogitare. Solus quidem homo metaphysicus, solus materialista (qui, licet ipse refugiat, metaphysicus et pravus metaphysicus est, quippe ex præjudiciis metaphysicis ad suas hypotheses et negationes perducitur) supereminens dominium Dei in universum et humanam historiam ignorare et pernegare potest. Sed ne in iis diutius immoremur, systetemata nunc rationalistarum exegetica rimemur, et num Sacræ Scripturæ vere et rationabiliter exponendæ opportuniora sint, videamus.

676. Omnia rationalistarum systemata ad Scripturas sacras interpretandas hæc quinque sunt, præter ea quæ in posterum invenire licebit iis, quibus omnia licent: *systema accommodationis*, *interpretatio moralis*, *systema psychologicum*, *mythicum ac legendarium*, quorum præcipui patroni exstiterunt Semler, Kant, Paulus, Strauss et Renan. Semler, principia omnia hermeneuticæ catholicæ et christianæ repudians, ut potæ *liberæ* et *scientificæ* investigationi Bibliorum contraria, mysteria insuper et miracula omnia, et quidquid supernaturale est rejiciens, Christi tamen sinceritatem et eminentem sapientiam admittens, ne alioquin a coævorum christiana conscientia condemnaretur; affirmavit Eum doctrinis, et superstionibus ac præjudiciis judæorum sese accommodasse ita, ut ipse omnia in specie *positive probaret*, ad melius inculcandam *naturalem religionem*. Quod, cum sit perpetuum et positivum mendacium Christo adscribere, qui «ad hoc venit in mundum, ut testimonium perhiberet veritati,» cum ejus characteri luce clarius in evangeliis depicto manifestissime repugnet, cum jam a patriarchis rationalismi desertum sit, nihil est cur diutius refella-

mus. ¡Præclarum sane accommodationis systema, quod depingitur, aliis omissis, Joan. VI, 61-68; VII, 44; Mat. XXIII, 1-39; Luc. XI, 39-54, et ad ultimum perfectionis apicem elevatur, dum judæi Christum crucifigunt!!!

E systemate philosophico a se demum invento deduxit Kantius nihil in Scripturis contineri, vel saltem nihil inde ad nos pertinere, quod dogma positivum et revelatum sit, sed tantum principia *rationis puræ;* miracula aliaque facta et adjuncta historica, cum sint quid externum respectu nostri, nihil valoris habere; quid ibi deceatur nihil nobis curandum esse, sed quid rationi conveniat; religionem aliam non esse quam, quæ eruitur ex principiis moralibus *rationis practicæ*; Bibliam retinendam esse, quatenus juvat ad agendum juxta eadem principia. Quod scholasticum systema, empiricum et scepticum, cum nullos patronos habeat, et totam religionem supernaturalem rejiciat, et absolutissimum individualismum inducat, ipsum per se rejicitur in disciplina nostra, ac proinde illius crisim philosophis relinquimus.

677. Systema psychologicum dicitur illud, quod invenit Dr. Paulus heidelbergensis, qui contendebat sola dogmata christianæ religioni essentialia esse, quæ rem moralem stabiliunt; ceteras Bibliorum doctrinas opiniones esse judæorum et Christi magis minusve erroneas; miracula et prophetias per analysim facultatum animæ psychologicam explicari posse. Insudat proinde ut in *Vita Jesu* eventus omnes supernaturales rejiciat, ac veluti animæ operationes explicet, extasi vel religioso enthusiasmo, falsis illius ætatis præjudiciis, aut etiam illusionibus et hallucinationibus subditæ. Ad id obtinendum perpetuam vim sacro textui infert, vocabulorum significationem pro nutu mutat, quod non evenit, aut saltem non narratur, supponit, quæ narrantur plura omittit, somnia, extases, eventus naturales, hallucinationes in subsidium vocat, dum iis opus habet; verbo, Scripturam aliam suo systemati accommodatam fingit. Quod quidem erit *scientificum*, quod germanicis exegetis supra omnia placet; sed Bibliorum sensum non tribuit, nudum non solvit nisi gladio, sensum communem passim lædit, et a rationalistis, saltem theoretice, jam omnibus rejicitur, inter quos D. Renan systema hoc *obtussum* appellat (grosero).

678. Interpretatio mythica, ab Strauss et *schola tubin-*

gensi præcipue adhibita, ea est, quæ passim Sacra Biblia per *mythos* explicat, ac ibi præsertim, ubi eventus supernaturalis est. Per mythos autem (μῦθος, fabula) intelligunt narrationes specie historicas, re vero falsas, quæ quidem inventæ sunt ad doctrinam quamdam moralem vel theologicam hoc involucro tradendam, vel etiam eventum historicum portentosis circumstantiis exornandum et aliquo modo explicandum, vel demum utraque de causa in narrationibus præsertim poëticis. Hinc triplex mythus juxta ipsos: philosophicus, historicus et mixtus; et in Bibliis exponendis non historica facta quærenda sunt, sed doctrina quam significant. Hæc primum ex populorum fabulis in V. T. adsportata sunt, ac demum etiam in N. T., atque ita ipsa vita et doctrina Christi per mythos explicari coepit. Nempe juxta Strauss, Christus natus est Nazarethæ, sicut et ceteri homines; a Jonnne baptizatus, plures sibi discipulos nactus est, cum quibus regionem Galilææ et Palæstinæ peragravit; adversarios habuit populi magnates, pharisæos, legisque doctores; nonnulla de idea messianica a suis popularibus concepta immutatus est, quibus demum peractis, ab adversaris damnatus est ac morti traditus. Reliqua, quæ in evangeliis leguntur, de conceptu supernaturali, de jejunio et tentatione, de miraculis, resurrectione et ascensione, non eventus historicos, sed fictas narrationes exhibent, ad discipulorum Jesu doctrinam exprimendam accommodatas, imo aliquoties narratiunculæ sunt miraculosæ in vulgus sparsæ, ac medio sæculo 2.° ab evangelistis conscriptæ. Hinc, quidquid de suo Messia judæi conceperant mente, iis paucis exceptis quæ ex Jesu doctrina in suos discipulos pervenerant, id omne in suum magistrum primi christiani et evangelistæ transtulerunt, certa ut plurimum scientia, aliquando etiam vulgari fama ducti. Quare, quia juxta hebræos Messias Bethlehemi nasciturus erat, propterea invenerunt evangelistæ edictum Augusti ut describeretur universus orbis, iter Josephi et Mariæ Bethlehem &c.; quia Messias minus quam Moyses et Elias non esse poterat, ideo Jesum jejunare in deserto fecerunt 40 diebus; quia post mortem Jesu fidelium mentes occupavit cogitatio resurrectionis ipsius, ideo coëgerunt resurgere, postea vero et ipsi re vera crediderunt &c. Ut autem hi crearentur mythi, spatium temporis satis amplum necessarium fuit, nempe usque ad medium sæculum

2m, ita ut systema consistere nequeat ex ipsius Straussi sententia, si evangelici libri genuini sint ac 1.° sæculo conscripti.

679. Porro systema hoc mythicum meris hypothesibus nititur nulla ratione suffultis, etsexcentis de causis rejiciendis a viro cordato. Supponit enim miracula omnia et quidquid supernaturale est, prorsus esse rejiciendum; evangelia authentica non esse; nonnisi medio sæculo 2.° conscripta; religiones omnes et gentes mythis esse fundatas; plures in evangeliis esse pugnas et incomposibiles narrationes; demum theologiam V. T. et judæorum ideas messianicas typum exhibere doctrinæ et historicæ evangelicæ. Hæc autem omnia, systemati philosophico incredulo ac falso primum suffulta, præoccupata abunde a nobis sunt, præsertim cum ageremus de librorum N. T. historicorum authentia et charactere historico, nec non de sacrorum Bibliorum inspiratione. Quod autem postremo loco ex adversariis attulimus ita falsum est, ut vix alio indigeamus argumento ad totum systema mythicum labefactandum. Nam judæi evangeliorum coævi aliam prorsus ideam Messiæ conceperant ab ea, quæ in evangeliis depingitur, quod multiplici argumento constat: ex ipsis nempe evangeliis passim (conf. Mat. XXVI, 63 et Luc. XXII, 66 cum Joan. XIX, 12; Joa. XVIII, 33, 37; ib. XIX, 2, 19, 21..; Luc. XXIII, 37 cum locis parall.); ex scriptoribus profanis Josepho, Suetonio et Tacito; ex commotionibus sæpe factis in populo judaico ab iis qui se *christos* dixerunt, de quibus plura apud Josephum, ob idque vastatus demum fuit populus hebræorum ab Adriano imperatore; ipsi denique Apostoli judaicam de Messia opinionem altius conceperant (Mar. X, 35; Luc. XIV, 21; Act. I, 6 &c.), nec nisi post Sp. Sancti adventum ab ea se penitus expoliarunt. Nec prætereundum est systema mythicum id non explicare quod intendit, fundationem christianismi absque miraculis et divinitate Christi; ac proinde hypothesim esse prorsus rejiciendam, ut illæ omnes quæ veritatibus demonstratis contrariæ sunt, ac deinde inutiles. Nisi enim Jesus a Deo missus fuisset ac miracula patrasset, et discipulos illuminasset et funditus convertisset, intelligi nequit horum absoluta fides, invincibilis constantia, et quidem absque ullo fanatismi vestigio (conf. Act. II, 14—36; ib. III, 12—26; IV, 8—20 &c. ac præsertim epistolas et ora-

tiones Pauli), ac multo minus admirabilis omnino sapientia, qua homines plebeii et rudes, religionem sanctissimam, ac societatem perfectissimam et firmissimam fundare potuerunt; id est, quomodo populares et illitterati homines, et invisi, et illusi ac fanatici, ex sententia adversariorum, id effecerunt, quod nullus unquam philosophus, imperator aut rex efficere potuit. Iis omnibus adde neutiquam fieri posse, ut systema mythicum cum sanctitate et bona fide ac miro animi candore priorum christianorum et evangelistarum conciliari a quopiam possit. Denique mythi, si qui sunt, temporibus ante-historicis originem sumunt, ad suplendam ut plurimum historiam paulatim conficiuntur, ex antiquissimis traditionibus varie corruptis, ex factis remotissimis, quibus nulla geographica ac chronologica lux affulget; hæc autem omnia in percognitum Augusti sæculum, scientiarum, culturæ civilis, ac celeberrimorum historicorum fama illustre, cadere nequeunt; quod pariter dicas de tota historia hebraica, ac præsertim de libris Regum et Paralipomenon, ubi contra mythorum consuetudinem plus abundare videntur miracula, quo historia recentior est.

680. Denique systema legendarium narrationes evangeliorum fere omnes rem vere factam referre admittit, sed circumstantiis miraculosis ab imaginatione populari inventis, et vere a simplici fidelium fide admissis, ornatam; aliquoties etiam evangelistæ juxta discipulorum fidem Jesu tribuerunt aut dicta aut facta, quæ Messias facturus credebatur; aut e contra, actiones Jesu non bene intellexerunt, vel ad eas explicandas V. T. loca varie contorquere assueverunt; plura denique evangelistæ confundunt, detorquent, de suo fingunt (ut de Luca præsertim asserit Renan), componere tentant, et doctrinam præcipue, si de Joanne sermo sit. Quod si horum rationes quæras, has tibi offert: quod nempe evangelia et acta Apostolorum miraculis plena sunt et supernaturalismo; quod scriptores plebeii et rudes erant; quod eorum opera popularibus additionibus referta sunt, donec circa annum fere 100,^{m} actualem statum obtinuerunt; quod in multis Flavio sunt adversa: quod demum commune fatum sit omnibus hominibus, qui magnum influxum exercuerunt in populum, ut nempe hic nusquam ut meros homines illos habuerit, sed semideos et cum diis comercium exercentes, naturamque universam pro libito dominantes,

(conf. adversus hæc duo systemata postrema n.° 499, 500, 502, 524 &c.). Quarum quidem rationum 1.ª sæpius jam soluta nihil ponderis habet; 2.ª maximam vim genuinitati et characteri historico affert, ut suo loco late disseruimus; 3.ª a nemine demonstrata est nec demonstrabitur, si sermo sit de interpollationibus, quæ historiam in re gravi attingunt, ut suo etiam loco; 4.ª vel nusquam probatur, vel si vera daretur contradictio, contra Fl. Josephum arguere liceret, imo et id ratio præscriberet, qui sane infallibilis non erat, nec rebus christianis tam familiaris sicut evangelistæ; 5.ª demum falsa est in sua generalitate; ac deinde, adjuncta diversissima, quæ in J—C historia concurrunt, nullam cum legendariis historiis analogiam permittunt. ¿Quid ad nos, si adhuc vivente Alexandro Magno vel ejus coæqualibus, mira de ipso narrari coeperunt? ¿Quisnam eorum mortem passus est v. g. ut eum filium Jovis testaretur vel miraculorum patratorem? Si, quia multa legendaria in historia sunt, omnes historias legendarias dicas; vel si quamvis miracula *impossibilia non sint*, ut fatetur adversarius sibi contrarius, quia plura non probantur, omnia statim rejicias; erit hoc expeditum et commodum iter, an vero philosophicum sit, aut valde scientificum, certe non video. Deinde systema legendarium in eadem incommoda plus minusve incurrit, cum systemate mythico, immo majora, dum evangelia scripta jam sæculo 1.° admittit, ideoque *legendas*, ut vocat, ab ipsis Apostolis et amicis Jesu admissas et toleratas et traditas fuisse; quod nonnisi a stupidis hominibus fieri potuit, iis præsertim adjunctis, quæ in re nostra concurrunt; et tamen isti homines societatem fundaverunt cujus nullum viderant typum, ex opinione ipsius Renan; id est, sapientissimi simul fuerunt et hebetes, prudentissimi et fanatici, sincerissimi et mendaces; quod quam acutum sit et scientifice deductum, quilibet percipere potest. Denique hypothesis renanica id non explicat, cui explicando inventa fuit, et in contradictiones innumeras incurrit, et omnia præteritorum incredulorum systemata, quæ repudiarat, pro libito passim admittit, et arbitrario quædam historica, quædam legendaria declarat, prout præconcepto systemati, de quolibet miraculo et supernaturali eventu ac doctrina rejicienda, convenit vel non. Hoc autem Scripturam interpretari non recte vocabis, sed cum ea ludere. Quod autem præterita omnia systemata pro

libito passim admittat, ideoque in eorum omnium difficultates plus minusve impingat, demonstratione non indiget. Ita e. g. custodes ad sepulchrum positos pernegat, et narrationem Matthæi pro necessitatibus controversiæ inventam esse docet (nempe fraudulenter, ut omnia interpretabantur materialistæ sæculi 18i); systema accommodationis, dum v. g. Jesum ait appellari amasse *filium David*, ad idque corroborandum in populo, *libentius miracula fecisse* (id est, specie tenus, juxta adversarium); interpretatio moralis admittitur, dum asserit nihil prorsus a Jesu traditum aut præceptum fuisse, nisi ut ipsum amarent; psychologica, dum v. g. aquam in vinum conversam negat, sed hidrias vino semiplenas, aqua replere jussisse Jesum docet, ac ita convivas allucinatos esse; dum multiplicationem panum explicat per nimiam turbæ sobrietatem; resurrectionem per exaltatam Magdalenæ phantasiam, aliaque hujusmodi sexcenta; mythicum denique, dum librum Straussi nimis laudat, solumque ob exaggeratum nimisque strictum systema reprehendit. Imo quandoque cogitur vel evangelistas falsi arguere certa scientia narrati, vel (quod fidem omnem superaret, nisi perspicue in sua *Vita Jesu* legeretur) ipsum D. J-C imposturæ reum traducit, dum in falsa Lazari resurrectione cum illo suisque sororibus convenit, ac rem demum simulavit. ¿Quid dicas de systemate, quod talia admittere cogit? Sed de iis omnibus confer dicta, ubi de Sacrorum bibliorum inspiratione, et etiam de librorum historicorum authentia et charactere historico. Igitur nullum rationalistarum systema exegeticum a præjudiciis vacuum est, ab incommodis gravissimis et absurditatibus non paucis, nec demum cum germana ac sincera catholica exegesi comparari potest.

CAPUT III.

De sensibus S. S. notiones variæ: an et quousque sit in Scripturis sensus mysticus seu typicus.

681. Scripturæ *sensus*, cui investigando Hermeneutica viam parat, illa sententia seu conceptus est, quem earum auctor principalis, Sp. Sanctus, exprimere voluit. Iste conceptus significari potuit duplici modo, immediato et mediato; unde

duplex datur Scripturæ sensus, *immediatus seu literalis*, et *mediatus seu mysticus* aut etiam *typicus*. Sensus literalis ille est, quem verba, sensu proprio vel translato, immediate designant; mysticus ille quem res ipsa designat sensu literali significata, idque ob characterem peculiarem V. T., qui typus propheticus erat Novi, prout demonstrabitur postea. Verba dicuntur sensu proprio adhibita, quum id designant, cui significando inventa sunt; translato vero, quum ex proprio in alium sensum trahuntur propter quamdam eorum analogiam, idque fit ope troporum ac figurarum, de quibus agunt rethoricæ institutiones. Hinc, sensus translatus, tropicus, figuratus aut metaphoricus verus sensus literalis est, nec confundendus cum mystico seu typico, qui ipsi sensui literali innititur. Rursum sensus mysticus in tres distribui solet, allegoricum, anagogicum et tropologicum, secundum quod refertur ad id quod credendum est, aut sperandum aut agendum (a). Sensus literalis exempla habes in universis Bibliis, nulla enim est illorum pars, sive magna sive parva, quæ non aliquid immediate significet; sensus autem mystici vel spiritualis in plurimis V. T. locis. Sic v. g. verba omnia quibus paschalis agni occisio et manducatio præscripta est (Ex. XII), sensu literali ritum ab hebræis servandum significabant; hic autem ritus figura, typus, cæremonia prophetica erat, quæ D. N. J. C. in cruce immolandum repræsentabat, talisque erat sensus mysticus eorumdem verborum, ut ex Joan. XIX, 36 constat: «*Factæ sunt autem hæc ut Scriptura impleretur: os non comminuetis ex eo*». Cum autem sensus mysticus non *necessario* insit Scripturæ verbis, sed ex Sp. Sancti voluntate procedat; constat ibi tantum inveniri, ubi Sp. Sanctus res in V. T. significatas ita temperavit, ut essent typi sive figuræ futurarum;

(a) Qui diversi sensus exprimebantur a veteribus iis versiculis (sed sensu late mystico omnibus fere Scripturæ locis concesso):

Littera gesta docet, quid credas *allegoria*,
moralis (hic est tropologicus) quid agas, quo tendas *anagogia*.

Quæ subdivisiones, cum in disciplina nostra minoris momenti sint, tantum ut veteres auctores intelligantur adductæ sunt. Verum operæ pretium est animadvertere, has voces sæpe a Patribus et expositoribus, præsertim asceticis, confundi, verusque illarum sensus ex contextu dignoscendus est.

quæ Sp. Sancti voluntas probanda est, non necessario supponenda. Qua in re duæ erroneæ sententiæ improbandæ sunt: incredulorum, rationalistarum, pluriumque protestantium, qui V. T. typos propheticos universim negant; et allegoristarum, qui in omnibus V. T. locis et verbis typos esse contendunt. Prima opinio fidem lædit; altera fundamento caret, rationi adversatur, et periculosa videtur.

682. Plura autem V. T. loca typum propheticum exhibere eorum, quæ in N. T. evenire debuerunt, constat 1.° ex ipso N. T., ubi hoc sæpe legitur. Sic, præter locum citatum (Joan. XIX 36), Paulus (1 Cor. X, 1—11) postquam multa aduxerat V. T. loca et gesta, ac de Christo interpretatus fuerat, ait: «*hæc autem in figura facta sunt nostri..... Hæc omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correctionem nostram*». Sic idem Paulus mystice exponit de Christo personam Adami (Rom. V, 14), Melchisedechi (Heb. VII, 3), Isaaci et Ismaelis (Gal. IV, 22-25), ac universim de lege dicit *umbram habuisse futurorum bonorum* (Hebr. X, 1). Talis etiam est unanimis Patrum et doctorum sententia, a qua, ex dictis circa hermeneuticam christiano-catholicam, recedere non licet. Eadem fuit hebræorum sententia, quam ipsi abunde testati sunt et exaggeraverunt, ut de Philone præsertim constat, et thalmudicis, juxta quos verbum quodlibet *sexaginta facies* habet. Immo judæi tempore J. C. ita V. T. typicum esse censebant, ut id ubique supponerent, et de Christo intelligerent plures prophetias sensu immediato de Salomone, juxta adversarios nostros, exponendas, v. g. Ps. CIX, ut ex argumentatione Christi adversus pharisæos discimus (Mat. XXII, 42-46), et Ps. XV, quod pariter discimus ex oratione Petri Act. II, 24-31; cui interpretationi ita populus acquievit, ut circiter tria hominum millia converterentur. Nec contra doctrinam istam argui quidquam potest; cum sensus mysticus nihil aliud sit quam prophetia realis, quæ majorem difficultatem non habet quam quælibet ordinaria prophetia; nec præterea confussionem inducit, nisi dum pro cujusque arbitrio sensus mysticus obtruditur, et non juxta prudentiæ et sobrietatis regulas, quas suo loco exponemus.

683. Omnia vero in V. T. typum seu figuram futurorum exhibere, erroneum putamus, licet universa V. L. *series* umbra fuisset futurorum bonorum; et hæc est sententia nunc communis, contra alle-

goristas sive figuristas tenenda. Sane modus hic significandi futura per illud quod olim evenit, extraordinarius est, ac proinde nonnisi post rationabilem demonstrationem admittendus, quæ adhuc desideratur. Nam verba Apostoli (1. Cor. X, 11) ab adversariis allegata, non de omnibus præteritis populi hebraici rebus accipiuntur, sed de illis, quæ paulo antea adductæ erant; ait enim, *hæc* autem omnia in figura contingebant illis. Hanc sententiam repudiat S. Agustinus (de Civ. Dei. l. XVI, 2) dicens: «Mihi autem sicut multum videntur errare, qui nullas res gestas in eo genere litterarum aliquid aliud præter id, quod eo modo gestæ sunt, significare arbitrantur; ita multum audere qui prorsus ibi omnia significationibus allegoricis involuta esse contendunt.» Rationi etiam repugnare videtur ut omnia quæ in V. T. plurima domestica, politica, bellica, poëtica, bene vel male facta ab hebræis et extraneis, eventus naturales, a Deo auctore SS. Scripturarum directa sint ad aliquid typicum et propheticum significandum; præsertim cum hæc significatio nenimi pateat, ac nullam proinde utilitatem præseferat. Denique periculosa sententia hæc est, quatenus divinam Scripturam infinitis cavillationibus et deliris interpretationibus exponit, ac neglecto facile sensu litterali, risum et subsannationes incredulorum provocat, dum prophetica mysteria quærit v. g. in præceptis decalogi, in puteo Isaaci, in asinis Saulis, in pondere ferri hastæ Goliath, aut capillorum Absalonis, in cane Tobiæ, in Miphibosetho claudicante aliisque sexcentis. Quod si ex similibus argumenta et comparationes deducere velis ad populi ædificationem, per me licet; sed talis non est sensus mysticus a Sp. Sancto intentus, de quo nunc agimus.

Quod si locus quidam sensu mystico accipiendus demonstretur, jam sensus Scripturæ est a Sp. Sancto intentus, ideoque vim probandi habet non secus ac sensus litteralis. Sic v. g. Jonam repræsentasse Christum, sicut et serpentem æneum, discimus ex Mat. XII, 40 et Joan. III, 14; ac proinde ex locis allegatis Jonæ et Numerorum recte arguere possumus Christi mortem in cruce, ejusque resurrectionem tertia die fuisse prædictas. Quod si inSumma theol. p. I. q. 1 art. 10 ad 1,[um] dicatur ex solo sensu litterali trahi argumentum posse, non autem ex his quæ secundum allegoriam dicuntur; aut res ibi non bene rimata fuit, aut diversum habet sensum vocabulum adhibitum (allegoriam), nam sententia nostra patet.

684. Nonnullis sensus mysticus idem est ac sensus *accommodatitius* (mysticum *spiritualem* vocant), qui habetur dum verba Scripturæ adhibentur ad conceptum nostrum

melius explicandum, non ita tamen, quasi sensum Scripturæ proprium exprimere velimus: seu est sensus ille quem dant Scripturæ verba, imo et res, quando adhibentur quacumque alia significatione, diversa a literali vel mystica, a Sp. Sancto intenta. Sic e. g. dum Pius V de Joanne Austriaco dixit: «*Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes*,» nihil aliud fecit quam proprium conceptum explicare per verba ex Joan. I, 6 desumta. Similiter, si quis populum edocere vellet de periculo ob pravorum hominum consuetudinem imminenti, forsitan laudaret verba illa «cum sancto sanctus eris... et cum perverso perverteris» (Ps. XVII, 27), quæ diversum ibi sensum habent, ac proinde sensu accommodatitio tantum hoc loco recte uteretur. Ita Patres, et christiani oratores sæpissime Scripturam allegare consueverunt; quod quia non fit animo talem sensum sacris Bibliis adscribendi, nisi ad summum probabiliter; quia fit supposito sensu litterali; quia is numquam violatur; quia sobrie et prudenter fieri solet; quia analogia non nimis a longe quæritur, nec proinde ludibrio Scriptura exponitur; denique quia fit ad fovendam pietatem populique ædificationem, nullo modo damnandum est, sed tenendum. Quod si hæ conditiones non serventur, abusus erit damnandus, juxta mentem Concilii Tridentini (Ses. IV); si vero eadem res obtineri commode posset verbis Scripturæ sensu litterali adhibitis, hoc esset longe præferendum, utilius esset, et sacrorum librorum inspirationi conformius. Hic sensus *accommodatitius*, quia sæpe a Patribus *mysticus*, *spiritualis*, *mysterio gaudens* dicitur, cum sensu mystico seu typico superius descripto confundi nullo modo debet; ideoque in omni Scriptura inveniri potest, dum sensus vere mysticus in N. T. adesse evincitur a nemine.

685. Denique a nonnullis disputari solet num idem Scripturæ locus duos vel plures sensus litterales habeat; atque a P. Patrizzi cum plerisque jure negatur, tum quia nulla solida ratione evincitur, tum quia insolita res esset inter scriptores, quorum consuetudini et ingenio sese accommodare voluit Spir. Sanctus, tum quia confussio facile oriretur in sacris libris exponendis, et eorumdem ab incredulis subsannatio. Si quæ Patrum auctoritas in contrarium adduci posset, rationabili explicatione temperetur; qui, ut plurimum, de duobus sensibus vim demonstrandi habentibus loquun-

tur, litterali et typico; vel decernunt nullum rejiciendum esse ex variis sensibus literalibus *probabilibus*, ob singulorum incertitudinem. Hinc, quoties Patres et interpretes de sensu alicujus loci literali discrepant, aut res in sua probabilitate maneat, aut, si fieri potest, optimus et verus sensus eligatur, ceterique deserantur debita reverentia. Si quis contendat aliquando factum fuisse, ut scriptor vel propheta in aliam rem fuisset intentus diversam ab ea, quam Spiritus Sanctus exprimere voluit; nec sic quidquam conficeret, non enim essent ii duo sensus Scripturarum, sed unus tantum a Spiritu Sancto, vero *Scripturæ Sacræ* auctore, intentus.

CAPUT IV.

Canon generalis hermeneuticæ communis: de usu loquendi: expedit linguas biblicas callere, ac primo hebraicam.

686. Expletis jam breviter, quæ dicenda erant de regulis exegeticis a viro christiano et catholico in Bibliorum interpretatione tenendis, ac iis præmissis, quæ de Scripturæ sensibus magis necessaria visa sunt; jam universum regularum Hermeneuticæ communis complexum hoc canone comprehendere licet, veluti primo ac universali hujus disciplinæ principio:

Sensum Scripturæ cognosce et pande ope communis usus loquendi, orationis contextus, et conditionis loquentis internæ et externæ. Proinde agendum nobis est 1° de usu loquendi, 2° de orationis contextu, 3° de conditione loquentis interna, et externa. Nam quisquis verbo vel scripto quidquam ceteris manifestare intendit, modo humano loquitur aut scribit, verbaque ab aliis cognita communi modo nectit; qui tamen modus et verborum significatio, cum diversa esse possit, ex orationis nexu ut plurimum dignoscitur, nisi peculiaribus conditionibus vel circumstantiis loquens subjectus sit, quæ usitatum loquendi modum quidquam immutent.

687. Usus loquendi generatim est modus constans, quo gens quædam aut certa hominum classis propriæ linguæ vocibus utitur ad suos conceptus et animi sensus ex-

primendos. Hic modus duo complectitur: usitatam vocabulorum significationem, et propriæ linguæ verborum conjugendorum leges; seu leges *lexicas* et *grammaticas*. Quæ, quia diversis nationibus et populis diversæ sunt, nec cum rebus significandis necessariam connexionem habent, patet necessitas eas addiscendi, ut quisquam loquentem aut qualibet lingua scribentem probe intelligere possit. Igitur usus loquendi Scripturarum erit apertus illi, qui verborum significationem earum linguarum, quibus scriptæ sunt, optime comprehendat, ac simul earumdem leges grammaticas. Quia vero vulgata latina versio *authentica* est, satis erit latini idiomatis cognitio ad Scripturas interpretandas, saltem quatenus opus est ad fidem moresque informandos; non tamen ad omnia rite perscrutanda, officiumque doctoris adimplendum, propter qualitates plurimas peculiares, quibus Vulgata abundat, ex charactere item peculiari linguarum, a quibus originem habet. Præterea, versio vulgata non eo sensu authentica declarata fuit, quatenus originales textus non sint authentici, sed quatenus, iis in sua auctoritate manentibus, fideliter eorum sensum exprimit; ac proinde ad originalia confugere licet et expedit, imo quandoque necessarium est, ad Vulgatæ lectionis sensum optime intelligendum.

688. Necessaria est igitur, ad omnia ad unguem perficienda, linguarum Scripturæ originalium cognitio multiplici ex capite, 1° quia vulgata versio sæpe abundat aut deficit, licet in rebus minoris momenti, nec ad fidem, mores, historiæque seriem pertinentibus, 2° quia non minus frequenter variat, 3° quia quandoque obscurior est, et ex collatione cum originali non parvam accipit lucem, 4° quia plurima servat linguarum originalium propria, quæ latinam consuetudinem non sequuntur, 5° quia ipsæ linguæ originales peculiaribus qualitatibus gaudent in libris V. ac præsertim N. T., quæ grammaticam specialem postulant, 6° quia Clemens VIII potestatem fecit vulgatam versionem etiam juxta textum hebraicum corrigendi, prout ex P. Vercellone constat, ac revera factum fuit, 7° quia demum hæc omnia confirmantur præstantissimorum interpretum exemplo, tum ante, tum post Concilium Tridentinum, inter catholicos et inter protestantes, hodiernis potissimum temporibus, ob philologorum nescio an potius grammaticorum

petulantiam, qui gravissima quæque ex tripode definiunt futilibus sæpe grammaticis rationibus, etymologiis, vel analogia etiam a longe ex semiticis dialectis petita.

689. Necessarium igitur est Sacram Scripturam interpretari ac vindicare conantibus hebraicæ linguæ in primis operam dare, ex qua tum verborum tum sententiarum Vulgatæ nostræ recta cognitio sæpissime pendet. Sic, Ps. CXXXVIII, 15 legitur: «Non est occultatum *os* meum a te»; quod de *ore* dictum intelligi vetat verbum hebraicum עֶצֶם *os, ossis*. Etymon verborum ad eorum sensum et anomalam latinam constructionem aut usum figuratum valde juvat, e. g. חָלַל significat sæpe *profanare*, Ez. VII, 24 (Vulg. possidebunt), ex etymo *perfodere, aperire*, et ita cuivis accessum præbere: עָגַב primo significat *flavit, spiravit*, hinc *aspiravit*, hinc *amavit* maxime de amore impudico et voluptuoso (Ez. XXIII, 5), atque ob etymon construitur cum præp. *ad* עַל: similiter אַף et אַפַּיִם, nares, sæpe *iram* significant ex radice אָנַף *præ ira spiravit naribus*. Verba item hebraica diversos habent sensus, qui non semper ab interprete vulgato ad unguem distincti fuerunt, aut etiam diverso modo inter se conjuncta sunt ab eo, quem interpres legit. Sic ait Ps. LXX, 15: «Quoniam non cognovi litteraturam introibo in potentias Domini»; ubi absonus sensus pendet ex non bene assecuta vi particulæ כִּי (hic *quamquam, quamvis*, non *quoniam*), et ex conjunctione verborum «quoniam non cognovi litteraturam» cum seqq., quæ tamen in hebræo cum præcedentibus conjuncta sunt, atque hunc sensum reddunt: «Os meum annunciabit justitiam tuam, tota die salutare tuum, *ego qui* (vel *quamquam*) rei tantæ impar sum (quod ita vertit mss. escurial. 3um: e mi boca contará tu justicia, todo el dia tu salvacion, *aunque no lo se contar*). Ex peculiari forma quam habet in Vulgata nostra v. 7 Ps. IV «*signatum est* super nos lumen vultus tui, Domine», orta est nimium vulgaris et falsa interpretatio, juxta quam ageretur hic de *lumine rationis* seu *primis intelligibilibus*, ut scholastici loquebantur; cum tamen nil prorsus sit, sed de aliqua re exteriori, de auxilio externo Dei agatur, in angustiis, quæ vatem ejusque socios circumdabant; quod, præter contextum, demonstrat vocabulum נְשֵׂה־עָלֵינוּ, *ostende coram nobis, erige super nos lucem vultus tui* (auxilium tuum), *Jehovah* (a).

(a) Id est: faciem tuam hilarem, lætam, seu potius lætificantem ostende; oritur enim a verbo נָשָׂה *sustulit, extulit* (unde Jer. IV, 6 *Levate vexillum*), et ex verbo synonimo נָסַס descendit נֵס *vexillum;*

CAPUT V.

Utilitas linguæ chaldaicæ, syriacæ et arabicæ: harum usus criticus: lingua græca: auxilium antiquarum versionum, præsertim alexandrinensis: nonnulla exempla.

690. Idem pene dicas de lingua chaldaica, tum propter utriusque affinitatem, tum propter quædam librorum V. T. fragmenta chaldaice scripta, tum denique propter innumeros chaldaismos in hebraicis textibus occurrentes, ex quibus non paucæ nec spernendæ quæstiones exegeticæ et etiam criticæ enascuntur. Sic vox Gabbatha, *locus elevatus* procedit ex chald. גבתא *locus editus, clivus*; maranatha, *Dominus noster venit* ex syr. chald. מרנה אתה. Eadem dialecto syriacæ ac linguæ arabicæ applicanda sunt, quarum cognitio ad hebraicam et chaldaicam plurimum juvat, atque ad veram vocis hebraicæ nonnisi semel occurrentis aut minus usitatæ significationem dignoscendam non raro inservit. In harum tamen linguarum usu excessus etiam vitandus est, præsertim si de arabica sit sermo, cujus monumenta scripta paulum superant Muhammedis tempora, quæque cum hebraica minorem servat analogiam quam lingua syrorum. Accedit ad hæc non raro vocabula affinia vel identica in dialectis ejusdem linguæ diversos habere significatus, ut לחם panis, arab. *lagem* caro; בשר caro, *bisar* pellis; ישן dormivit *vasin* dormitavit; נום dormitavit, *nama* dormivit, &c.

691. Quod autem ad horum linguarum usum criticum in Sacris Bibliis attinet, hæc animadvertenda sunt: 1° historia linguæ hebraicæ ac ceterarum semiticarum non ita patet, ob monumentorum defectum, ut ex cujusdam voca-

quasi nempe vates diceret: «dum omnes, seu multi ex meis desperatam jam causam lamentantur, ego te Deus deprecor ut tuam protectionem super me manifestes. (Conf. simillimas phrases Ps. XVI, 1; XXX, 17; LXVI, 2; LXXIX, 8, 20; CXVIII, 135, &c.). Similia loca inveniri possent in N. T., ubi, propter characterem hebraicum linguæ, non raro utilis est hebraicæ cognitio, quod inter alia majoris momenti, demonstrant voces *amen*, *alleluya*, *aceldama*, *gehenna*, *corban*, *hosanna* (salutem largire, quæso, הושיעה־נא) &c.

buli aut constructionis usu statim determinare possis originem, locum aut tempus quo liber scriptus est; 2° temerarium sæpe esse judicium, quo verba rariora, aut semel occurrentia *(apaxlegomena)*, aut alterius dialecti, aut serius scripta decernas, etsi in prædicta dialecto communia sint; fieri enim potest ut verba plura in diversis dialectis adhibeantur, sed nunc raro, nunc communiter, nunc in lingua populi, num etiam in elegantiori et scripta. Sic vocabulum quodlibet commune esse potuit syris, palæstinensibus et arabibus, sed inter syros frequens et styli cultioris, inter palæstinenses usus plebeii, inter arabes rarum aut aliquantulum diversæ significationis; quo tamen scriptor hebræus, præsertim poëta, aut qui solus specialem argumentum tractavit, v. g. Ecclesiastem aut Canticum Canticorum, uti potuit, quin propterea jure dicas librum Salomonis esse non posse, sed alterius scriptoris syriacismis aut chaldaismis assueto, vel ætatis longe posterioris. Ob hanc igitur causam tunc solum quidquam certi concludere licet, quum horum vocabulorum usus longe frequens est, v. g. in Jeremia aut Ezechiele, vel cum aliæ rationes historicæ aut alterius generis id suadent; 3° nec prætereundum impossibile prorsus esse ut tota hebraica lingua in paucis, quibus Biblia constat, libris contineatur; cum plura vocabula desint ad universas populi ideas repræsentandas, dum eadem idea non raro pluribus vocabulis exprimitur, ac concludendum propterea sit, multo abundantiorem fuisse vulgarem linguam in usu populari adhibitam; quibus quidem vulgaribus vocibus scriptor hebræus uti quandoque potuit, quamvis in stylo cultiori usum non obtinerent; 4° demum scriptor quidam, aut in dialectis vicinis eruditus, aut in septemtrionalibus Palæstinæ regionibus degens, quædam vocabula aut constructiones aramaicas adhibere potuit, multo ante quam hebraica lingua ex primitiva sua puritate cederet. Igitur in re critica non sunt quidem spernenda argumenta, quæ ex dialectis semiticis aut etiam alienis eruuntur; sed eam vim non habent, quam passim illis tribuunt liberiores critici, ac monumentis historicis et traditionalibus minus quam par est tribuentes. (Conf. n.° 63).

692. Græcam denique linguam interpreti Bibliorum necessariam esse, demonstratione non eget. Illud tamen advertas velim, non præcise classicam atque elegantiorem

linguam græcam rei nostræ tantum convenire, quantum seriorem, ac temporibus Alexandri posteriorem, alexandrinam nempe, cui N. T. scriptores assueti erant, tum quia vulgaris erat sua ætate, tum quia versio alexandrina communis apud judæos etiam palæstinenses fuit, ut ex locis plurimis N. T. constat. Hinc factum est, ut græca N. T. lingua peculiares anomalias admiserit, quæ sæpe difficultatem ingerunt; præsertim quia locutiones et etiam constructiones aramaicas adhibet, popularis est, nempe omnis generis hominibus destinata, ac demum quandoque modismos servat illius provinciæ, qua scriptor natus est, quod in Pauli epistolis circa *cilicismos* eruditi disputant. Est ergo lingua N. T. græca *alexandrino-judaico-christiana*; multa enim vocabula et phrases scriptores christiani invenerunt ad res novas exprimendas, quas proinde frustra in auctoribus profanis antiquioribus quæras, sed potius in Patribus græcis. Proinde ad usum loquendi græcum N. T., præter media ad græcam linguam discendam consueta, scriptores hebræos Philonem et Josephum, alexandrinos, Patres orientales adhibeas, vel potius peculiarem N. T. dialectum apud auctores rem hanc pertractantes discas, (quorum præcipui sunt Winer, et Beelen: *Grammatica græcitatis N. T.*).

693. Usus loquendi Scripturarum verusque illarum sensus optime sæpe discitur ex antiquis versionibus, præsertim alexandrina, Aquilæ, Symmachi ac Theodotionis fragmentis, siriaca *peschito*, Sancti Hieronymi ex textu originali ab ipso facta; nec non paraphrasibus Onkeli et Jonathanis. Istæ namque versiones vicinæ sunt tempori, quo lingua originalis adhuc viva erat, vel saltem in scholis et publicis ceremoniis synagogarum, et ex aliqua parte adhuc in usu populi conservabatur, et earum pleræque a viris compositæ sunt, quibus lingua hebrææ affinis vernacula erat, qui ergo longe securius plerumque ex sua dialecto vocis hebrææ potestatem colligere poterant, quam philologi sequiorum temporum. Ipsi etiam interpretes suo officio plerumque functi sunt summa religione, ut pote qui *libros sacros* interpretari judicabant, usui item sacro populi destinatos, ac denique judæi fuerunt, quibus et Sacra Biblia, et universæ hebræorum res, familiares erant; unde eorum labores summa laude a suis excepti sunt, quod de versione alexandrina, syriaca ac paraphrasi chaldaica On-

keli ac Jonathanis certissimum est. Modestiæ ergo est nostris derivationibus ex aramaismo et arabismo non nimium fidere, spreta antiquorum auctoritate; nec versiones antiquas condemnare, nisi ratio aperta id suadeat, præsertim si de alexandrina sermo sit, a judæis omnibus summo plausu, imo superstitiosa veneratione suscepta, nec prius repudiata quam christiani vaticinia ex ea desumere consueverunt adversus judæos pro nova religione. Accedit immensum pondus quod huic versioni contigit ex usu illius perquam familiari Evangelistarum, Apostolorum ac Christi ipsius; unde constat philologorum illorum petulantia, qui versionem Alexandrinam repudiant, quoniam aut hebraico textui nunc extanti non semper omnino convenit, aut systemati metaphysico-grammatico ab ipsis nimis dilecto contraria est.

694. Jam nonnulla ejempla adducere pronum est, ut harum versionum utilitas pateat, earum præcipue, quæ immediate ab hebraico textu vel græco N. T. derivant, et antiquissimæ sunt, quæque rem prorsus definiunt, quum dialectorum analogia ipsis favet. Vocabulum מִכְתָּם quod in psalmorum inscriptionibus aliquoties occurrit, non pauci cum Gesenio vertunt *aureum, prætiosum*, a כֶּתֶם *aurum* (Gesenius sententiam jam mutavit); sed alexandrinis est στηλογραφία, *inscriptio*, quam vocabuli potestatem esse legitimam confirmat hebr. כְּתָב, ac syr. pariter. (Conf. Ps. XV; LV-LIX primo vers.). Vocabulum עָבַד *servire*, LXX vertunt aliquoties egregie λατρευεῖν, *sacrificare, cultum religiosum Deo præstare* (Ex. III, 12; IV, 23; Deut. IV, 28; VII, 4), cui sensui respondent arabum et samaritanorum linguæ eadem voce. Quandoque versio antiquissima ex usu quotidiano cognitam vocabuli potestatem magis quam ipsum vocabulum interpretatur, ut e. g. syriaca simplex verba «*in fractione panis,*» τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου (Act. II, 42) vertit «*et in fractione Eucharistiæ*»; quod quam prætiosum aliquando sit nemo non videt. Item aliquoties versiones antiquæ et originalis sensum et veram lectionem docent, ut in trito illo (Ps. XXI, 18) «Foderunt manus meas et pedes meos); quæ verba in hodiernis bibliis hebraicis leguntur כָּאַרְיֵ *sicut leo*, nempe, *congregatio malignorum percussit me, sicut leo manus meas et pedes meos.* Jam vero versiones antiquæ descriptam vocem *verbum esse senserunt*, quod significet *fodere, figere* &c: alexandrini ὤρυξαν, Aquila ἤσχυναν, arabs *lacabú*, peschito, vulgata, ipse denique contextus; nec nisi targumis-

ta psalmorum sæculi 7 vel 8 primus vertit *sicut leo*, qui tamen participium addidit כארי נכתין, *sicut leo mordentes*. Idem dicas fere de voce שילה, *qui mittendus est* (Gen. XLIX, 10): de voce העלמה, *virgo*, Isa. VII, 14, quam tamen vocem seriores interpretes græci per *juvenem* interpretati sunt, argumentis christianorum jam attendentes (a).

CAPUT VI.

Quid has linguas ignorantibus conveniat: præcipui vulgatæ versionis idiotismi.

695. Quid autem facias si prædictas linguas ignores, nec sit tibi commodum aut possibile earum studio incumbere? Nequidquam desperandum animo est, sed ad versiones optimas confugiendum, quæ linguis modernis factæ sunt; ad versiones latinas bibliorum polyglottorum, præsertim Waltonis, quin tamen has versiones omnibus numeris absolutas credas, licet satis fideliter textum hebraicum, græcum, chaldaicum, syriacum &c. reddant; denique ad præstantissimos Bibliorum expositores, eos præcipue qui, linguis semiticis ac græca instructi, sensum litteralem investigare conantur. Sane, re bene considerata, in quolibet casu hominibus fidendum est; cum nemo, nisi extraordinario ac prorsus incredibili ingenio præditus, eas omnes disciplinas addiscere optime valeat, quæ necessariæ aut utiles sunt ad universa Biblia plenius et ad unguem rimanda. Non enim ad hæc sufficit linguarum cognitio, sed etiam, imo præcipue, sacræ theologiæ, historiæ, orientalis litteraturæ, archæologiæ, chronologiæ, geographiæ, scientiarum naturalium, aliorumque plurium adminiculorum; quæ quidem ali-

(a) Hæc vox in mss. escur. 3° ex hebræo translato ita vertitur in locis omnibus, quibus occurrit: Gen. XXIV, 43 la moza; Ex. II, 8 la manceba; Is. VII. 14 ahe la virgen preñada, e parirá fijo (hæc verba manus posterior delevit ac scripsit *manceba* preñada; Cant. I, 3 (vulg. I, 2) las mozas; ib VI, 8 (vulg. VI, 7) E sesenta son las reinas e ochenta las concubinas, e *mozas* non hay cuenta; Ps. LXVIII, 26 (vulg. LXVII) e entre las mancebas los panderos; Prov. XXX, 19 la mujer.

qua profundius investigare quis in vita sua potest, omnia non potest. Hinc fit, ut plurima adhuc inter eruditissimos et theologos et orientalistas desiderentur, ad innumeras omnis generis difficultates solvendas, quæ ex lectione Bibliorum, præsertim V. T., exoriuntur; dum omnia distincte enucleare, comparare, cum monumentis profanis antiquis et recentioribus componere, argumenta ex omnibus fere scientiis petita solvere, ceteraquæ præstare conantur, quæ sacrorum librorum dignitas et sanctitas postulant. Unusquisque ergo hæc, quæ magis necessaria sunt, pro viribus addiscere satagat; quæ ejus facultatem superant, e sapientioribus accipiat.

696. Quamquam linguas Bibliorum originales ignorantibus non minimum subsidium conferunt, quæ a pluribus factæ sunt, idiotismorum collectiones in vulgata versione adhuc manentium; ex quibus præcipuos hic subjicimus, ad eumdem finem ex Tirino contractos, paucis mutatis. 1° Initio quorumdam librorum leguntur particulæ *et*, *autem*, *igitur*, *ergo*, quæ tantum subindicant rem aliquam antegressam in animo scriptorem habuisse, non vero initium libri alterius continuationem esse. 2° Plures dantur hebraismi, qui aliquando secundum latinam syntaxim solœcismi videntur S. Hieronymo. 3° Quoniam hebræi casibus declinationis carent, invenitur aliquoties unus pro alio v. g. 2 Cor. VIII, 23 «Sive pro Tito, sive *fratres*,» pro *fratribus*; Eph. II, 2 *Spiritus* pro *Spiritum*. 4° Tempus etiam pro tempore sumunt, præsertim præteritum pro præsenti vel futuro. 5° Ad exprimendum comparativum utuntur positivo sub hac formula e. g. «bonum est (*melius est*) confidere in Deo, quam confidere in homine,» vel affirmant quod majus est et negant quod est minus v. g. «misericordiam volui et non sacrificium» (malui quam sacrificium), «non ego, sed gratia Dei mecum» (potius gratia quam ego), «patrem nolite vocare vobis super terram, unus est enim pater vester qui in coelis est» Mat. XXIII, 9 (appellate patrem Deum potius quam patrem carnalem) &c.; imo aliquando de eo quod minus est in comparatione, qualitates contrarias affirmant, v. g. «Jacob dilexi, Esau odio habui» Mal. I, (multo magis Jacob quam Esau dilexi). 6° Verba minus significantia aliquando adhibent, quam quod exprimere volunt, e. g. 1 Mac. II, 21 «non et *utile* nobis relinquere legem» (perniciosissimum est), Philem. v. 11 «qui aliquando *inutilis* tibi fuit» (id est injuriam fecit suo furto). 7.° In sententiis et gnomis per comparationes factis signum comparationis omittunt, e. g. «Favus mellis composita verba»; Increpa *feras arundinis*, *congregatio tau-*

rorum in vaccis populorum (Ps. LXVII, 31) (crudeles hostes, qui sicut feræ... et sicut congregatio taurorum &c.). 8° Propter verborum penuriam una vox plura significare solet, etiam si analogia remota quandoque sit, unde diversitas interpretationum nascitur, cum non semper hæc verborum differentia perspicua sit: hinc feliciter vulgata versio vocabulum חיל *quod quis valet* designans, reddit 2 Reg. XXIV, 2 *princeps exercitus*, 1 Reg. XIV, 52 *vir fortis aptus ad prælium*, Ruth III, 11 mulier *virtutis*, ib. II, 1 homo dives et *magnarum opum*. Idem dicas de præpositionibus, v. g. *ad* sæpe ponitur pro *de* (Hebr. I, 7); *in* pro aliis multis, et etiam redundat; *et* copulativa non semper est, sed quandoque disjunctiva, adversativa, vacans &c.; *quoniam* vel *quia* pro *etsi*, *quamvis; contra* pro *ab* vel *ex* (Act. XXVII, 14) (a). Similiter vocabulum *si* non solum conditionale est, sed admirantis, imo et negantis v. g. 3 Reg. XVII, 1: vivit Dominus *si* erit annis iis ros et pluvia... (neutiquam erit nos...); unde post verba jurandi sensum negantem dare solet (Ps. XCIV, 11) «quibus juravi in ira mea *si* introibunt in requiem meam» (non introibunt): particula *nisi* juramenti execratorii quandoque est, v. g. Is. V, 9 «nisi domus desertæ fuerint (id est *non habear Deus*, vel quidquam simile, *nisi* domus &c., sicut et latini dicunt: *dispeream, nisi hoc fecero*. 9.° Una eademque res pluribus vocabulis designatur, præsertim si plures habeat proprietates; quod de doctrina Dei revelata notissimum est in Ps. 118, et de Messia in universis Bibliis, quod præclare pertractavit noster Fr. Luis de Leon in suis *Nombres de Cristo*, et sub respectu philologico-apologetico Cl. Drach, in *Letres d' un Rabin converti*. 11° In nominibus lapidum, plantarum, animalium designandis, sæpe verbis ambiguis utuntur hebræi, et significationem vagam præseferentibus; unde non semper certo scire possumus rem quam significant; determinatur vero sæpe ope contextus, linguarum affinium et historiæ naturalis notitia, etiamsi versiones nomina hebraica reliquerint, vel etiam aliarum rerum nominibus analogis transtulerint. 11.° Cum in nominibus propriis significatio symbolica quandoque esset, non nomen ipsum, sed ejus significatio translata est, v. g. Gen. XXVI, 20 nomen putei erat עשק *calumnia*, et v. 21 שטנה, *inimicitias*; Oseæ I, 6 et 9 vocatur filia prophetæ לא רחמה *absque misericordia*, et filius לא עמי *non populus meus*; Gen. XLV,

(a) Ita enim contextus postulat, et vocabulum gr. κατα hanc significationem patitur, v. g. (Luc. VIII, 33) «et impetu abiit grex *per* præceps» (gr. κατα), nempe ex rupibus in stagnum demersus est.

45 vocatur Joseph a Pharaone *Salvator mundi* צפנת פענח (a). Hæc propriorum nominum interpretatio quandoque obscuriorem sensum reddit, ut Ps. LXXV, 3 «Factus est in *pace* locus ejus (in *Jerusalem*, שלם, quod etiam declarat parallelismus poëticus: et habitatio ejus in *Sion*). 12° Sæpe eidem personæ diversa tribuuntur nomina, vel propter prioris nominis mutationem, ut *Sara* pro *Sarai*, *Abraham* pro *Abram*, *Israel* pro *Jacob*, vel propter abreviatum pronuntiandi modum, ut *Aram* et *Ram*, *Ornam* et *Areuna*, vel propter diversa nomina, aut etiam appellativa, vel alicujus litteræ mutationem, v. g. *Esther* et *Edissa*, *Abimelech* et *Achimelech*, *Achar* et *Achan*, sicut etiam in qualibet lingua fieri solet, præsertim in nominibus extraneis, quæ aliquando vertuntur juxta pronuntiationem interpretis propriam, aliquando servatis literis originalis radicalibus. Hoc sæpe fit in nominibus regum assyriorum, persarum, ægyptiorum &c., unde ex hac cum historiographis profanis scribendi discrepantia, nil contra illorum, nec etiam Bibliorum exactam narrationem concludere licet. Imo id observo, in hujusmodi discrepantia cum auctoribus profanis, præsertim græcis, qui omnia græco modo transcribere solebant, analogiam Bibliis potius favere, 1° quia antiquiores narrationes sunt, quia 2° intimiores populorum relationes, quia 3° affinitas major linguarum, quia demum 4° ex inscriptionibus non ita pridem inventis et interpretatis, fere semper reperta sunt nomina iis, quæ in Bibliis sunt, simillima, quod plurimis exemplis demonstrare possemus, si brevitas id ferret. 13° Post decem tribuum separationem appellantur in Sacris Libris *Israel*, *Jacob*, *Ephraim*, *Joseph*, *Samaria*; regnum vero duarum tribuum dicitur *Juda*, *domus David*, *Je-*

(a) Hic animadvertere juvat S. Hieronymum addidisse verba: *lingua ægyptiaca*, quod a pluribus erroneum existimatum fuit, atque nomen interpretatum *mysteriorum revelator*, quasi nempe suas radices haberet in idiomate hebraico et arabico. Ast P. Ungarelli, analysi instituta sarcophagi cujusdam, Romæ existentis, atque ex Ægypto adsportati, demonstravit prædictum nomen paululum ob diversam pronuntiationem variatum, ægyptiaca lingua fuisse *Sont-tho-mpheneh*, *Salvator mundi immortalis;* certum enim esse probavit vocabulum *sont* *Salvatori* esse æquale, *tho* idem esse ac *mundus*, seu *terra*, atque anthonomastice *Ægyptus*, demum *pheneh* titulum esse honorificum regum ac heroum, significans *æternam durationem*, *perpetuitatem*, *immortalitatem*, quod articulo *m* præcedente, reddit verum titulum Josepho impositum: *Salvator mundi*, seu terræ Ægypti, *immortalis*, ac proinde S. Hieronymus melius quam neoterici philologi rem assecutus erat, ut non raro evenit.

rusalem, Sion, usque ad reditum captivitatis; postea vero indiscriminatim *Israelitæ, Judæi, Populus Dei* &c. 14° In designandis terræ partibus ratio habenda est situs Palæstinæ, ubi scripta sunt Biblia, nec semper voces hæc significantes stricto nimis sensu accipiendæ sunt: item dextera, ut plurimum, est meridies, et aquilo sinistra; ac regiones parum judæis notæ vaga denominatione designantur, e. g. Europa et insulæ mediterranei maris dicuntur *mare, insulæ gentium*. 15° Deus in Scripturis sæpe depingitur *anthropopathice* apparens, aut *loquens*, aut quidquam *cogitans, dolens, poenitens, gaudens, iratus, vindictam sumens* &c., pro linguæ penuria et rudiori populi captu, et quidem poëtico ac sublimi stylo (conf. e. g. canticum Deuter. XXXII, quo, an quid in omni populorum omnium litteratura sublimius ac magnificentius sit, jure dubito). 16° Voces *non ultra, non amplius, æternum, sæculum, generatio et generatio* &c., non semper perpetuam durationem, sed longissimam designant, prout etiam communi loquendi modo apud nos fieri solet. 17° Sæpissime utitur Scriptura tropico ac figurato loquendi modo, ac proinde institutiones rethoricæ hic etiam plurimum inserviunt; sed ad fundamentum troporum et figurarum, quas Biblia adhibent, et quidem vehementissimas et audacissimas, ut orientalium ingenium fert, addiscendum, necesse est ea noscere, quæ in archæologia biblica edoceri solent: hebræorum historiam, religionem, mores, geographiam, topographiam, et reliqua omnia, quæ in ornata locutione uniuscujusque regionis scriptores adhibere solent: hæc omnia disce suo loco. 17.° Metaphoras aliasque figuratas locutiones sæpe multiplicant; a figura ad rem figuratam transitum faciunt, aut vice versa; metaphoras linguis nostris nimis extraneas adhibent, ut cum civitates vocant *filias, meretrices, virgines* &c., et instrumenta quælibet *vasa* dicunt, ut *vasa psalmi, vasa mortis* &c. (conf. etiam Act. IX, 5; Mar. XI, 16; 1 Thes. IV, 4; Rom, IX, 22 &c.). 18° Hieroglyphicis, emblematibus ac symbolis utuntur, ut in voce *columba*, quæ Jer. XXV, 38; L, 16 designat exercitum chaldæorum, qui columbam in vexillis portabant (conf. Ps. LXVII; Dan. IV; VI; VIII; Ezech. I; XVII; XIX; XXIII, &c. Quædam mythologica verba, quæ leguntur in vulgata, liberiores interpretationes sunt, ad originalis sensum melius reddendum; sed verba ipsa in textu primigenio non inveniuntur, ut *Titan, glareis Cocyti, cornu Amaltheæ, Orci filiam, Centaurorum, Arcturi* et *Orionis* (Judith XVI, 8; Job. XXI, 33; (XLII 14; Sap. XVII, 13 juxta LXX); Isa. XXXIV, 14; Amos V, 8). 20° Subinde verbis non actum, sed agendi debitum designant vel virtutem, ut «ipsi enim *pervigilant* (Hebr. XIII, 17), lux in tenebris *lucet, illuminat* omnem hominem, qui *tollit* peccata mun-

di»; cui similes sunt locutiones, quibus veluti *facta* perhibentur quæ tantum cogitata, jussa, intentata sunt (conf. Rom. II, 4; Lev. XX, 8; XXI, 8; Jer. I, 10). 21° Verbum *vocari* pro *esse* usurpatur (Mat. I, 16, 21, 23; Jer. XXXIII, 16; Apo. XIX, 13; Rom. VIII, 28; Is. XLVII, 1; Lev. XXIII, 27; Is. VII, 14; IX, 6; LIV, 5; LVI, 7 (cum Mat. XXI, 13); Mat. V, 19; Luc. I, 32, 35, 76 &c.), cum sæpissime, ut diximus, nomina propria significantia et symbolica sint, et arcanum quoddam designantia; unde orta videtur hujus idiotismi consuetudo. 22° Omnia quæ eveniunt bona Deo tribuunt, ac sæpe etiam mala, eo quod sub divina providentia fiant, licet Deus non ipse positive aut immediate faciat, sed tantum permittat, aut etiam occasionem accipiant homines perversi peccandi ex ipsis operibus Dei (conf. Ex. X, 1; 2 Reg. XXIV, 1; Rom. I, 24-28; 1 Reg. XXIV, 11; 2 Reg. XVI, 10). 23° Denique in vivida poëtarum et prophetarum locutione modo imperativo leguntur aliquoties, quæ sensum futurum exhibent; vel acrior increpatio in vitia, veluti in homines flagitiosos facta perhibetur, qua horrenda mala adprecari videtur scriptor in suos inimicos, vel universim in peccatores, cum tamen veluti vivida poëtica locutio accipienda sit, qua intimius crimina detestatur. Ita sunt interpretandi plures psalmi, quin ad periculosam Hanebergii sententiam descendere necessum sit, juxta quem hujusmodi psalmi «conciliari nequeunt cum lege nova Christi» suntque «monumenta præteritorum sæculorum» (conf. Ps. XXXIV; LI; LIII; 7; LIV; LVIII; LXVII, 24; CVIII... et n.° 342).

Hæc præcipua visa sunt, ad Scripturarum loquendi modum nobis insuetum satis intelligenda ab iis, qui originalem textum et antiquas versiones consulere nequeunt, adhibitis præsertim recensitis præsidiis.

CAPUT VII.

De contextu: ejus variæ species, modus dignoscendi et utilitas: loca parallela earumque classes, usus, ratio ea inveniendi, ac regulæ in earum interpretatione servandæ.

697. Per contextum intelligitur verborum et periodorum orationis vel scripti alicujus nexus ac dependentia. Contextum valde juvare, aut necessarium esse ad orationem vel scripta quædam intelligenda exinde patet, quod

verba aut varios aut genericos sensus exhibere soleant, qui determinantur ex mutua eorum dependentia et nexu. Contextus aut immediatus est aut propior aut remotior, prout hic nexus invenitur in verbis ejusdem propositionis vel orationis grammaticæ, aut in propositionibus immediatis, aut in remotioribus ad eamdem rem, de qua sermo est inquolibet librorum fragmento, pertinentibus. Iterum contextus est *logicus*, *psychologicus*, *historicus* aut *propheticus*, prout verborum aut propositionum nexus pendet 1° ex relatione subjecti et prædicati, generis et speciei, partium et toti, rationis et consequentiæ, interrogationis et responsionis, vel etiam rerum quæ comparantur, aut sunt correlativa, coordinata, opposita &c.; 2° ex legibus sociationis idearum; 3° ex narratione historica, quæ aut ordinem chronologicum, aut materiarum analogarum, aut locorum, magis minusve stricte servat; 4° demum ex inspiratione prophetica, qua in suis oraculis eventus propius aut remotius sitos prophetæ adumbrare solent, quin intervallum, quod inter illos intercedit, innuant. Demum contextus distribui posset in principalem et secundarium, prout verborum aut propositionum nexus est earum, quæ ad loquentis sensum primarium et præcipuum spectant, vel tantum ad sententiæ primariæ partem amplificandam, illustrandam, confirmandam, &c.

698. Contextus verborum immediatus facile dignoscitur, cum in eadem oratione grammatica sit; propior vero ac remotior aliquoties non satis patent. Periculum errandi præbent 1° divisio in capita et versus non semper accurata (a), 2° etiam divisiones adpositæ a recentioribus Sacr. Bibl. editoribus, aptiores quidem, sed non prorsus perfectæ; 3° inscriptiones, aut perturbatæ, aut immutatæ, aut adjectæ a librariis, interpretibus, criticis et editoribus aliquoties, et

(a) Facile conjicies v. g. Darium medum immediate in throno successisse Balthasari, eo quod in eodem capite Dan. V, 30-31 id narratur, et quidem immediate post Balthasaris necem; sed non ita errares cum plurimis, si scires cap. V finem habere in v. 30 et cap. VI incipere in v. 31 cap. præcedentis in textu originali, qui accurationem hic partitionem accepit: locum huic distributioni dedisse conjicio verbum קִבֵּל *accepit*, quod latinus interpres vertit *successit*; conf. n.° 403.

sat inepte, quod in psalmis non raro difficultatem ingerit. Dignoscitur autem hic contextus ex apertis indubiisque orationum exordiis et clausulis; ex particulis et formulis aut continuationem ejusdem rei, aut novæ inchoationem designantibus (Mar. VII, 1 coll. v. 9); ex unitate consilii, facti, loci, temporis, personarum loquentium, vel de quibus sermo fit (conf. sermonem J-C in monte; ac pro diversitate contextus ex harum circumstantiarum mutatione 1 Cor. VII, 1... coll. cap. VIII et IX).

699. Nexus logicus a quolibet recta ratione præditus facile dignoscitur attenta verborum ac propositionum consideratione, et etiam particularum, quæ sensum proprius determinant; sed ea animadverte, quæ de harum sensu et usu supra dicta sunt. Nexus psychologicus ex consueto ideas sociandi modo dignoscitur, unde etiam troporum usus ac figuratæ orationis nasci solet, propter rerum notas relationes similitudinis, contrarietatis, coëxistentiæ, successionis, causæ et effectus &c. An et quis nexus historicus sit dignoscitur a) ex formulis id determinantibus, b) ex coævis scriptoribus, si qui sunt, et locis parallelis (e. g. Luc. VIII, 22 cum Mat. VIII, 23 et Mar. IV, 35; Mat. XXI, 12 cum Mar. XI, 11-15), c) ex generali consilio, quod auctor libri in scribendo sibi proposuit, ut de Mat. Luc. et Joan. diximus suo loco. Denique nexus propheticus dignosci potest ex ipsius loci indiciis, ubi sunt, aut in parallelis, aut in traditione; iisque deficientibus cauta admodum partium orationis crisi, notitiis historicis, consilio loquentis, et ratione dicendi ejusdem auctoris aliunde jam cognita. Utrum vero contextus principalis sit vel accesorius, ex rationibus grammaticis plerumque et logicis dignosci potest.

700. Quæ commoda præstet contextus logici consideratio facillime quis comprehendere potest; nempe, uniuscujusque verbi proprius et determinatus sensus, ac totius orationis per eum dignoscitur; præsertim ubi appositiones sunt rem proprius determinantes et modum quo prædicatum jungitur subjecto. Quod autem subjectum sit non semper primo intuitu dignoscitur, sed huic regulæ erit attendendum, scilicet: *subjectum communiter ante prædicatum venit et articulo gaudet; dum autem id non evenit, ex logica dictorum indole, natura, et mutua dependentia*

subjectum et prædicatum orationis distinguendum est (conf. e. g. Joan. I, 1; VII, 49 ὄχλος οὗτος; Mat. VI, 22 græce; Mat. XXVI, 26, *hoc est enim* το σωμα μου; *qui facit angelos suos spiritus*, Hebr. I, 7 et consentit targum, ubi exprimitur particula comparativa *velut*, *sicut*; Joa. I, 21; ib. IV, 42 vox *propheta* non sumitur anthonomastice pro Christo, licet articulum habeat, quia id non patitur contextus, etsi forte indicet prophetam qui cum Elia ante Messiam adventurum esse judæi credebant; quod confirmatur ex Mat. XVI, 14). Idem fere dicas cum de contextu logico propiori aut remotiori agitur, ut facile dignosces comparatis e. g. vocibus *pauperes* (Mat. V, 3) cum seqq. beatitudinibus; *fide* (Rom. XIV, 23) cum iis quæ præcedunt; *in quo omnes peccaverunt* (ib. V, 12) cum v. 13 et 14 et parallelismo instituto (v. 15-19) inter Adamum et Christum; *rationabile obsequium vestrum* (ib. XII, 1) quo loco tot homines quotidie abutuntur (a). Nexus psychologicus, historicus, ac propheticus sæpe docent quæ sit ratio dicti et dicendi modi, aut etiam facti symbolici significationem designat, ut in ficu arefacta (Mat. XXI, 19), quæ judæorum cultum mere externum, legis observantiam juxta literæ rude involucrum, cæremoniarum pompam absque rectitudine cordis et cultu spirituali, repræsentabat. Item dignoscitur per hos verborum ac propositionum rerumque nexus, ratio docendi J-C consueta inter populum simplicem ac fidelem, diversa ab ea quam adhibere quandoque voluit in colloquiis cum Nicodemo, Samaritana, Apostolis in postrema coena, pharisæis et scribis incredulis calumniantibus et objectiones opponentibus (v. n.° 520). Ad V. T. allusionem fieri sæpe contextus docet, aut etiam cur ita rem acceperunt Apostoli et Christi auditores; ratio demum historiæ texendæ ab unoquoque scriptore ex contextu item dignoscitur, non raro antilogiæ explicantur, et oracula prophetarum dignoscuntur.

(a) Quasi Apostolus hic juberet hominem non credere, nisi accepta prius ac demonstrata certitudine fidei; de quo nihil in præsentiarum judico, unum tamen affirmo: nihil prorsus de fide hic præscribi, sed de vitæ puritate et integritate, qua corpus hominis veluti consecratur Deo, atque ita exhibetur *cultus spiritualis*, id enim significat τὴν λογικὴν λατρείαν ὑμῶν.

701. In usu vero contextus exegetico sequentes observandæ sunt regulæ et cautelæ: 1ª respici et expendi debet contextus in singulis orationibus proprius, et quidem in unoquoque loco, et cum omni sua vi; unde errat qui unius loci contextum adhibet ad eamdem vocum potestatem alio concedendam, aut abruptis Scripturæ locis utitur ad quamlibet sententiam evincendam, aut contextus vim imminuit vel auget (v. g. si eamdem significationem tribuat vocabulo ὑψωθῆναι, *exaltari*, Act. II, 33; V, 31 ac Joa. III, 14; item si afferat Gen. II, 18; 1 Cor. VI, 12; Act. XVII, 28 ad probandam obligationem individuam matrimonium ineundi, aut absolutissimam libertatem, aut pantheismum); 2ª Si liber integer interpretandus sit, seriem earum propositionum, quæ totum quoddam conficiunt, cognoscat ac veluti tale fragmentum pertractet, sententiam præcipuam investiget, ac cetera subordinata esse sentiat, et ut talia accipiat; demum ex ideis primariis omnium sectionum totius libri objectum adæquatum conjiciat, ex quo magnam lucem reliquis subalternis definiendis accipiet. Cave autem ne 1º contextum detorqueas aut diversa lectione vel minus probabili (quod ex apparato critico disces), aut sensus sectando subtiliores et rariores, nisi gravis ratio suadeat; 2º ne quidquam temere suppleas; 3º ne diversas contextus species confundas; 4º ne denique ab usu loquendi facile recedas.

702. Contextus denique plurimum juvat ad loca parallela intelligenda, ac ex illis vicissim magnam accipit lucem; unde ad loca pugnantia componenda magni refert. *Sunt vero loca parallela, quæ a se invicem distantia, de iisdem ommino rebus agunt.* Loca hæc aut ejusdem auctoris sunt, aut diversi. Si primum fidentius adhiberi possunt ut mutuam illustrationem recipiant, nisi auctorem sibi contrarium dicas. Si secundum, advertas eumdem esse auctorem principalem, Deum, scriptores vero bene comparari posse sive eumdem loquendi usum, sive contextum, sive conditionem eorum attendas; quæ omnia eadem fere esse potuerunt omnibus, ut pote qui eamdem linguam adhibuerunt, ejusdem fuerunt nationis, aut temporis, aut conditionis, pietatis, religionis &c. et a. Sp. S. omnes illuminati sunt. Pronum ergo est alterum ex altero facilius intelligi; præsertim dum hic latius narrat aut evolvit, quæ ille vix adum-

bravit et cursim pertractare voluit, ob diversum eorum scopum.

703. Parallelismus est tantum realis, si res eadem sit, sed verba diversa; aut verbalis, si etiam verba conveniant; aut demum poëticus, qui in psalmis, prophetis, libris V. T. didacticis et poëticis, et inde etiam sæpe in N. T. derivatus apparet. Exemplum parallelismi realis habes in evangeliis passim, ut Mat. IV, 1-11 coll. Mar. I, 12, ubi est tantum realis et historicus; Mat. ib. et Luc. IV, 1-13 ubi est etiam verbalis; inter Mat. VI, 9-13 et Luc. XI, 1-4 est tantum parallelismus doctrinæ. Parallelismus poëticus est singularis illa dicendi forma, qua conceptus ordine symmetrico collocare solent, dum vel a) eamdem ideam bis exprimunt diversis vocabulis et eodem fere ordine dispositis, et est *synonimus*, vel b) eam per partium explicationem magis perspicuam reddunt, et dicitur *analyticus*, vel c) cum alia comparant, et vocatur *comparativus*, vel demum d) contrariæ aliæ ideæ subjiciunt, et *antitheticus* audit. De parallelismo prout est forma poëtica suo loco diximus (n.° 65), nunc tantum prout subsidium hermeneuticum consideramus.

704. Quantum vero adjuvet locorum parallelorum collatio ad rectam eorum intelligentiam, perspicua res est, ex ipsa eorum notione, et nonnullorum, quos subjicimus, exemplo planius fiet. Ex 1 Par. XVIII, 19 illustratur vox *sacerdotes*, quæ occurrit 2 Reg. VIII, 18, nempe erant filii David «primi ad manum regis»; ex Act. IX, 27 discimus Jacobum fratrem Domini (Gal. I, 18, 19) apostolum fuisse; ex lege parallelismi intelligitur vocem *sagittæ tuæ* Ps. XVII, 15 esse *fulgura*, non *grandina*, ut quidam volunt; Mat. XVI, 28, Mar. VIII, 39, et Luc. IX, 27 sese mutuo explicant, et agere dignoscuntur de *regno Dei*, *de Ecclesia*; locus Joa. I, 9 «erat lux vera quæ illuminat omnem hominem *venientem* in hunc mundum» intelligitur ex contextu propiori v. 10, et locis similibus III, 19, IX, 39; XII, 46..... (a) de Chisti adventu, nusquam de hominis nativitate. Igitur parallelismus docet sæpe vocum significationem, quando sensu literali vel translato accipiantur, qui-

(a) Ubi est verbum ερχεσθαι, ex quo participium ερχόμενον, vulg. *venientem*, cum tamen textus græcus postulet *veniens*, nempe *erat lux vera... veniens*, venit ut esset lux vera, quæ &c.

bus limitibus sententia coarctetur, historiam plenius cognitam dat, aliorum hermeneuticæ subsidiorum rectum adjuvat sensum, aliaque commoda præstat, quæ illius studium maxime commendant.

705. Ad invenienda vero loca parallela conferunt 1° concordantiæ biblicæ, qui libri omnia vel maximam partem vocabulorum Scripturæ ordine alphabetico exhibent, et loca, quibus inveniuntur subindicant; 2° ipsa Bibliorum edita exemplaria loca parallela in margine adnotare solent; cave tamen ne id semper plene factum aut exactius credas; 3° lexica biblica; 4.° libri qui theologiam dogmaticam et moralem uberius et accuratius pertractant; 5° libri exegetici præstantiores; 6° propria Bibliorum lectio.

706. In locorum parallelorum usu cavendum est a) ne pro parallelis habeantur loca, quæ tantum similia sunt, sed non prorsus eamdem rem pertractant (e. g unctio mulieris peccatricis Luc. VII, 37... et Mariæ, Joa. XII, 1-8; parabola Matt. XXV, 14-30 et Luc. XIX, 12-27; vox ζύμη, *fermentum*, Mat. XIII, 33; XVI, 6; 1 Cor. V, 6; Gal. V, 9; proverbium «*non est discipulus super magistrum*» Luc. VI, 40; Mat. X, 24; Joa. XV, 20; ib. XIII, 16); b) ne uni alterive ex locis parallelis plus tribuatur, quam quod eis re vera inest (e. g. illi omnes loci, qui de necessariis ad vitam æternam consequendam agunt, qui nunc fidem prædicant, nunc obedientiam Christo exhibendam, nunc ipsius Christi mortem et gratiam &c.; unde omnia hæc necessaria esse discimus; item scopus adventus Christi diversus exhibetur (Hebr. VII, 26, 27; IX, 28; Joa. XVIII, 37; 1 Pet. II, 21; Ephes. II, 13-16; Joa. III, 16 &c.); c) ne locum clariorem ex obscuriori explicare quis conetur, ut patet; d) ne locus alterius auctoris loco parallelo ejusdem libri vel auctoris præferatur, nisi valde clarior sit.

CAPUT VII.

De locis pugnantibus: interpretis et apologetæ munus in iis et similibus: causæ ex quibus hæ apparentes pugnæ oriuntur earumque tollendarum ratio.

707. Ex dictis de contextu cujuslibet loci examinando et locorum parallelorum collatione, maximam utilitatem capessere licet in locorum in specie pugnantium profundiori cognitione et concordia. Neque enim vera pugna est, nisi dum *contraria, de eadem re et sub eodem respectu considerata* dicuntur; unde, cum ex dictis, talis pugna in Scripturis esse non possit, quæ primo intuito apparet profundiori examine plerumque evanescit, iis adhibitis curis, quæ sana hermeneutica docet. Et quidem justitia et æquitas postulant ut, nisi impossibile sit, cujuscumque libri et auctoris vel plurium librorum et auctorum, qui rem eamdem pertractant, oppositiones et contradictiones apparentes concilientur, et non potius augeantur ad eorum fidem historicam tollendam, propriaque præjudicia confirmanda. ¿Quid ergo si sermo sit de auctoribus sanctissimis, omni fide et sincera mente scribentibus, in narrationibus historicis fere semper cum auctoribus profanis fide dignis consentientibus, quos præterea innumeri populi ut sacros venerati sunt et venerantur? Quælibet igitur conciliatio probabilis locorum prima fronte pugnantium prius suscipienda est, quam veram contradictionem talibus auctoribus adscribas; prout cordatiores critici etiam cum philosophis et historicis, imo ipsis poëtis agere consueverunt. Viri autem exegetæ solum est apparentes Sacrorum Librorum antilogias conciliare, cum alioquin certus esse debeat non bene assecutum fuisse illorum sensum; quæ autem cum profanis auctoribus aut etiam scientiis et philosophia pugnare videntur, potius ad apologistam pertinent, sed etiam hic prius verum sensum assequi tenetur, quam ad sacri textus apologiam sese dedat.

Nam, nisi cujusdam Scripturæ loci sensus plenius tibi appareat, facile tuam opinionem tuaque præjudicia veluti Sacræ Scripturæ

doctrinam accipies, et veluti infallibilem veritatem propositionem forte erroneam tueberis; unde apud incredulos magnam Scripturæ invidiam creabis. Id fieri solet præsertim cum aliquis suum systema metaphysicum, aut morale, vel etiam scientificum per fas vel nefas in Scripturis fundatum esse asserit. Ita celeberrimo Galilæo Galilæi contigit, dum systema astronomicum Scriptura Sacra male comprobabat, qui proinde ut temerarius exegeta accusatus fuit, cum violentas ejus et contortas interpretationes parum adhuc adulta scientia necessario non postularet. Sed non minus peccaverunt plurimi inter suos adversarios, qui doctrinam Scripturæ illo systemate labefactatam dictitabant. Caute igitur in iis rebus procedas, nec ita propriam interpretationem affirmes, quasi unica vera sit ac fidæi objectum (a).

708. Nunc juvat paucis recensere causas præcipuas, unde apparentes Scripturarum contradictiones et difficultates enascuntur. Ac primo quidem ex disputatis jam constat: a) e minus recta uniuscujusque loci interpretatione plurimas oriri posse difficultates et pugnas; sed hæ non Scripturæ sunt, sed imperitioris interpretis, tollunturque profundiori studio et vera intelligentia. b) Ex defectu integritatis textus, qui licet integer in substantialibus maneat, ut sæpius jam dictum est, plurimas tamen minoris momenti lectiones variantes admisit, ut ex monumentorum criticorum discre-

(a) Ob has parum prudentes interpretationes, plures passim scandalizantur, et semel imbutis præjudiciis adversus Sacra Biblia obfirmantur; ut evenit erudito quidem et aliunde honorando Dr. Mata, qui, idearum innatarum omnis generis acerrimus hostis, interpretationes Ps. IV, 7 et Joa. I, 9 vulgares, superius a nobis recensitas, pro unicis veris accipiens, horum locorum auctoritatem repudiare ausus est, atque ita peccatum commisit ubi non erat peccandi locus. Idem fere accidit alio non minus spectabili viro et hispano philosopho M. Mateos, qui non semel Scripturæ loca profert ad sua dogmata stabilienda, contorta, ex contextu abrupta, non bene collecta, quæque proinde adversariis ansam Scripturæ calumniandæ præbere possunt. Id ipsum accidit iis, qui verba Genesos, quibus mundi formatio describitur, ad proprium systema geologicum ita interpretantur, ut nisi illis concedas, actum esse de scientia geologica vel de Scripturæ inspiratione conclament. Majorem adhuc prudentiam exigit interpretatio Bibliorum relate ad res politicas et gubernandi systemata, que majori, ut plurimum, quam par est, contentione agitantur. Defensor itaque Sacrorum Librorum potissimam adhibeat curam in illis prius intelligendis, ut recte postea defendere possit: hoc religio, hoc charitas, hoc prudentia, hoc ipse laborum suorum felix exitus postulat.

pantia et editionibus Bibliorum criticis constat. Id locum habet facillime in locis, quæ numeros exhibent annorum, pondera, mensuras, nomina propria, præsertim extranea; parva enim textus mutatio manifestam pugnam aut rem fere incredibilem offert, ut de præsepibus Salomonis 3 Reg. IV, 26 coll. 2 Paral. IX, 25 notum est, de enormi discrepantia inter textum hebraicum, samaritanum et græcum circa ætatem Patriarcharum, de pondere capillorum Absalonis probabiliter, aliisque non paucis. In his ergo locis eam lectionem interpreti adoptare licet, quæ gravi fundamento nixa, difficultatem tollat, etiam si minus communis et recepta sit. c) Aliquoties scriptoris sensus ampliorem significationem aut restrictiorem ab interprete accipit quam par est, vel tantum sensu comparativo aut hypothetico accipi debet, aut verborum nexum videtur offerre, quem vere non habet, aut denique ex alterius personæ sententia loquitur. d) Ex diversis rem eamdem narrantibus, pro diverso eorum consilio, unus omittit quod alius brevius, alius autem longius pertractat, quod in evangeliis sæpe accidit. Hoc autem silentium non est oppositio, sicut nec magis minusve prolixa narratio. Hinc Magorum adventus, fuga in Ægyptum, infanticidium bethlehemiticum, secessus Pauli in Arabiam, colloquium J—C cum Samaritana et Nicodemo, resurrectio Lazari, de muliere adultera narratio, Eucharistiæ institutio, sudor sanguineus, aliaque permulta, neutiquam, quia ab uno tantum evangelista narrantur, vel ab aliquo eorum prætermittuntur, rejicienda sunt; quod facere consuevit D. Renan, numquam sibi constans. Idem dicas cum unus circumstantias omittit, quas alter minute refert, ut evenit in historia Centurionis capharnaitici (Mat. VIII, 5-13 coll. Luc. VII, 1-10) et tentationis Christi in deserto (Mar. I, 12-13 coll. Mat. IV, 1...; Luc. IV, 1....). Quæ narrandi diversitas consistit potissimum α) in nominum mutatione v. g. Matthæi=Levi, Simonis=Petri, Nathanaelis=Bartolomæi, &c.; β) in diverso, a quo quis procedit, termino (Mar. XV, 25 coll. Joan. IX, 14, qui postremus horas numerat græcorum et romanorum more seriori, ut constat ex I, 39 et IV 52); γ) in numerorum indicatione modo rotundo aut exacto, satis frequenter (v. g. Mat. XIX, 29 coll. Luc. XVIII, 30); δ) in narrandi scopo accuratiori vel minus accurato, ut in exemplo allegato Centurionis, in ju-

dicio J-C &c.; ε) in allegandis personarum ipsis verbis vel tantum verborum substantia (e. g. Mat. XXVI, 30 coll. XIV, 30); ζ) in diverso narrandi ordine (quod sæpe diximus). e) Ex frequenti locorum similium confussione cum parallelis, quod sæpe rationalistæ facere solent, quasi fieri non posset ut facta analoga contingant, vel Christus numquam similia miracula patrasset, nec prædicationes suas repetiisset quoad substantiam, aut plures homines homonimi esse nequirent, quod ex Bibliis falsissimum passim deprehenditur (conf. Joa. II, 13... coll. Mat. XXI, 12..; Luc. VII, 37... coll. Joa. XII, 2...). f) Ex falsa suppositione *sub eodem respectu* semper considerari rem, de qua bis aut pluries in Sacris Libris sermo est, non paucæ oriri possunt pugnæ. Sic Act. IX, 7 coll. XXII, 9 et XXVI, 14, ubi res narrata ad distincta momenta refertur, et aliquæ voces non eumdem prorsus sensum habent. Nam si viri, qui Paulum comitabantur, *stabant* stupefacti, id factum est post primum momentum, quo omnes *ceciderunt in terram;* et si vocem *audierunt* et etiam *non audierunt*, id optime componitur, dummodo in cap. XXII, 9 vocabulum *non audierunt* intelligas *non intellexerunt, non distincte comprehenderunt*, ut factum est v. g. Joan. XII, 28-29, ubi vocem Patris «et clarificavi et iterum clarificabo» ita turba, quæ stabat, *audierat*, ut quidam dicerent *tonitruum esse factum*, alii vero *Angelus locutus* est. g) Duplex et quidem perfecta Christi natura plurima loca Scripturarum inter se pugnantia componit, una cum multiplici ejus munere, officio et effectu suæ missionis, doctrinæ et mortis. Quandoque enim de Christo sermo est ut Deo, quandoque ut homine; nunc depingitur gloriosus, nunc humilis et abjectus; jam ipsi conceduntur attributa, honores, natura divina, jam ab eo abjudicantur. Hæc plurimarum pugnarum in Prophetis, evangeliis et epistolis uberrima occasio, evanescit facile, dum ex catholico dogmate discimus Christum verum Deum verumque hominem fuisse, atque in unoquoque loco omnia hermeneutica subsidia adhibentur ad sensum verum inveniendum. Sic Mar. XIII, 32 *Filius*, nempe Jesus, *nescit judicii diem*, quia, ut sæpe dixit, missionem a Patre acceperat quædam docendi, quædam non docendi, quia auditores *non poterant portare modo*, ac ea quæ ex divino consilio non tunc docenda erant, ille ignorabat, qui mandatum eorum docendo-

rum non acceperat. Filius itaque, Messias, nil aliud sciebat ut talis, quam quod a Patre audierat, quod nempe ex SS. Trinitatis consilio a Christo erat revelandum. Quandoque etiam loquitur Jesus de Patre, non per relationem ad Filium, sed relate ad falsa numina, vel etiam relate ad J-C, seu Messiam, prout homo erat voluntatis divinæ executor, ut Joa. XVII, 3; Mat. XX, 23. h) Denique pugnæ Sacrorum Librorum cum profanis auctoribus et monumentis, aut apparentes sunt, et profundiori studio solvuntur; aut reales, et tunc contra scriptores profanos concludere licet, et etiam æquum et rationabile est, cum nemo illorum in auctoritate historica S. S. adæquet.

CAPUT IX.

De conditione personæ loquentis externa: quomodo dignoscitur: quas utilitates offert: item interna, ac 1° de consilio loquentis: regulæ servandæ: unde dignoscitur: de affectionibus animi: de proprio charactere.

709. Evenit sæpe ut non bene intelligere possis scripta quælibet, etiam adhibitis, quatenus fieri potest, subsidiis ex usu loquendi et profundiori contextus examine; quando nempe circumstantiæ quædam scribentis intrinsecæ aut extrinsecæ in scribendi modum satis influere solent. Plurimi itaque Sacræ Scripturæ interpreti interest ad has loquentis circumstantias attendere, quas *conditiones loquentis* diximus.

710. Quis autem in re nostra sit loquens perspicuum est, ut plurimum; ipse nempe libri auctor, ex iis quæ diximus in introductione particulari jam notus, vel ille qui ab ipso loquens sistitur. Ergo uniuscujusque libri scriptor tamquam persona loquens habendus est, nisi alium ipse designet, vel *perspicuis* (ut cum dicitur e. g. «respondens Jesus, dixit...») vel *sufficientibus indiciis*, v. g. cum ea, quæ dicuntur, auctori libri convenire nequeunt (1 Cor. XV, 32), vel ipse ea refutat (Rom. VII, 7), vel ex aliorum sententia loqui satis apparet (Joa. V, 31, coll. VIII, 14. Quod

postremum dignoscitur si sententia proposita cum ideis loquentis aliunde certo cognitis pugnat (3 Reg. XXII, 15); si jam ab aliis proposita sit (Act. XVII, 29), aut ita comparata, ut omnium assensum se laturum auctor prævidere posset; si veluti per transennam dicta; si argumentum *ad hominem* continere possit; si pro diversa auditorum aut lectorum conditione variata quoad substantiam. Nempe in iis casibus prolator verborum aut ex aliorum sententia loquitur, aut saltem non necessario ex propria; ac proinde demonstrare id deberet, qui ita judicaret.

711. Conditio loquentis externa complectitur ea omnia, quæ in animo quidem loquentis non sunt, sed ita in ejus sensus et motus scripto prolatos influunt, ut quin ea cognoscas, nec auctoris conceptus plene intelligere possis. Talia sunt, 1° patria, lingua et ætas loquentis, 2° ejus fata factaque, 3° gestus et pronunciandi tonus, 4° indoles rerum de quibus mentio fit, 5° conditiones internæ et externæ personarum ad quas fit sermo. Primum abunde constat ex alias dictis, et in introductione particulari traditur; 2^m^ constat ex allusionibus non raris auctorum sacrorum ad propria fata factaque (conf. Gal. I, 1 cum Act. IX, 1-16; Pet. I, 17-18 cum Mat. XVII, 1-13); 3^m^ patet, si quando id nobis constaret, ex diversa significatione v. g. verborum «*Solvite templum hoc...*» si a Christo prolata essent cum indicatione manu facta templi jerosolymitani, aut proprii corporis. (Idem diceres de verbis «*quid mihi et tibi est mulier?*» Joa. II, 4; de voce *desuper* ib. XIX, 11. Subindicatur autem gestus aut tonus, inter alia, Mat. XII, 49; XXVI, 65; XXVII, 29; Luc. IV, 16; V, 8; Act. XIII, 16; Mat. XXVII, 46; Joa. XIX, 15; et quandoque etiam patet ex contextu, ut Joa. I, 36; hoc tamen gratis amittendum non est, ut quidam dicunt de loco Isa. VII, 14); 4^um^ ita perspicuum est, ut vix probatione indigeat, et cuilibet Scripturam vel leviter percurrenti, statim apparebit (hujusmodi sunt ea omnia fere, quæ in archæologia biblica pertractari solent); 5^um^ denique eadem perspicuitate constat, iisdemque fontibus hauritur (a).

(a) Nemo sane plene intelliget epistolas ad Cor. Gal. &c., nemo objurgationes prophetarum, aut infinitas propemodum allusiones ad hebræorum mores, historiam, religionem, vitia, aliaque multa, quin

712. Conditio loquentis interna ea omnia complectitur, quæ in ejus animo sita, in orationem influunt, dicendi rationem, modum, perfectionem. Ista vero reduci possunt ad consilium loquentis, animi affectiones, naturalem indolem et characterem, ac denique spiritualem culturam. Consilium loquentis spectari potest vel in universis Bibliis, vel in unoquoque libro aut libri parte. Primum nihil aliud est quam revelationem ejusque historiam offerre, ac religiosam et moralem populorum institutionem. Consilium loquentis in quolibet libro est vel didacticum, vel historicum, historico-dogmaticum aut poëticum; omnia tamen sunt generali consilio subordinata. Cum omnia, quæ dicuntur, ad aliquid obtinendum ordinata sint, jam patet quanto melius intelligi possit liber aut libri pars, quando consilium scriptoris patescit; nisi dicere velis sacros auctores aut nullum in scribendo consilium habuisse, aut media adhibuisse cum desiderato fine discrepantia, quod stupiditatem saperet.

713. Itaque post adeptum loquentis consilium, jam 1° omnis interpretatio repudianda est, quæ illi adversatur, vel auctorem imprudentem aut hebetem argueret (ita ergo actiones Prophetarum, quæ extraordinariæ videntur, interpreteris, ut pro symbolicis habeas, quidquam grave ac dignum designantibus, sicut etiam actio Christi, Mar. XI, 13, de qua supra). 2° Ex communi Scripturarum consilio patet res præcipuæ religionis et morales ibi esse quærendas, aut cum illis intime connexas; multæ vero phrases juxta vulgarem opinionem illius temporis receptam dictæ sunt, ut «*Sta sol*», «*oritur sol et occidit, et in locum suum revertitur*».... Non tamen completum doctrinæ christianæ systema quærendum in his libris est, cum tale non fuerit usquam loquentis consilium, ut ex dictis in introductione particulari pro unoquoque librorum patet. 3° Consilium loquentis aperit verborum sensum, num literalis aut translatus sit; num didacticus, quod majorem perspicuitatem postulat minoresque orationis ornatus, an vero historicus vel poëticus. (Sic Mat. XXVI, 26, 28; XXVIII, 19; Joa. XX, 22, 23 tropice exponi nequeunt,

antea omnia probe didicerit; nec in iis immorari necessum est. Omnia vero hæc ex ipsa historia biblica discuntur, ex historiis profanis, ex archæologia, et iis quæ de unoquoque libro dicta sunt in introductione particulari.

quia hic Jesus aut docet, aut aliquid testatur: conf. etiam prologum Job cum tentatione Christi). 4° Consilium generale unius auctoris rationem reddit ordinis ab eo servati, ut de Luca constat ordinem chronologicum ut plurimum servante, Matthæo vero doctrinas et facta similia sæpe jungenti. 5° Consilium particulare docet quæ sint partes orationis essentiales, quæ vero adhibitæ sunt ornati aut complementi causa, ut passim in parabolis fit; item quousque extendenda sit aut restringenda sententia, ut cum auctoris consilio quadret. (Sic. Mat. I, 18-25 in id tantum intendit, ut doceat J-C ex Maria *Virgine* conceptum fuisse, cetera non curat; unde voces *donec* et *primogenitum*, non significant Josephum cognovisse Mariam post J-C ortum, aut alios postea filios Mariam suscepisse; sed *quid factum non sit ostendunt*, ut ait Hieronymus).

714. Cognoscitur autem consilium loquentis vel ipsius manifestatione v. g. Joa. XX, 31; vel ex pluribus adnotationibus pragmaticis ad eamdem rem pertinentibus (v. g. allegationibus Mat. frequentioribus V. T.); vel ex materia substracta, omnibus nempe vel plerisque orationis dictis (sic Joa. II, 1... consilium habuisse discimus narrandi miraculum, non tantum singularem J-C humanitatem, quod in omnibus miraculorum narrationibus fere accidit); vel fide digna aliorum narratione, ut de Matthæi, Marci ac Joannis consilio in evangeliis conscribendis communiter tenetur; vel denique ex occasione scripti vel sermonis, quæ constat aperta scriptoris vel aliorum declaratione, aut ex accurato dictorum examine (conf. Ps. LXVII et num. 301).

715. Affectiones animi, quæ dignoscuntur ex auctoris ipsius adnotatione, gestu et tono pronuntiandi, charactere morali loquentis, et psychologicis rationibus; jam indicant utrum verba in tota sua amplitudine accipienda sint aut restringenda (v. g. *omnes* Joan. III, 26; Heb. V, 12 coll VI, 9); quænam sit ratio dictorum aut factorum (v. g. Job III, 3-23, coll. v. 25-26; Jer. XX, 14-18 coll. v. 7-10; Mat. XVII, 4 coll. Luc. IX, 23; Rom. IX, 3 coll. v. 1-2); quæ sit verborum abruptorum vis (e. g. Joa. XX, 16 *Maria...!*; ib. 28 *Dominus meus et Deus meus!*]

716. Characterem personæ loquentis non parum interpreti quandoque juvare ut dictorum rationem percipiat, res est manifesta, ac plurimis exemplis confirmari potest. Talia

sunt e. g. quæ de charactere Petri alibi adnotavimus (conf. n.° 581). Character item pharisæorum gloriam et existimationem in populo ambientium, invidiam, livorem ac mentis obcæcationem explicat, qua Christum ejusque doctrinam, et turbæ acclamationes susceperunt. Agendi ratio Pilati ejus characteri, in evangeliis et in Josepho et Philone depicto, ac homini romano naturali sensu recti prædito, sed vitam hominum parum curanti, et propria commoda persequenti, perfectissime quadrat, et omnia, quæ ab eo gesta sunt in causa Christi, explicat. Idem dicas de generico loquendi modo, quem auctor quilibet, juxta proprium characterem adhibet, ut de Joanne et Paulo satis notum est.

CAPUT X.

De spirituali loquentis cultura ejusque influxu in materiam scriptorum: unde dignoscitur: de influxu in formam scribendi: indoles rationis scribendi biblicæ generalis: locutio figurata, allegoriæ, symbola, typi, gnomæ, emphases.

717. Spiritualis cultura, seu scriptoris diversa educatio et ideæ, plurimum influit in scriptorum *materiam* ac etiam *formam*. In materiam; imposibile namque est quemlibet loquentem ordinarie non loqui juxta proprias ideas, religionem, præjudicia, aliaque, quorum propterea cognitio interpreti summopere juvat. Hinc, formulæ e. g. «*regnum coelorum—Dei—Christi*» diversum habent sensum dum proferuntur a judæis rudioribus, vel a magis excultis, vel a Christo (conf. Mat. III, 2; IV, 17; Joa. III, 3; Luc. XVII, 20; Mat. XX, 20-21). Formula «*unius uxoris virum*» (1 Tim. III, 2) non potest significare *non bigamum*, talis enim non erat tunc consuetudo; neque *non cælibem*, talis enim erat ipsemet Paulus, qui etiam cælibatum matrimonio præferri docebat (1 Cor. VII, 7...); significat ergo *aut cælibem*, aut nonnisi *semel matrimonio junctum*. Ita etiam dignoscitur plurium dictorum factorumve ratio, v. g. captiosæ quæstiones Christo propositæ a saducæis, pharisæis et herodianis (Mat. a cap. XXI ad XXV), legatorum synedrii interrogatio (Joa. I, 21...) *Elias*

es tu?... το *Propheta es tu?...;* quia nempe ipsi sperabant Messiam habiturum præcursorem *Eliam* et *Jeremiam aut unum ex prophetis* (Mat. XVI, 14).

Dignoscitur num sententiæ quælibet, præcipue gnomicæ, ad literam, vel cum restrictione accipiendæ sint deficiente contextu, sermonis occasione, aliisque adminiculis. Sic Mat. V, 34-37 «*Ego vero dico vobis non jurare omnino,*» non absolute juramenta vetantur, Christus namque vult perficere Legem et pharisæorum *justitiam* (ib. v. 17-20), juxta quam solum perjurium vetitum erat, solumque obligabat juramentum in nomine Dei aut etiam sub certa formula factum (Matt. XXIII, 16-22); docet itaque Christus juramentum, rem nempe religionis, nonnisi gravissimis de causis fore adhibendum, illudque obligare qualicumque formula factum, modo in relatione ad Deum; ipse proinde ad Caiphæ adjuratio nem respondet, quod est certe jurare, atque Paulus non semel in suis epistolis juramento dicta confirmat. Christus etiam dixit «*non resistere malo, sed si qui te percusserit..*»; et tamen proprii juris expostulationem non prohibuit; spiritum mansuetudinis commendavit supra antiquæ legis perfectionen longe excedentem, sed nec ipse alteram præbuit maxillam ei qui eum percussit, et ejus Apostolus Paulus longius progressus est, quum summo sacerdoti dixit «*percutiat te Deus, paries dealbate...*» (Act. XXIII, 2, 3), quo facto, etsi J—C inferior, qui lenius respondit servo percutienti, et in cruce pro crucifigentibus oravit, tamen certe demonstrat gnomicam illam Christi sententiam præceptum non esse.

718. Hæc spiritualis cultura, quam diximus, dignoscitur ex ipsa diligentiori S. librorum lectione, Sanctorum Patrum et Ecclesiæ catholicæ sensu traditionali, præsertim si de J—C, Apostolis et Evangelistis sermo sit. Cum autem agitur de personis illis earumque ideis, dogmatibus, præjudiciis, illustratione spirituali &c., quæ in Bibliis loquentes sistuntur, prædicta subsidia non parum juvant librorum fragmenta ac philosophica historia hæreticorum, qui Apostolis coævi fuere, libri etiam apocryphi V. et N. T., ipsæ S. Scripturæ celeberrimæ et antiquissimæ versiones, Flavius Josephus et Philo alexandrinus, thargumim et, sub certa mensura, etiam Talmud, ipsi demum historici græci et romani, monumenta reperta, philosophi et itineraria; quamvis ii profani fontes non plenam fidem semper mereantur. Nam Josephus narrationes suas temperat ut a græcis et romanis facile crederentur, aliasque adhibet cautelas, ne imperatoribus offensis, res judaicæ pejus perturbarentur; Philo etiam suis allego-

riis ac ideis platonicis totam historiam foedavit; Talmud multo recentior est et minus secura traditione fundatus, putidis allegoriis et fabulis refertus, quæ characterem vere historicum illi adimunt; denique ethnici fontes minus abundantes adhuc, minorisque fidei sunt, cum agatur de rebus populi ab ipsis, ut plurimum, despectui habiti.

718. Cultura spiritualis loquentis influit in dictorum formam, et multiplici quidem modo, unde ad ejus plenam intelligentiam agendum est nunc 1° de indole scribendi rationis biblicæ generatim, 2° de impropria ratione dicendi in specie, 3° de gnomis, 4° de emphasibus, 5° de locis V. T in N. allegatis.

720. 1° In libris V. T. præsertim antiquioribus, tum ob populi rudis conditionem, tum denique ob vividiorem orientalem ac poëticam picturam, de Deo passim sermo fit metaphorico modo, ut diximus supra agentes de idiotismis S. Bibliorum. Metaphoræ item, figuratæ dictiones, hyperboles, prosopopeiæ, frequentiores sunt, vehementissimæ, atque e rebus petitæ, quæ insolentiores nobis videntur, aut abjectæ (e. g. Gen. XLX, 14; Deut. XXXIII, 17 Jer. XXV, 30; Amos II, 9; Num. XIII, 34 &c.) Actiones symbolicæ passim adhibentur, quibus sub materiali involucro res spirituales ac propheticæ exprimantur; et etiam hujusmodi res a prophetis significantur materialibus picturis, pro populi rudis materiali conditione, ut contingit in picturis regni messianici, in promissionibus et minis, in descriptione felicitatis coelestis. Eadem sæpe dicenda sunt de libris N. F., in quibus singularis animadversio diligenter tenenda est, stilum nempe simplicem ac vulgarem adhiberi, juxta consuetudinem et captum populi; quod præcipue in sermonibus Christi evenit, sub forma parabolica, sententiosa, comparativa, hyperbolica propositis, ut in auditorum animos facilius et profundius agerent. Id tamen non obstat quominus S. Scripturæ, etiam sub respectu æsthetico præstantissimæ sint, ut alibi jam fuit a nobis adumbratum, ob materiam præcipue, sed etiam ob dispositionem, formam, elocutionem; nec in iis multum immorari debemus, cum jam apud doctiores evanuerint antiqua rethorum præjudicia.

721. Ratio loquendi figurata Scripturarum complectitur *tropos*, *allegorias*, *imagines*, *symbola*, *typos*, *parabolas et fabulas*. Ad tropicas locutiones dignoscendas, cum eadem

sit earum usus biblici ratio, ac profanorum scriptorum, iisdem adminiculis attendendum est, et hac regula utendum: «verba nativa sua significatione accipi debent, nisi sensum translatum suadeat necessitas aut satis aperta ratio». Talis autem necessitas aut aperta ratio discernitur attenta lectione et omnium subsidiorum hermeneuticæ usu, eorum etiam quæ in hermeneutica christiano-catholica traduntur. Ut autem tropicæ locutionis sensum capias, ad fundamentum translati sensus attendas, rem bene percipias sensu nativo designatam, usum loquendi biblicum observes, et contextum, loca parallela &c. respicias.

722. Idem, quod de tropis, de allegoriis tenendum est, cum non sint nisi metaphoræ continuatæ; et de similitudinibus, in quibus formula comparationis expressa eas ab allegoriis distinguit. Plures et pulcherrimæ quidem allegoriæ ac similitudines sunt in V. et N. T., quas dignosces et interpretaberis eodem modo ac simplices tropi; suntque quandoque, sicut et isti, satis audaces, et linguis ac moribus nostris insolentiores. Sed in recta Scripturarum interpretatione ad earum ætatem et populum assurgere interpretem decet, non eas ad conditiones interpretis trahi. (Conf. e. g. Ezech. XVI, 1-60; XVII, 22-24; Ps. LXXIX, 9-14; Mat. III, 12).

723. Per symbolum intelligimus rem, actum aut ritum significativum, adhibitum vel ad historicos eventus in memoriam retinendos et revocandos, vel ad veritates religiosas repræsentandas, vel ad eventus futuros prænutiandos. Sunt proinde symbola historica (Ex. XII, 1-13; Deut. XVI, 1-8), vel religiosa (ut circumcisio), vel prophetica (conf. Isa. XX; Jer. XIII; Ezech. XII; Mat. XXI, 18, 20).

724. Typus est qualibet V. T. persona, res vel actio symbolica, quibus N. T. persona, præcipue Christus, ejus facta, fata et instituta repræsentantur. Ex antea dictis in solo V. T. inveniuntur, nec in qualibet ejus parte; noscuntur vero vel aperta in N. T. allegatione, vel communi Patrum interpretatione, sensu traditionali, ac ipsa continuata ac perfecta partium analogia inter typum et rem repræsentatam. Quod fere dicendum erit de symbolis, nisi quia hæc dignosci etiam possunt sola eorum consideratione, dum typos ad antitypos comparari necesse est.

725. Parabolæ ac fabulæ eamdem significationem hic habent, quam in rethoricis institutionibus; exemplaque 2 æ

habes Jud. IX, 7-15; 2 Par. XXV, 18; 1æ vero in V. T. 2 Reg. XII, 1-9 et in N. T. passim. Harum autem partes essentiales sunt, quæ cum fine seu scopo intimam connexionem habent; cetera accesoria tantum, veluti ornatus aut complementum narrationis haberi debent. Sensus illarum litteralis est ipsa narratio sive vera sive ficta, cum subordinatione ad illius scopum expressum vel tacitum, qui solus vim sensus biblici possidet.

726. Per gnomas (quæ et proverbia dicuntur, quando in ore vulgi versantur) intelliguntur sententiæ illæ breves ex communibus rerum relationibus desumtæ, quibus norma quædam humanæ prudentiæ exhibetur, aut sublimior veritas concluditur. (Synonima fere sunt vocabula: gnoma, aphorismus, sententia, proverbium, in bibliis quandoque parabola). In Libris Sacris innumeræ inveniuntur gnomæ, et libri integri illis complentur, pro ingenio orientalium, qui dicta ænigmatica, acuta, sententiosa amant, ut de arabibus notum est. Ad has vero interpretandas a) diligentius earum textus ex contextus considerari debet; b) si sententiam universalem per particularem exprimi appareat aut e contra, ad sensum ab auctore intentum assurgas, nec in verborum cortice remaneas; c) conditionate aut hyperbolice dicta esse intelligas ea, quæ talia accipi debere doceat experientia, rerum ipsa natura, loci paralleli, aut auctoris principia alias nota. Accipe e. g. sequentes: Mat. IX, 15; VII, 16; Prov. XV, 15; XIX, 4; Luc. XVI, 15; Rom. XII, 20; Prov. XXV 21...).

727. Emphases dicuntur verba illa quibus plus intelligi datur, quam quod ex usu communi loquendi significant. Noscuntur autem a) ex ipsa rei natura et adjunctis; e. g. Rom. VI, 17 «gratias ago Deo, quod *fuistis* servi peccati,» quia nempe jam non *estis*...; Joa. VI, 37 «eum qui venit ad me *non ejiciam foras*», id est, tantum abest ut ejiciam illum, quin potius summa charitate amplectar; Joa. I, 46 «a *Nazareth* potest aliquid boni esse?»; Rom. IX, 6 «non omnes qui ex Israel sunt, ii sunt *israelitæ*» &c. b) Ex contextu sæpe dignoscuntur emphatica verba, v. g. Mat. IX, 5 «quid est facilius *dicere* dimittuntur... aut *dicere* surge et ambula?» emphatica dicta esse docent v. 6 et 7; Joa. XI, 26 «non *morietur* in æternum», emphatice dictum est pro non damnabitur, non perdet vitam æternam, ut ex v. 25 patet.

c) Ex animi loquentis affectione, e. g. Joa. XIII, 6 «Domine, *tu* mihi lavas pedes?» Luc. XXII, 48 «Juda, *osculo* Filium hominis tradis?» Non sunt tamen habenda ut emphatica verba *technica*, nec ea quæ in pronuntiatione a reliquis distinguenda sunt, ut præcipua vis orationis pateat; nec formulæ illæ quibus loquens gravitatem dicendorum significat, vel attentionem auditorum postulat (e. g. fides, evangelium, vita, veritas; Pater et Filius, Joa. V, 21, et in antithesi verba præcipue opposita, *amen* dico vobis, *dico vobis*, *in veritate* dico vobis, *qui habet aures audiendi audiat*].

CAPUT XI.

Allegationes V. in N. Testamento, earum diversæ classes et exempla: interpretandi modus: diversæ prophetiarum species, precipue messianarum: quomodo dignoscantur: principia et regulæ interpretationis prophetiarum.

728. Ex intima relatione inter utramque revelationem judaicam et christianam, quæ posterior prioris consummatio, complementum et antitypon est, juxta ipsius antiquæ synagogæ, Christi, Apostolorum et Ecclesiæ doctrinam; factum est, ut ipsemet Christus et Apostoli, atque N. T. scriptores, ad V. T. passim confugerent, ut populo judaico demonstrarent in Jesu adimpleta fuisse, quæ a Moyse, Prophetis et psalmis dicta erant de Messia. Hinc procedit innumera locorum V. T. multitudo in N. allegatorum, quæ specialem et diligentiorem considerationem merentur. Allegantur enim V. T. loca diverso modo et in diversum finem. Nam 1.° allegatio est *formalis*, quæ fit expresse per aliquam formulam perspicuam (v. g. «Hoc factum est *ut adimplerentur* verba Isaiæ prophetæ dicentis...; item, Moyses dixit... David in Spiritu locutus est...» exempla plurima sunt et passim obvia); vel *non formalis*, si ad Scripturam vel aliquem librum in genere provocatur, si effata biblica adhibentur absque citationis aliqua formula, si demum ad per-

sonas vel historias biblicas respicitur, veluti ad typos N. T. aut fænomena analoga cum analogis jungenda. (Prioris modi exempla habes Joa. V, 39, 46, 47; Act. III, 18; X, 43; XXVI, 22, 23; Rom. I, 2; II, 24; secundi, Rom. IX, 7=Gen. XXI, 12: ib. X, 18=Ps. XVIII, 5; Ephes. V, 31=Gen. II, 24; Luc. XXIII, 30=Oseas X, 8; Act. IV, 11=Ps. CXVII, 22 &c.; typos in aliqua persona, Luc. XI, 29, 30; XI, 31, 32; 1 Tim. II, 13, 14; Hebr. VII, 1-10; XI, 4-40; Jac. II, 21; 1 Joa. III, 12; in aliqua historia, Luc. IV, 25-27; Mat. XXIV, 37-39; Joa. III, 14; 1 Cor. X, 1-11; Rom. XI, 3, 4; Hebr. XI, 19 &c.). Item loci allegati inveniuntur *accurate* aut *minus accurate*; *simpliciter*, vel *cum aliqua explicatione*; nam verba conveniunt cum versione alexandrina *accurate* (Mat. IV, 4, 7; XIII, 14-15; XXII, 32; XXVII, 35; Rom. III, 4, 12-18; 1 Cor. VI, 16; Gal. III, 16; IV, 27 &c.), aut *paucissimis exceptis* (Mat. I, 23; IV, 10; IX, 13 et alibi sæpe per totum fere N. T.), imo *contra textum hebraicum* alexandrino consentiunt (Rom. XV, 10=Deut. XXXII, 43; Hebr. X, 5=Ps. XXXIX, 7), aut denique solum illius sensum exprimunt, vel magis cum hebraico concordant (Mat. II, 15; IV, 15; Mar. XI, 17; Joa. XIX, 37), aut libere usurpantur, vel e memoria adhibentur, vel more rabbinico duo effata se integrantia vel illustrantia combinantur, vel plurium locorum sensum exprimunt. (Duorum posteriorum exempla habes Mat. XXI, 5; XXVII, 9, 10; Mar. I, 2, 3; Rom. XI, 8, et Mat. II, 23; Joa. VII, 38; 2 Cor. VI, 16; Jac. IV, 5). Allegationes simpliciter factas passim in superioribus invenies; cum aliqua vero explicatione, applicatione vel additione Mar. XII, 26 cum 27; XII, 36 cum 37; Joan. VI, 45, 46; X, 34-36; Act. XIII, 35-37; Hebr. I, 6-9; 1 Cor. II, 9 additur «*nec in cor hominis ascendit*» et «quæ præparavit Deus iis qui diligunt eum», quæ non sunt Is. LXIV, 4; ib. XIV, 21 addita sunt: *nec sic;* Ephes. V, 14: *et illuminabit te Christus*. Respectu habito ad finem seu scopum allegationis locorum V. T., Christus et Apostoli ac Evangelistæ aut volunt citare, ut eventuum rationem indicent vel dictorum veritatem demonstrent; aut applicare, ut doctrinam illustrent S. Scripturæ effatis; aut denique accommodare, ut conceptus sensusque suos verbis Scripturæ exprimant.

729. Hæc prius noscere interpres debet, ut verum hujus-

modi locorum sensum in N. T. inveniat, adhibitis communibus hermeneuticæ regulis; si enim consilium Christi aut scriptoris N. T. fuit V. T. locum citare, necessum est ut in illo eum sensum habeat, quod ipsi tribuitur; nisi dicere velis Christum aut Evangelistas non assequutos fuisse verum Scripturæ sensum, quod impium foret et rationalistarum proprium. Cum autem non vera citatio, sed applicatio est aut accommodatio, nil impedit quominus locus adhibitus diversum habeat in V. T. sensum literalem, ut contingere potest sequentibus locis: (applicatio) Rom. X, 6-8=Deut. XXX, 12-14; ib. X, 18=Ps. XVIII, 5; 1 Cor. I, 31=Jer. IX, 23, 24; 2 Cor. IV, 13=Ps. CXV, 10; ib. VIII, 15=Exo. XVI, 17; (accommodatio) Mat. II, 20=Ex. IV, 19; Luc. I, 46-50=(1 Reg. II, 1...; Ps. XXXIV, 9; LXX, 19; CXXV, 3; CII, 17, 18); ib. XXIII, 46=Ps. XXX, 6; Act. XIII, 47=Isa. XLIX, 6; Rom. VIII, 33=Isa. L, 8, 9 &c. Interpretis etiam est sensum V. T. tueri, qui in citationibus N. T. explicatur, idque faciet omnibus adminiculis in re hermeneutica existentibus. Sed ne frustra laboret, allegationem meræ applicationis vel accommodationis pro vera citatione accipiens, prius hanc certo discernat; quod faciet iis regulis attendens: a) est vera citatio ubi id exprimitur perspicua formula, et locus allegatur *accurate* vel *parva mutatione*; b) dum locus allegatur ut prophetia certis eventibus adimpleta; c) vel præcepta divina proponuntur ut norma vitæ religiosæ aut moralis; d) vel tamquam aliarum virtutum aut veritatum cohærentium fundamentum: vel denique e) in cujuscumque sententiæ comprobationem adhibentur. (Exempla a) passim habes v. g. Mat. XXII, 43, 44; b) Mat. I, 23; II, 6 (Joa. VII, 42)=Mich. V, 1; II, 23=plurib. proph. quoad sensum; Joa. II, 17; VI, 45; Act. I, 20; II, 16-21; Rom. IV, 17 &c.; c) Mat. IX, 13; XII, 7; XIX, 5, 6; Mar. X, 7; Luc. XIX, 46; Act. XXIII, 5; Rom. I, 17; 2 Cor. VI, 17 &c.; d) Mat. XXII, 32; Mar. XII, 26; Luc. XX, 37; Act. VII, 49; 1 Cor. VI, 16 &c.; e) Joa. X, 34; Rom. III, 4; ib. v. 10-12; 1 Cor. III, 19; Gal. III, 10; Hebr. III, 7-11; Jac. II, 23 &c.).

730. Non parum etiam interpretem juvabit accurata distinctio inter modos diversos, quibus prophetiæ adimpleri possunt. Nam a) aut idipsum evenit quod fuerat prænuntiatum, et adest *prophetia immediata* v. g. Petri negatio;

b) aut quod jam evenerat in figura, in præfigurato contingit *(prophetia mediata*, seu *typica)*, v. g. serpens æneus a Moyse factus in deserto, quem, *qui percussus aspexerit eum, vivet* (Num. XXI, 8 et Ex. XII, 46 coll. Joan. XIX, 36); c) aut quod de personis quibusdam dictum fuerat et impletum, similes ob causas denuo accidit, seu repetitur *(prophetia continuata)*, v. g, Isa. VI, 9, 10 coll. Mat. XIII, 14; Ps. LXXVIII, 2, 3 coll. 1 Mach. VII, 16, 17; d) vel denique effatum quod imperfecte, aut verbis improprie intellectis adimpletum erat, alio eventu perfecte, et proprio sensu completur *(prophetia completiva*, seu *prægnans)* e. g. Oseæ XI, 1 coll. Mat. II, 15. Itaque in prophetiis indirectis (b, c, d,) sensus precipuus et spiritalis accurate distinguendus erit, præsertim in iis, quæ ad Messiam referuntur; quod eadem ratione, immo potiori, agendum est cum prophetiis messianis directis, eo quod scholæ rationalisticæ totos suos conatus in iis infirmandis et ad alia objecta applicandis exerceant.

731. Quas quidem messianicas prophetias ut recte distinguas, rationibus *internis* et *externis* attendas; nempe: 1° indicia earum præbet materia substracta loci prophetici cum contextu considerati et intentione loquentis, atque cum historia collati; v. g. si cui talia prædicata tribuantur, quæ soli Christo apprime convenire possunt, erit prophetia immediata, saltem in iis adjunctis, quæ nulli personæ typicæ tribui queunt; alioquin erit prophetia typica, continuata vel completiva. (Sic Psalmus II est prophetia messianica immediata, sicut et LXXI, cum impossibile sit ut, quæ ibi leguntur, de Davide vel Salomone dicta fuerint, et in N. T. de Christo interpretata sint, cui soli perfectissime conveniunt. Idem dicas de Ps. XVI, XXI, XXXIX, XLIV, CIX..., sicut de celeberrimo loco Isa. VII, 14 coll. contextu et IX, 6-9). 2° Argumenta externa habentur in unanimi PP. consensu et Ecclesiæ fide, cui sæpissime Judæorum quoque, qui præjudiciis polemicis nondum imbuti fuerant, interpretatio accedit antiqua traditione suffulta.

732. Verum ob rei gravitatem, præsertim postquam rationalistæ omnem veram prophetiam a V. T. ablegant, atque ut meras intuitiones poëticas, aut aspirationes ad meliorem statum religioso-politicum interpretantur, operæ prætium erit quædam principia et regulas stabilire, quæ

veram de prophetiis earumque interpretatione doctrinam complectantur. In primis sequentes repudiandæ sunt rationalisticæ regulæ et principia, propter rationes sæpius jam a nobis positas: 1° Prophetæ non fuerunt nisi poëtæ; 2° dicta illa: *verbum Dei, factum est verbum Domini ad me* aliaque, quibus divinam inspirationem realem supponunt, literaliter non sunt accipienda; 3° Prophetarum eventus in ipsa ætate prophetæ, aut immediata quærendi sunt; 4° prophetiæ V. F. per N. T. explicandæ non sunt; 5° interpretatio quælibet mystica seu typica rejicienda est; 6° actiones symbolicæ et visiones propheticæ numquam significant aliud quam generalem prophetiæ scopum, nec proinde sensum specialem habent (quod generatim falsum est, sicut de circumstantiis parabolarum paulo ante diximus); 7° ante tempora monarchiæ nulla quærenda est messianica prophetia (hoc toti S. S. et universis populorum traditionibus adversatur); 8° quæ ad eventus proximos referuntur, ad Messiam applicari nequeunt; 9° tunc prophetæ loquuntur de Messia, cum ætatem auream describunt, fausta omnia nuntiant; non vero cum calamitates, passiones et dolores prænuntiant (conf. ad hæc, quod diximus de duplici natura et charactere Christi). Has omnes regulas et principia si bene rimeris, perspicies nihil aliud significare aut plus ponderis habere, quam incredulorum hominum præjudicium nullas esse possibiles prophetias, vel saltem nullas unquam extitisse.

733. Principia et regulæ, quibus interpretatio catholica prophetiarum inniti debet, et veram doctrinam earum in compendium redigunt, hæc sunt: 1° dantur in Sacris Bibliis veræ et reales prophetiæ, a divina Sp. Sancti immediata inspiratione supernaturali procedentes; 2° hæ prophetiæ diversæ sunt, nempe *immediatæ*, *typicæ*, *continuatæ et completivæ*, nec quidquam difficultatis alia præ aliis divinæ benignitati et omnipotentiæ offert; 3° quælibet prophetia suum habet sensum literalem; 4° aliquæ earum ad Messiam referuntur (ita ex doctrina Christi, Apostolorum, Ecclesiæ, concilii 5i oecumenici adversus Theodorum Mopsuestæ, et ex earumdem diligentiori examine et comparatione cum persona J-C); 4° licet plures sint prophetiæ messianicæ typicæ, non tamen omnes; 5.° facilius interpretari debent prophetiæ literaliter (sensu rethorico), quæ de rebus judaicis proximioribus loquuntur; quæ vero eorum remo-

tiora fata, presertim post adventum Messiæ, et finem temporum respiciunt, figurata ac poëtica dictione, sub materialium colorum involucro, res spirituales et religiosas designant; 6° ordo et regularis methodus in prophetiis non est semper quærenda; imo prophetæ, divina inspiratione, extasi et prophetico oestro agitati, communiter ordine abrupto procedunt, et ex rebus proximioribus ad remotiora, ex typo ad rem præfiguratam, ex nationalibus fatis politicis ad innovationem spiritualem futuram, ope messianico paragendam, transitum faciunt, aut e contra, quin id aperta transitione ostendant; siquidem prophetæ res typicas et antitypa, proximiores et remotiores veluti in depicta tabula (en perspectiva) videbant a divino Spiritu illustrati, ac proinde ab immediatis ad posteriores et remotissimos eventus transitum faciebant, qui omnes illis erant præsentes, et indicant voce *ecce;* 7° hæc prophetarum agendi ratio non est tamen exaggeranda, nec sine sufficienti ratione admittenda; 8° numquam explicandæ sunt prophetiæ contra historiam eventus earum, postquam hic certo notus est, nisi dicere velis divinam inspirationem falli potuisse; 9° servandæ hic etiam sunt, imo præcipue, regulæ generales hermeneuticæ communis et christiano-catholicæ.

CAPUT XII.

Principium universale hermeneuticæ generalis christiano-catholicæ: ultima tironibus monita.

734. Jam ut finem labori nostro imponamus, omnia, quæ in hermeneutica scientia comprehenduntur, unico generali principio amplecti juvat, et postremum tironibus consilium duplex dare. Principium hoc erit: Ita Scripturam interpretare ope *usus loquendi*, *contextus* et *conditionis personæ loquentis*, ut illam *Dei verbum* esse memineris, juxta *regulas ab interprete authentico*, *Ecclesia catholica*, *propositas* investigandum, intelligendum et amplectendum. Primum consilium dabit ipsa S. Scriptura (Proverbiorum III, 5): «Ne innitaris prudentiæ tuæ»; ac proinde

auxilium a Deo petas et exspectes, et continuo præstantissimis Sacrorum Bibliorum interpretibus adlabores, sive earum *versiones* ederint in lucem (quod ad unguem perficere dificillimum est), sive *paraphrases*, sive *scholia*, sive vera *commentaria*, sive denique, ubi hoc opus fuerit, *interpretationem popularem*, ad christianorum fidelium religiosam et moralem institutionem. Alterum pariter e S. Scriptura deducam (2 Tim. III, 16-17): «Omnis Scriptura *divinitus inspirata* (conf. supra n.° 616) utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut *perfectus sit homo Dei*, ad omne opus bonum instructus»; omni igitur constantia et indefesso labore S. Scripturæ profundiori studio et meditationi instandum est, quæ non solum verbum Dei continet omnemque sapientiam, sed omni alio libro profundior, pulchrior, eloquentior est, omnibusque simul sumptis; unde imprudenter omnino hæc derelinquitur a coævis multis verbi sacri præconibus et scriptoribus religiosis; aut si adhibetur, non fit intimiori illa cognitione et sensus litteralis familiari notitia, in quo præcipuæ, si non omnes, Sacræ Scripturæ præstantissimæ dotes sunt; sed fit vulgari quorumdam locorum allegatione, aut nonnullarum historiarum, aut non proprio sensu, sed futili, adscriptitio, a viris piis et doctis prorsus contempto, omni probandi vi, omni eloquentia vera et pulcritudine destituto; idque ob pessimam consuetudinem quotidianis effemeridibus loco Sacrarum Scripturarum operam dandi. Quam reprehensionem obsecro, ut qui talia agunt, ignoscant; et tamen consilium amplectantur ad M. D. G. et H.

APENDIX 1.ª

Conspectus generalis omnium S. S. librorum.

Libri.	Auctor.	Ætas.	Capita.	Versus.	Character.
Genesis	Moyses	Post exitum ex Ægypto.	50	1530	Historicus.
Exodus	Id.	Id.	40	1211	Hist. legalis
Leviticus	Id.	Id.	27	858	Id. id.
Numeri	Id.	Id.	36	1288	Id. id.
Deuteronomium	Id.	Id.	34	959	Id. id.
Josue	Josue?	1455? a J. C.	24	658	Historicus.
Judicum	Samuel?	1100—1050	21	618	Id.
Ruth	Samuel?	Id. — id.	4	85	Id.
Primus Regum.	Samuel?	Id. — id.	31	811	Id.
Secundus id.	Id. cum Nathano et Gado	Id. —1000	24	695	Id.
Tertius id.	Jeremias?	628—560?	22	817	Id.
Quartus id.	Jeremias?	Id. — id?	25	719	Id.
Primus Paral.	Esdras?	458—440?	29	940	Id.
Secundus id.	Esdras?	Id. — id?	36	822	Id.
Esdras	Esdras	Id. — id.	10	280	Id.
Nehemias	Nehemias	430?	13	404	Id
Tobias	Tobias?	Sæculo 7.º	14	298	Biographicus
Judith	....	.. .	16	336	Historicus.
Esther	Mardochæus?	480—460?	16	275	Id.
1 Machabæorum	....	In fine sec. 2i?	16	929	Id.
2 Machab.	Jasonis nepos	Circa a 100?	15	558	Id.
Job	Job?	Mosaica?	42	1070	Poëtico-didacticus.
Psalterium	David aliique	Ætate Davidis et posteriori, sed ante machabaicam.	150	2549	Poëticus.
Proverbia	Salomon	1002—967	31	915	Poëtico-didacticus.
Ecclesiastes			12	222	Id. id.
Cant. Cant.			8	116	Id. id.
Sapientia	....	247—221 vel 170—116	19	439	Id. id.

Libri.	Auctor.	Ætas.	Capita.	Versus.	Character.
Ecclesiasticus..	Jesus ben Si rach.	280?	51	1592	Poëtico-didacticus.
Isaias.....	Isaias.....	759—696	66	1293	Propheticus
Jeremias.....	Jeremias.....	628—560	52	1363	Id.
Baruch...	Baruch.....	560?	6	213	Id.
Ezechiel.....	Ezechiel.....	603—576	48	1272	Id.
Daniel.....	Daniel.....	603—536	14	531	Id.
Oseas.....	Oseas.	786—730	14	198	Id.
Joel.....	Joel.....	874—839 vel melius coævus Oseæ.	3	73	Id.
Amos.....	Amos.....	825—760	9	147	Id.
Abdias.....	Abdias .....,	800?	1	21	Id.
Jonas.....	Jonas.....	800?	4	48	Id.
Michæas.....	Michæas	750—720	7	104	Id.
Nahum	Nahum.....	Circa a. 700.	3	47	Id.
Habacuc.....	Habacuc	620?	3	56	Id.
Sophonias.	Sophonias ...	641—610	3	53	Id.
Aggæus	Aggæus.....	Circa a. 500.	2	38	Id.
Zacharias	Zacharias. ...	Eodem temp.e	14	211	Id.
Malachias.....	Malachias....	Paulo post.	4	55	Id.

Libri.	Scriptor.	Ætas.	Locus.	Capita.	Versus.
Evang. Matthæi	Matthæus....	Circa a. 40.	Palæstina...	28	1070
Ev. Marci.....	Marcus.....	Circa a. 50.	Romæ.....	16	677
Ev. Lucæ.....	Lucas.....	Post 63, sed ante 67.	Achaia?.....	24	1141
Ev. Joannis.....	Joannes. ...	70—80?	Ephesi	21	879
Acta Apostol...	Lucas.....	63—67	Achaia?	28	1004
Ep. ad Romanos	Paulus	58	Corinthi.....	16	433
1. Corinthios...	Id.....	56—57	Ephesi	16	437
2. Corinthios...	Id.....	57	Macedonia..	13	255
Galatas	Id.....	54	Ephesi	6	149
Ephesios....	Id.....	63	Romæ.....	6	155
Philippenses	Id.....	63	Romæ.....	4	104
Colossenses.	Id.....	63	Romæ.....	4	95
1. Thessalonic.	Id.....	53	Corinthi. ...	5	88
2. Thessalonic.	Id.....	54	Corinthi.....	3	46
1. Timotheum .	Id.....	55?	Macedonia?.	6	113
2. Timotheum .	Id.....	66?	Romæ.....,.	4	83
Titum.....	Id.....	56?	Ephesi?	3	46
Philemonem	Id.....	63	Romæ.....	1	25
Hebræos. ..	Id.....	63	Romæ?.	13	303

Libri.	Scriptor.	Ætas.	Locus.	Capita.	Versus.
Epist. Jacobi ...	Jacobus minor.....	Ante Ev. Matt?	Hierosolymis.....	5	108
1.ª epist. Petri.	Petrus	65—67	Romæ.....	5	105
2. Petri.....	Id.....	Paulo post 1.am	Romæ.....	3	61
1. Joannis.....	Joannes.....	Simul cum evangelio.	Ephesi.....	5	105
2. Joannis.....	Id.....	90—100?	Ephesi.....	1	13
3. Joannis.....	Id.....	90—100?	Ephesi.....	1	15
Epist. Judæ....	Judas.....	Paulo post 2am Petri.	.....?.....	1	25
Apocalypsis	Joannes.....	96?	Patmos.....	22	405

Hæc ex Danko descripsimus, paucis mutatis circa auctorem, ætatem et loca, quibus nonnulli libri scripti fuere; ac forte nunnulla errata sunt in versiculorum numero.

APPENDIX 2.ª

Canon Muratori.

Canon Muratori dicitur fragmentum quoddam a Muratori in bibliotheca milanensi inventum, quod enumerationem continet librorum N. T., exceptis duobus prioribus evangeliis, ob mutilationem scripturæ præcedentis, et item aliis adhuc non plene ob omnibus admissis, quod hujus fragmenti antiquitatem evincit. Ex multorum eruditorum studio et controversiis id verosimilius apparet: eumdem origine græcum fuisse, et in latinum sermonem satis prave conversum, quo fit ut quædam non bene intelligantur. Juxta Bunsen opus est Hegesippi, juxta alios presbyteri Caii, juxta omnes documentum est seculi 2.i, paulo post Pium 1.um (142-157), et catalogum exhibet librorum N. T. in romana ecclesia receptorum. Illud autem (correctionibus certis aut probabilibus obelo notatis) ita est.

« . . . . . quibus tamen interfuit (Marcus) et ita posuit. *Tertio* (um) evangelii librum secundo (um) Lucam. Lucas iste medicus, post ascensum Christi, cum eo (eum) Paulus quasi juris studiosum secundum (secum?) adsumsisset numine (nomine) suo ex opinione concriset (conscripsit); Dominum tamen nec ipse vidit in carne, et idem

prout assequi potuit. Ita et a nativitate Joannis incipet (incipit) dicere· Quarti (um) evangeliorum Joannis ex decipulis (discipulis). Cohortantibus condecipulis (condiscipulis) et episcopis suis dixit: conjejunate mihi odie (hodie) triduo, et quid cuique fuerit revelatum, alterutrum nobis enarremus. Eadem nocte revelatum Andreæ ex Apostolis, ut recognoscentibus (cunctis) cuntis, Joannis (es) suo nomine cuncta describeret. Et ideo licit (et) varia singulis evangeliorum principia doceantur, nihil tamen differt credentium fidei (es?), cum uno ac principali spiritu declarata sint in omnibus omnia de nativitate, de passione, de resurrectione, de conversatione cum decipulis (discipulis) suis, ac de gemino ejus adventu: primo (us?) in humilitate dispectus (despectus), quod fo... (uit), secundum (us?) potestate regali præclarum (us?), quod foturum (futurus?) est. Quid ergo mirum si Joannes tam constanter singulo etiam in epistulis suis proferat, dicens in seme (t) ipsu (o): «quæ vidimus oculis nostris et auribus audivimus, et manus nostræ palpaverunt, hæc scripsimus.» Sic enim non solum visurem (visorem) sed (se) et auditorem, sed et scriptorem omnium mirabilium Dominus (i) per ordinem profitetur. Acta autem omnium Apostolorum sub uno libro scripta sunt. Lucas Optime (o) Theophile (o) comprindit (comprehendit) quia (quæ?) sub præsentia ejus singula gerebantur, sicuti et semote passionem Petri evidenter declarat, sed profectionem Pauli ab *urbe* ad *Spaniam* proficiscentis. Epistulæ autem Pauli, quæ, a quo loco, vel qua ex causa directe (æ) sint, voluntatibus (volentibus) intellegere (intelligere), ipsæ declarant. Primum omnium Corintheis (iis) scysme (schisma) hæresis interdicens, deinceps Calactis (Galatis) circumcisione (m), Romanis autem ordine (m) Scripturarum, sed et principium earum Christum esse intimans, prolexius (ixius) scripsit, de quibus sincolis (gulis) necesse est a nobis disputari. Cum ipse beatus Apostolus Paulus sequens predecessoris sui Joannis ordinem nonnisi nominatim (septem) semptem Ecclesiis scribat ordine tali: Accorenthiôs (ad Cor.) prima, ad Ephesios seconda, ad Philippinses tertia, ad Colossenses quarta, ad Galatas quinta, ad Tensalonicensis (es) sexta, ad Romanos septima; verum Corinthiis et Thessalonicensibus, licet pro correptione iteretur, una tamen *per omnem orbem terræ ecclesia* deffusa (diff) esse denoscitur (dign.). Et Joannis enim in Apocalepsi, licet septem ecclesiis scribat, tamen omnibus dicit. Verum ad Philemonem una, et ad Titum una, et ad Timotheum duas (æ) pro affecto (u) et dilectione, in honorem tamen Ecclesiæ catholicæ, in ordinatione eclesiastice (æ) descepline (disciplinæ) sanctificatæ sunt. Fertur etiam ad Laudecenses, alia ad Alexandrinos Pauli nomine finctæ (fictæ) ad hæresem

Marcionis, et alia plura, quæ in catholicam Ecclesiam recepi non potest (possunt?). Fel enim cum melle misceri non congruit. Epistola sane Jude (æ) et superscriptio (ti) Joannis duas (æ) in catholica habentur, et (ut, juxta Maier) Sapientia ab amicis Salomonis in honorem ipsius scripta. Apocalapse (lypsis, es?) etiam Joannis. (,?) Et (et) Petri tantum recipimus, quam quidem (am) ex nostris legi in Ecclesia nolunt. Pastorem vero *nuperrime temporibus nostris* in urbe Roma Herma (as) conscripsit, *sedente cathedra urbis Romæ ecclesiæ Pio episcopo* fratre ejus; et ideo legi eum quidem oportet, se publicare vero in ecclesia populo, nec inter Profettas (phetas) completum (os) numero, neque inter Apostolos in finem temporum potest. Arsinoi autem, seu Valentini, vel Milciadis nihil in totum recipimus, qui etiam novum psalmorum librum Marcioni conscripserunt. Una cum Basilide Assianum (orum?) catafrycum (phrygum) constitutorem... (rejicimus?).»—Cujus scripti loquendi modus ab auctoritate aliqua docente aut præcipiente ipsum provenire suadet, ac primum catalogum exhibet Ecclesiæ romanæ, a versione itala patribusque latinis trium priorum seculorum confirmatum atque supplendum. Defectus tamen quarumdam epistolarum nihil contra earum canonicam auctoritatem evincit, si aliunde hæc constet, prout revera satis constare suo loco comprobatur.

APPENDIX 3.ª

Hispani scriptores biblici præcipui.

Propositum erat hic catalogum texendi omnium fere hispanorum, qui in Sacra Biblia lucubrationes isagogicas, vel commentaria, scholia, versiones, aliaque ejusmodi ediderunt; sed quia syllabus a me collectus, licet multi effugerint, plusquam quingentos auctores complectitur, a primo proposito, ne amplius volumen evaderet, recessi, ac tantum valde conspicuos afferre statui. Sunt autem: C. V. Aquilinus Juvencus, *Historia evangelica*, carmine heroico digesta, quibus evangelia fere descripsit (sæc. IV)—Prudentius, *Exaëmeron*, ut etiam Dracontius (sæc. IV et V)—S. Justus urgelitanus, *Enarratio super Cantica Canticorum* (sæc. VI)—S. Leander, *Super Psalmos*, varia opuscula (eod. sæc.). S. Isidorus, *Proœmia in singulos S. S. libros*; *Brevis expositio in* V. *T.*; *Liber allegoriarum quarundam S. S.*—S. Julianus, Anti-

κειμενων, seu *Antilogiarum S. S. conciliatio*—S. Beatus presb. liebanensis, *Commentarium in Apocal.* (omnes sæc. VII).—S. Martinus, abbas legion., *Comm. in Apoc. et epistolas catholicas* (sæc. XII)—S. Antonius patavinus, *Interpretatio mystica in S. S.*, ac *Concordantiæ morales S. S.* (eod. sæc.), Adephonsus X Castellæ rex, *Biblia hispanice versa* ejus jussu (sæc. XIII)—Pontius Carbonell, *Comm. in universam Bibliam*, in forma catænæ dispositum (eod. sæc.)—Arnardus de Villanova, *Expositio super Apoc.* (sæc. XIV)—Paulus Burgensis, *Additiones ad postillas N. de Lyra* (sæc. XV).—Plures rabbini iis temporibus multa ac præclara opera ediderunt, in quibus eminent Aben-Ezra, Moseh ben Maiiemon (Maimonides), Abarbanel (ulisiponensis), Isaac Caro, Abraham Sabah, Joseph Caro ben Ephraim (castellanus), denique, aliis omissis, Paulus Coronel, Didacus complutensis et Adephonsus zamorensis, qui in polyglottis complutensibus multum laboraverunt.—Alphonsus Madrigal (el Tostado, 1455—1500), *Commentaria* in omnes pene libros S. S. historicos, quæ complent 21 vol. in folio, itemque alia minora scripta.—Joan. a Turre Cremata, *Expositio brevis et utilis super psalmos* (Romæ 1476), *Quæstiones spirituales super evangelia totius anni* (Brixiæ 1498)—Jacobus Perez de Valentia, *In 150 ps. expositiones* (Valentiæ 1486), *In Cant. Cant.* (Lugduni)—Ximenez de Cisneros *Biblia polyglotta complutensia* (Compluti 1514—1517)—Melchior Cano, *De locis theologicis* (Salmant. 1562)—Cyprianus de la Huerga, *Plura commentaria*, et *Isagogem* manuscriptam *in totam S. S.* (pleraque Salmant 1555...)—Petrus Antonius Beuter, *Annotationes X ad S. S.* (fere manuale isagog. completum, Valentiæ 1547).—Franciscus de Toledo, *Comm. cum annot. in Evang. Joannis* (Romæ. 1588, cum aliis pluribus, et in correctione Vulgatæ laboravit).—Hieronymus de Prado simul cum Villalpando, *In Ezechielem* (Romæ 1596).—Emmanuel Sa, *Notationes in S. S.* (Antuerpiæ 1598) —Fr. Ludovicus Legionensis, *Interpretatio et commentarium in Job, in Cant. Cant.; in plures Psalmos et proph.* (omnia fere Salmant. 1580...) —Arias Montanus, *Polyglotta antuerpiensia, Apparatus ad ea, In omne fere N. T. elucidationes, Antiquitatum judaicarum libri IX* &c. &c., adeo ut vere eum diceres scripturariorum principem et ingenii ac doctrinæ *miraculum* (pleraque Antuerpiæ, Biblia 1569—73)—Hector Pinto, *In Isaiam com.* (Antuerpiæ 1561), *In Ezechielem* (ib 1570), *In Danielem* (Conimbricæ 1582), *In Lament. et Nahum* (ib. 1574).—Pereyra, *Com. in Dan. proph. libri XVI* (Romæ 1586).—Salmeron, *Prolegomena in Scrip. universam*, item *in epistolas Pauli, Comment. in plures S. S. libros* (Matriti, 1597...)—Rivera, *Com. in 12 proph.* Romæ 1590), *In Apoc.* (Lugd. 1592), *In Joannem* (ib. 1623).—Mal-

donatus, *In evangelia commentarium* egregium, ac *plurima in V. T.* (a 1595 ad 1611)—Mariana, *Scholia in S. S.*, et *Pro editione Vulgata* († *1624*).—Gaspar Sanchez, *Commentaria*, in omne fere V. T excepto Pentat. (a 1615 ad 1618).—Pineda, *Com. in Job* (Matriti, 1597—1608), *Salomon prævius*, lib. VIII (Lugduni 1609), *Instrumentum domus sapientiæ* (seu Isagoge ms. et alia plura)—Malvenda, *Annotationes et castigationes locorum depravatorum edit. Vulg.*, *Com. in Ps.*, *in libros Samuelis*, et innumera opuscula minora, vir mirabilis eruditionis, *Comm. in S. S*, *una cum nova de verbo ad verbum ex hebr. translatione* (Lugduni, 1650, tantum pervenit ad cap. XIV Ezechielis).—Ludov. Tena *Isagoge in totam S. S.* (Barcinonæ 1620).—Pinto Ramirez, *In Cant. Cant.* (Lugd. 1642), *Sacræ Scrip. selecta* (ib. 1648), &c.—Did. Celada, *Com. in Judith*, *De benedictionibus Patriarcharum*, *In Tobiam*, *In Ruth*, *In Susannam Danielis* (Lugd. 1637, 41, 44, 51 et 56).—E sæculo XVIII laudari dignus est Franc. Perez Bayer, præcipue propter grammaticam hebraicam (ms.) et librum *De nummis hebræo-samaritanis* (Valentiæ 1781), et ante ipsum Cuadros, *Palæstra biblica*, seu *Enchiridion biblicum* (1725-31), demum La Cunza, *La venida del Mesias en gloria y majestad* (in indicem libr. prohib. relatus, quia Clementi XIV offensus ob dissolutionem S. J., Romæ Apocalypsim male applicare ausus est, et regnum millenarium admisit; editum est sub pseudonymo *Aben-Ezra*). Nostro sæculo nullum cognoscimus opus mentione dignum, post *Versiones Bibliorum hispanas* Philip. Scio (1793—4) et Torres Amat (1824), quam popularem et præstantissimam quidem *Historiam Religionis* Jac. Josephi Garcia Mazo. ¡Faxit Deus, ut post nostrum libellum plura et præclara ingenia in hoc pulcherrimo S. S. campo uberes fructus, ad majorem Dei gloriam ac patriæ decus, colligant!

FINIS.

INDEX.

Capita.		Paginæ.
	CAPUT PRÆLIMINARE.	
	Notiones præviæ.	1
	SECTIO PRIMA.	
	ARCHÆOLOGIA.	
I.	Archæologiæ notio, divisio et utilitas.	7
II.	Notiones geographicæ regionum Palæstinam circumdantium.	8
III.	Geographia Palæstinæ..	11
IV.	Hydrographia Palæstinæ ejusdemque temperies.	16
V.	Divisiones quibus Palæstina diversis ætatibus subjecta est.	19
VI.	Delineatio brevis regionum quas apostolus Paulus peragravit.	22
VII.	Hebræorum domicilia, eorum origo et progressus. Ars judaica..	23
VIII.	De nomadibus.	27
IX.	De nomadum pecoribus: de omnibus animantibus quorum mentio in Bibliis fit, sive mundis sive immundis.	29
X.	De Agricultura inter hebræos; de sementibus aliisque plantis in Bibliis ocurrentibus.. . .	34
XI.	Artes hebræorum: bonæ artes: instrumenta musica..	39
XII.	Cultura hebræorum literaria.	44
XIII.	Forma poëseos hebraicæ externa: ejusdem historica delineatio..	49
XIV.	Historicæ scientiæ, mathematicæ et cosmographicæ.	53
XV.	Aliæ scientiæ: geographia, chronologia, philosophia, &c.: scholæ.	58
XVI.	De hebræorum mercatura, mensuris, ponderibus, nummis.	63
XVII.	Hebræorum vestes et nonnulla ornamenta. . .	69
XVIII.	De moribus hebræorum in cibis, potibus et conviviis.	74

XIX. De societate conjugali, paterna et domestica. . 76
XX. De servis hebræorum: vindicatur lex mosaica ab accusatione duriciei. 81
XXI. Mores hebræorum in ordinaria conversatione: quid circa advenas peregrinos et pauperes lex præcipiebat, unde ab eadem calumnia vindicatur: immundiciæ legales. 83
XXII. De frequentibus hebræorum morbis: de dæmoniacis. 87
XXIII. De fide judæorum super altera vita: de sepulturis et funeribus. 89
XXIV. De antiquitatibus hebræorum politicis ac primum de fundamentali lege. Occupatio Palæstinæ. Jus internationale. 93
XXV. Forma reipublicæ. Regum auctoritas et mores. . 96
XXVI. Regia potestas ac proventus: uxores: magistratus: regimen populi in captivitate et sub extera dominatione usque ad finem reipublicæ. . . . 99
XXVII. De tribunalibus, judiciis et poenis: de usura. . 103
XXVIII. De re militari apud hebræos. 109
XXIX. Religionis notio: prima religio Adamo tradita: revelatio noachica: electio Abrahami: num hæc rejectionem ceterorum populorum Deumque nationalem significaret: Ritus circumcisionis. 113
XXX. Revelatio mosaica: dogmata: virtutes theologicæ: alia præcepta: cultus privatus: leges de cibis et purificationibus. 118
XXXI. Cultus publicus, ac primum loca sacra et ritus sacrificiorum. 122
XXXII. Clerus: proventus clero et cultui destinati: præcipua festa. Officia religionis hypothetica: officia hominis erga reliquos. 127
XXXIII. Ulterior doctrinæ mosaicæ evolutio; nihil exoticum ei accessit ex aliis religionibus: neque ex philosophorum placitis: neque demum hebraicæ sectæ aut Philonis doctrina in Christi et Apostolorum prædicationem novi quidquam intulerunt, sed ab ea longe distant. Synagogarum mores et extensio judaismi ætate Christi. . . 134

SECTIO II.

DE CANONE, TEXTU ET VERSIONIBUS S. S.

I. Notio *canonis:* liber *canonicus* et *divinus*: unde id constabat in V. et N. lege: libri *proto* et *deuterocanonici:* alia divisio: doctrina Ecclesiæ. Libri apocryphi. 146

II. Historia canonis hebræorum: num ipsi ut divinos admiserint libros deuterocanonicos V. T.: doctrina Christi et Apostolorum hac de re. . 150
III. Ecclesiæ traditio circa libros V. T. deutorocanonicos: expenduntur obscuriora Patrum loca: de canone protestantium: deuterocanonici N. T. Unde venerit Patrum et sapientum oscitantia circa rem hanc. 156
IV. Canon Sacrorum Librorum nemini privato certe constare potest absque Ecclesiæ authentico judicio: canones varii: libri apocryphi ac deperditi. 160
V. Textus originalis Librorum Sacrorum: Pentateuchi usus publicus: autographus repertus anno 622 ante C.: usus reliquorum librorum: recensio esdrina. 464
VI. Antiquus scribendi modus: textus divisiones et interpunctiones: textus masoreticus: manuscripta hebraica nunc exstantia: recensiones, celebriores editiones, apparatus critici: integritas textus hebraici. 167
VII. Historia, valor et usus textus samaritani. . . . 171
VIII. Character linguæ et styli librorum N. T.: autographa: modus quo scribebantur: codices unciales, stichometrici, minusculi, &c.: capita et versus. 177
IX. Causæ variantium lectionum librorum N. T.: quantæ sint hujusmodi variantes lectiones: præcipuæ textus antiquæ recensiones: codicum familiæ: præcipua ejemplaria adhuc exstantia: codex sinaiticus: adnotatio circa escurialenses: præcipuæ editiones græci textus: apparatus et editiones criticæ. 181
X. Versionum utilitas. Versio alexandrina, ejusque auctoritas et indoles: aliæ versiones græcæ antiquæ: labores origeniani: græci textus V. T. editiones 189
XI. Necessitas versionis latinæ brevi orta: ætas et indoles versionis *Italæ;* hujus recensiones variæ aliæque versiones: *Itala* in Italia, non in Africa facta est: ejus usus ad 8^m^ fere sæculum: præcipui codices manuscripti et typis vulgati. . 195
XII. Labores S. Hieronymi: quibus constat *Vulgata* latina versio: critici labores circa eam: codices manuscripti versionis hieronymianæ horumque editiones: editiones præcipuæ *Vulgatæ:* Ecclesiæ cura pro integritate sacri Textus. . . . 199
XIII. Editionis *Vulgatæ* præstantia: quo sensu *authentica* sit: adnotatio circa sententiam Fr. Ludovici Legionensis: aliæ latinæ versiones. . . . 204

XIV. Versionis syriacæ *Peschito* ætas, indoles, præstantia ac variæ editiones: versio philoxeniana, heracleensis, exaplaris aliæque syriacæ: *Targumim* chaldaici, eorumque usus criticus et exegeticus: versio samaritana: versiones ægyptiacæ, arabicæ, gothicæ &c. 207

XV. Versiones linguis vernaculis modernis factæ: enumeratio versionum hispanicarum: adnot. de polyglottis. 212

SECTIO III.

INTRODUCTIO PARTICULARIS.

I. Electio singularis populi hebraici: Pentateuchus: hujus partitio ac materia contenta: indoles: scopus. 216

II. Controversiæ circa auctorem Pentateuchi: hodiernæ rationalistarum sententiæ. 221

III. Vindicatur Moysi Pentateuchus argumentis externis, internis et indirectis. 225

IV. Solvuntur multiplices adversus genuinitatem Pentateuchi difficultates. 232

V. Axiopistia seu credibilitas Pentateuchi: nonnulla objecta: locus Pentateuchi in ordine divinæ revelationis, ejusque præstantia: episodium Balaami. 241

VI. Conspectus historiæ biblicæ post Moysem: Josue: ejus liber: quisnam fuerit auctor: nihil vetat quominus ipse Josue librum scripserit: difficultates. 246

VII. Fides historica huic libro debita: diluuntur contraria objecta. 253

VIII. De libro Judicum, ejusque ætate et auctore: difficultates quibus Samueli abjudicatur ejusque unitas impugnatur. 257

IX. Fides libri historica: solvuntur objectiones: aliæ difficultates contra auctoritatem illius divinam: expenditur votum Jephte, facinora Samsonis &c. 263

X. Libri Ruthæ materia contenta, consilium, lingua, ætas, auctor, veritas historica ac moralitas. 273

XI. De duobus libris Samuelis, seu 1.° et 2.° Regum, eorum ætate, auctore, unitate: fides illorum historica: solvuntur objecta, sicut et illa quæ horum librorum doctrinam et auctoritatem impetunt. 276

XII. Duo posteriores libri Regum: eorum ætas et auc-

tor: historica fides: difficultates oppositæ. . 284
XIII. Libri Paralipomenon: eorum scopus ac cum libris Regum comparatio: ætas et auctor: difficultates oppositæ eorum antiquitati et axiopistiæ. 292
XIV. De libris Esdræ ac Nehemiæ: materia substracta: auctores: contrariæ difficultates solvuntur: fides historica: tabula regum persicorum. . . 298
XV. Liber Tobiæ: auctor, textus originalis ac immediatæ versiones: demonstratur veram historiam in eo narrari, et argumenta contraria solvuntur. 303
XVI. De libro Judith, ejus originali textu ac duabus immediatis versionibus: ætas et auctor: veram historiam exhibet: solvuntur objecta. . 308
XVII. De libro Esther: materia substracta: character historicus: lingua et auctor: veracitas historiæ comprobatur ac contra plurima objecta defenditur. 315
XVIII. De libris Machabæorum: materia, lingua, ætas ac veracitas historica: adnotatio chronologica regum Syriæ, Ægypti ac principum Machabæorum. 323
XIX. De libris poëticis ac primum Job: an vera sint quæ de Jobo liber narrat: an unus sit liber vel fragmentorum farrago. 331
XX. Forma litteraria et scopus libri Job: ætas: auctor: divina auctoritas. 337
XXI. Liber Psalmorum: auctores: classes: inscriptiones: divinitas, &c 343
XXII. Liber Proverbiorum seu Parabolarum: partitio, genuinitas et integritas: auctor: divina auctoritas: solutio objectorum. 351
XXIII. Ecclesiastes: materia substracta ac forma compositionis: auctor et stilus. 355
XXIV. Canticum Canticorum: auctor et libri unitas: sensus allegoricus in eo est sensus litteralis: objecta et sententiæ oppositæ. 358
XXV. Liber Sapientiæ: divisio ac substracta materia: lingua, auctor et ætas: divina auctoritas paucis evincitur ac contra plura objecta vindicatur. 364
XXVI. Liber Ecclesiastici: partitio et argumentum: lingua, auctor et ætas: auctoritas divina: adnotatio circa duos textus græcos et eorum versiones. 371
XXVII. De Prophetismo: vox *propheta*: donum ac ministerium propheticum: electio ac illuminatio Prophetarum: ætas: criteria quibus discerni poterant: vaticiniorum objecta: diversitas inter prophetias ac ethnicorum divinationes. . . . 374

XXVIII. Isaias: argumenta prophetiarum ejus: authentia. 380
XXIX. Solvuntur argumenta adversus authentiam, unitatem et integritatem vaticiniorum Isaiæ: quid intelligatur per *Servum Dei*: libri præstantia . 386
XXX. Jeremias; argumentum libri ejus: ætas et indoles: discrepantia inter textum hebraicum græcamque versionem, ejusque causa: authentia: Threni. 391
XXXI. De libro Baruch, ejus partibus, argumento, lingua, authentia et oppositis difficultatibus: Ezechielis ministerium, liber, hujus authentia et divina auctoritas. 396
XXXII. De Daniele: adnotatio circa historiam Babyloniæ prophetæ coævam: Danielis ministerium ac peculiaria adjuncta: pondus quæstionis circa hujus libri authentiam: ejusdem quæstionis status. . 401
XXXIII. Authentia libri Danielis prout in hebraicis bibliis jacet. 405
XXXIV. Solvuntur oppositæ difficultates: authentia partis deuterocanonicæ. 410
XXXV. Prophetæ minores generatim: Oseas: Joel. . . 420
XXXVI. Amos: Abdias: Jonas: veritas ejus historiæ: Michæas: Nahum. 424
XXXVII. Habacuc: Sophonias: Aggæus: Zacharias: Malachias. 430
XXXVIII. Synopsis historiæ politicæ judæorum post Machabæos ad reipublicæ finem. 436
XXXIX. Notio Evangelii ac cum veteri lege relatio: origo et numerus evangeliorum, eorum consensio et diversitas, modusque utramque explicandi. . 439
XL. Amplior evangeliorum comparatio: harmonia evangelica. 444
XLI. Matthæus, ejusque evangelium: tempus, occasio, scopus et lingua: versio ejusdem græca: evangelium *secundum hebræos*.. 451
XLII. Marcus, *interpres Petri*: evangelium Marci: locus, ætas: scopus ejusdem, integritas et lingua.. . 457
XLIII. Lucas ejusque evangelium: fontes consulti: occasio et scopus: locus et ætas: lingua: Acta Apostolorum: scopus, auctoritas, argumentum. 461
XLIV. Joannes: ejus evangelium: locus, ætas, scopus, indoles peculiaris: integritas. 467
XLV. Evangeliorum et Actorum genuinitas et axiopistia: præliminaria: argumenta interna: concordia narrationis cum historia coæva. 474
XLVI. Accuratissimæ notiones geographicæ et topographicæ.. 477
XLVII. Alia argumenta ex numismatibus publicisque monetis, ex narrationis charactere et lingua deducta: conclusio pro argumentis internis. . . . 481

XLVIII. Argumenta externa: testimonia auctorum ecclesiasticorum 2i seculi labentis: Patres apostolici: Papias: refellitur hypothesis renanica. . 485

XLIX. Justinus: utrum evangelia apocrypha allegaverit: Ignatius, Polycarpus: Clemens romanus: epistola Barnabæ: publicus Ecclesiæ usus: testimonia ex evangeliis et actis apocryphis deducta. 491

L. Documenta ex hæreticis deducta: nazaræi et ebionitæ: Tatianus: Theodotus: Marcion: Ptolomæus et Heracleon: Valentinus: Naasseniorum et Peratarum sectæ: Basilides: pondus hujus argumenti.. 498

LI. Testimonia philosophorum ethnicorum ac præcipue Celsi: conclusio hujus discussionis: plena axiopistia scriptorum N. T. 503

LII. Adversariorum objecta: utrum narratio miraculorum axiopistiæ evangeliorum noceat: refellitur hypothesis renanica: libri apocryphi: Papias. 508

LIII. Confutatur sententia renanica circa evangelia synoptica, ac præcipue Lucæ. 512

LIV. Utrum s. Lucas *ebionita* fuerit: de doctrinis æconomicis et politicis s. Lucæ et Christi Jesu: alia objecta: utrum erraverit Lucas super *censu Cyrini*, tetrarchia Lysaniæ ac motibus rebellibus Theodæ.. 518

LV. De pugnis evangeliorum: de duplici J-C genealogia. 526

LVI. Objecta evangelio Joannis. 531

LVII. Ratio conciliationis chronologicæ evangeliorum ac totius vitæ J-C: ordo probabilis rerum in postrema J-C hebdomada: resurrectio J-C vera. 535

LVIII. Scripta N. T. didactica: paulinarum epistolarum character et genuinitas: argumentum inde deductum pro axiopistia evangeliorum ac vera miraculorum existentia: persona Pauli: ordo epistolarum chronologicus. 544

LIX. Epistola ad Romanos: status ecclesiæ romanæ: scopus epistolæ: argumentum: præstantia. . 548

LX. Epistola 1a ad Corinthios: occasio: paulina Corinthi prædicatio, et status illius ecclesiæ: epistolæ argumentum, annus et locus inscriptionis: genuinitas, præstantia.. 552

LXI. Epistola 2a ad Corinthios: occasio et scopus ejusdem: argumentum: dogmata quæ continet: Galatia: occasio et scopus epistolæ ad Galatas: dogmata contenta. 556

LXII. Epistola ad Ephesios, encyclica: occasio et scopus illius: argumentum: locus et annus scrip-

tionis: Epistola ad Philippenses: prædicatio Apostoli Philippis: occasio, scopus et argumentum: locus et annus compositionis. 560
LXIII. Epistola ad Colossenses: locus compositionis: argumentum: Epistolæ ad Thessalonicenses 1ª et 2ª: occasio et scopus: argumentum: adnotatio de opinione circa diem judicii jamjam imminentem. 563
LXIV. Timotheus: scopus et argumentum epistolæ 1æ ad Timotheum: tempus et locus scriptionis: genuinitas: epistolæ 2æ occasio et argumentum, tempus et locus. 568
LXV. Epistola ad Titum: tempus occasio et locus compositionis, argumentum: Epistolæ ad Philemonem occasio, locus, tempus, argumentum, genuinitas. 572
LXVI. Epistola ad Hebræos: ad hierosolymitanos scripta fuit: occasio et argumentum: authentia: peculiares characteres eorumque causa probabilis. 574
LXVII. Epistolæ catholicæ vel canonicæ: Jacobus, frater Domini, idem est qui Jacobus Alphæi et 1æ epistolæ catholicæ auctor: genuinitas, tempus, locus, scopus, argumentum: concordia doctrinalis cum d. Paulo. 580
LXVIII. Petri persona: ejusdem Epistolæ 1æ destinatio, locus et tempus: argumentum: genuinitas: authentia Epistolæ 2æ, destinatio, argumentum, locus et tempus 584
LXIX. Epistola 1ª Joannis: scopus, occasio et destinatio: argumentum: integritas: Epistolarum 2æ et 3æ genuinitas, inscriptio, scopus et argumentum: Epistola Judæ. 590
LXX. Apocalypsis, ejusque authentia: causæ ob quas in dubium revocata fuit: locus et tempus compositionis: argumentum: adnotationes pro ejusdem exegesi. 596

SECTIO QUARTA.

DE S. SCRIPTURÆ THEOPNEUSTIA.

I. Pondus et status quæstionis de divina Bibliorum auctoritate: quid sentiant protestantes supernaturalistæ: origo protestantica et philosophica rationalismi. 604
II. Doctrina catholica de inspiratione Bibliorum: controversiæ domesticæ: præcipuæ sententiæ rejiciendæ. 608
III. Res tantum et sententiæ, non ipsa Scripturæ

verba inspirata sunt: quo sensu Deus sit sacrorum Librorum auctor. 610
IV. Refellitur eorum sententia, qui tantum res dogmaticas et morales, non autem historicas cæterasque inspiratas censent: solvuntur objecta. . 614
V. Demonstratur divina Bibliorum inspiratio generatim: fundamenta biblica hujus Ecclesiæ fidei. 616
VI. Aliud argumentum pro divina inspiratione librorum N. T. ex præstantissima eorum doctrina deductum: item pro V. T. 620
VII. Novum argumentum pro divina origine V. T. methodo traditionali digestum: evincitur propositio major syllogismi: nonnulla objecta. . 623
VIII. Eadem propositio major historia universali evincitur: difficultates. 627
IX. Evincitur propositio minor: argumenti epitome.. 632
X. Præcipuum rationalistarum argumentum: ordo supernaturalis ejusque cum naturali relatio: existere potest, imo vere existit: utrum adhuc miracula credantur.. 634
XI. Argumentum contra divinam Geneseos inspirationem ex Geogonia deductum: adnotationes ad ejus vim infirmandam. 638
XII. Historia creationis mosaica scientifice interpretata.. 641
XIII. Objecta nonnulla: adnotationes geologicæ et palæontologicæ ad faciliorem rei intelligentiam. 647
XIV. Diluvium universale factum historicum fuit, nec ulli scientiæ repugnat. 651
XV. Num tentatio Evæ, theophaniæ, gigantum historia &c. mythica sint. 654
XVI. Utrum hominum ex unico matrimonio origo e progressu scientiarum quidquam detrimenti capiat. 656
XVII. Solvuntur plura objecta adversus fraternitatem omnium hominum. 660
XVIII. Defenditur tabula populorum genealogica (Gen. 10) et illustratur. 663
XIX. Alia objecta, ac præsertim chronologiæ biblicæ ex aliis chronologiis: tabula chronologica hebræorum durante monarchia: chronologia ægyptiaca.. 668
XX. Objectiones geologicæ adversus biblicam hominum ætatem enucleantur et dissolvuntur. . 678

SECTIO V.

HERMENEUTICA.

I. Hermeneutica biblica generalis et christiano-ca-

tholica: motiva hermeneuticæ catholicæ: doctrina Concilii Tridentini: objectiones protestantium. 691
II. Regulæ hermeneutices christianæ, qua talis, ex divino Bibliorum charactere ortæ: objecta rationalistarum: horum præcipua systemata exegetica. 697
III. De sensibus S. S. notiones variæ: an et quousque sit in Scripturis sensus mysticus seu typicus. 705
IV. Canon generalis hermeneuticæ communis: de usu loquendi: expedit linguas biblicas callere, ac primo hebraicam. 710
V. Utilitas linguæ chaldaicæ, syriacæ et arabicæ: harum usus criticus: lingua græca: auxilium antiquarum versionum, præsertim alexandrinensis: nonnulla exempla. 713
VI. Quid has linguas ignorantibus conveniat: præcipui vulgatæ versionis idiotismi. 717
VII. De contextu: ejus variæ species, modus dignoscendi et utilitas: loca parallela earumque classes, usus, ratio ea inveniendi, ac regulæ in earum interpretatione servandæ. 722
VIII. De locis pugnantibus: interpretis et apologetæ munus in iis et similibus: causæ ex quibus hæ apparentes pugnæ oriuntur, earumque tollendarum ratio. 729
IX. De conditione personæ loquentis externa: quomodo dignoscitur: quas utilitates offert: item interna, ac 1° de consilio loquentis: regulæ servandæ: unde dignoscitur: de affectionibus animi: de proprio charactere. 733
X. De spirituali loquentis cultura ejusque influxu in materiam scriptorum: unde dignoscitur: de influxu in formam scribendi: indoles rationis scribendi biblicæ generalis: locutio figurata, allegoriæ, symbola, typi, gnomæ, emphases. 737
XI. Allegationes V. in N. Testamento, earum diversæ classes et exempla: interpretandi modus: diversæ prophetiarum species, præcipue messianarum: quomodo dignoscantur: principia et regulæ interpretationis prophetiarum. . . . 742
XII. Principium universale hermeneuticæ generalis christiano-catholicæ: ultima tironibus monita. 747
Apendix I. Conspectus generalis omnium S. S. librorum. 749
» II. Canon Muratori. 751
» III. Hispani scriptores biblici præcipui. 753

HISTORIA DE GALICIA

POR

MANUEL MURGUIA.

Obra notable, que ha merecido un brillante informe de la Real Academia de la Historia, adquiriendo el Ministerio de Fomento ejemplares para las bibliotecas del reino. Se publica por entregas de ocho páginas en 4.º, con escelente papel francés satinado, impresion clara y compacta con tipos nuevos, á 50 céntimos cada una. Están concluidos el primero y segundo tomo, y se hallan de venta á 45 rs. cada uno para los señores suscritores.

ENSAYOS CRITICOS

SOBRE

FILOSOFÍA, LITERATURA É INSTRUCCION PÚBLICA ESPAÑOLAS,

POR EL LICENCIADO

DON GUMERSINDO LAVERDE,

Catedrático del Instituto de Lugo,
individuo correspondiente de las Reales Academias Española y de la Historia, etc.

Forma un tomo en 4.º de 560 páginas y se vende á 30 reales.

DEVOCIONARIO INFANTIL

EN VERSO.

POR D.ª NARCISA PEREZ REOYO Y SOTO.

Un tomo en 8.º, 8 reales.—Los pedidos deben dirigirse á la autora, calle de San Andrés, Coruña.

RUDIMENTOS

DE

ARQUEOLOGIA SAGRADA,

POR

DON JOSÉ VILLAAMIL Y CASTRO.

Un tomo en 8.º 12 reales.

DESCRIPCION

HISTÓRICO—ARTÍSTICO—ARQUEOLÓGICA

DE

LA CATEDRAL DE SANTIAGO,

POR


DON JOSÉ VILLAAMIL Y CASTRO.

Un tomo en 8.º de 200 páginas con un plano de la Catedral y un diseño iconográfico del Pórtico de la Gloria, 10 reales.

ADVERTENCIA.

Los señores que gusten valerse de esta Casa editorial-tipográfica para publicar sus obras, pueden contar con la prontitud y esmero en la ejecucion, con la seguridad de no perder, y con un éxito seguro, gracias á la especialidad y condiciones de esta casa.

Todas las obras anunciadas pueden pedirse al Editor, Señor Soto Freire, Lugo; acompañando su valor en sellos de 50 céntimos.



Cornelii
ISAGOGICUM
IN
SACRA BIBLIA

3.853